3
30-e
2/1

e 2

PUBLII
TERENTII
COMŒDIÆ
EXPURGATÆ.

Interpretatione ac Notis illustravit

JOSEPHUS JUVENCIUS
Societatis Jesu.

Editio prioribus auctior & emendatior.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA
VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, MDCCLXXXII.
* * * * * * * * * * * * * * * * *
Sumpt. Hæredis Nicolai Pezzana.
Superiorum Permissu, ac Privilegio.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

TERENTII VITA.

PUBLIUS TERENTIUS natus est Carthagine in Africa, anno Urbis conditæ 560. novem annis ante mortem Plauti; inde Romam profectus Terentio Lucano Senatori servivit, a quo propter egregiam indolem non institutus modo est liberaliter, sed & mature manumissus. Cum multis deinde nobilibus Romanis familiariter vixit, maxime cum Scipione Æmiliano & cum Lælio, a quibus fama est ipsum in scribendo non leviter adjutum fuisse. Scripsit Comœdias sex, quas magnam partem e Græcis Menandri poetæ latinas fecit. Annos admodum triginta natus in Græciam solvit, ubi plures fabulas e Menandro convertisse dicitur, ac novas aliquot edidisse de suo: sed iis, cum rediret Romam, naufragio amissis, tædio ac dolore jacturæ consumptus obiit in urbe Arcadiæ Stymphalo, anno U. C. 595. Cn. Corn. Dolabella & M. Fulvio Nobiliore Coss. Itaque natus & mortuus est inter finem belli Punici secundi & initium tertii; vir, Ciceronis, Ovidii, Horatii, omnium judicio, habitus auctor optimus Latinitatis.

Cicero libro VII. Epiſt. ad Attic. ep. 3.

Secutus ſum, non dico Cæcilium, malus enim auctor Latinitatis, ſed Terentium, cujus fabellæ propter elegantiam ſermonis putabantur a C. Lælio ſcribi.

Horat. lib. II. Epiſt. ep. 1.

Dicitur Afrani toga conveniſſe Menandro,
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte;
Hos ediſcit, & hos arcto ſtipata theatro
Spectat Roma frequens . . . .

Vellejus Paterculus lib. 1.

Dulces Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentiumque & Afranium, ſub pari ætate nituerunt.

Quintil. lib. x. cap. 1.

Terentii ſcripta ſunt elegantiſſima, & plus adhuc habitura gratiæ, ſi intra verſus trimetros ſtetiſſent.

Plinius lib. 1. ep. 16.

Legit mihi nuper epiſtolas, Plautum vel Terentium metro ſolutum legi credidi.

DE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE COMŒDIA

ET METRIS

TERENTIANIS.

I. POesis est Ars quæ imitandis oratione suavi hominum actionibus, quid in vita faciendum sit, quid fugiendum, suaviter docet. Hinc

II. Duplex est: altera Epica, quæ actiones hominum narrando imitatur & exponit, talis est Æneis Virgiliana: altera Dramatica, quæ actiones, adhibitis personis, repræsentat & veluti facit: tales sunt Tragœdiæ omnes & Comœdiæ.

III. Dramatica poesis, altera Tragœdia dicitur, altera Comœdia: in hoc utraque convenit, quod utraque actionem repræsentat unam, in uno loco gestam, & certo temporis intervallo, quod vulgo definitur horarum 24. in hoc differt, quod Tragœdia heroicam actionem aliquam & a viris illustribus gestam imitatur. Comœdia vero actionem plebejam, qualis ab hominibus e vulgo fieri consuevit, quæ ad publicam rem non pertineat, sed potius ad privatam & domesticam: unde Comœdiam vocat Tullius pro Roscio Amerino *quotidianæ vitæ imaginem*.

IV. Comœdia vetus nihil aliud fuit quam festum quoddam carnem per vicos & compita cani solitum condita messe. Ars addita subinde est, auctæ ac divisæ personæ, ornatus adhibiti, sumpta e vulgi moribus dicendi & canendi argumenta, & certorum hominum vitia palam agitata & notata magna cum libertate: sed hæc libertas cum in vitium excidisset, (ut ait Horatius in Arte poetica) legibus coercenda fuit,

vetitumque ne homines in theatro nominarentur ac traducerentur. Hinc nata Comœdia nova, quæ ita versatur in argumento seu ficto seu vero, ut a maledictis & contumeliis quibus prisca in probos æque ac improbos impune sæviebat, abstineat, omnes ex æquo moneat, ac sine acerbitate delectet Eupolis, Cratinus, Aristophanes, &c. in veteri Comœdia floruerunt: Menander, Cæcilius, Terentius, &c. in nova.

V. Porro cum una quædam esse actio dicitur, quam Tragœdia & Comœdia imitantur, non ita est una & simplex, quin aliæ quoque actiones adjungatur, modo ad unam aliquam primariam vel necessaria, vel probabili & verisimili ratione referantur: illæ actiones cum primaria conjunctæ vocantur Episodia: tunc sunt optimæ cum agnitionem aliquam continent, vel mutationem & casus aliquos præter expectationem & consilia personarum; tumque Peripetiæ appellantur. Omnium actionum istarum complexio & compositio vocatur fabula. Quia vero plurimum habet delectationis, si quis ex aliquo periculo præter spem emergat; ita fere componitur fabula, ut primarium partium actor, sive ille qui actionem primariam gerit, adducatur in aliquod grave periculum, idque præter opinionem, aut citra suam aliquam culpam, eaque pars fabulæ dicitur Protasis, Epitasis sive nodus, ea pars in qua istud ipsum periculum augetur: cum vero solvitur periculum, & res in meliorem statum convertitur, appellatur solutio sive Catastrophe. Vulgo enim Comœdia læto exitu clauditur; cum in Tragœdiis ut plurimum funesta sit Catastrophe, etsi lætam & fortunatam esse nihil vetet, ut patet e Tragœdiæ, quam ex Aristotele attulimus, definitione ac veterum exemplis.

VI. Cum Poesis omnis ad delectationem maxime comparata sit, omnis uti versibus debet, quæ est oratio omnium suavissima. Tragici utuntur Jambicis perfectis, iis nempe qui in pedibus pari-

paribus Jambos habent, nempe in 2. 4. & 6. in imparibus vero Spondeos vel Anapæſtos, Dactylos aut Jambos, quia omnes iſti pedes plus habent gravitatis & dignitatis. Comici utuntur Jambicis imperfectis, idque ſatis habent, ſi in fine ſit pes Jambus, in aliis locis adhibent promiſcue Jambos, Spondæos, Dactylos, Tribraches, Anapæſtos, qui locum habent in Jambicis perfectis. Præterea utuntur Amphimacro ſeu Cretico, qui conſtat duabus extremis ſyllabis longis & media brevi, ut Pămphĭlūm, ămbĭūnt. Interdum Proceleuſmatico ſive duobus Pyrrhichiis, hoc eſt quatuor brevibus, quia quatuor breves reſpondent duabus longis, e quibus conſtat Spondæus, cui locus eſt in Jambico verſu. Exemplum Proceleuſmatici habes in Andria Act. 1. Sc. 1. ſub finem.

Mĭlĭă mēns | mălŭs ănĭ | mūs, quēm | quĭdem ĕgŏ | sī sēn | sĕrō.

in hac enim ſcena ſunt omnes Senarii ſive Trimetri. Itaque in ſecondo pede eſt Proceleuſmaticus. Item in eadem Andria Act. 3. Sc. 3. in primo pede:

Tibi genérum firmum, & filiæ invenies virum.

VII. Utuntur etiam Comici verſibus Jambicis dimetris, ideſt, qui quatuor tantum pedes habeant; nam antiqui vocabant duos pedes, unam menſuram; interdum Tetrametris, ideſt, qui habeant quatuor menſuras, ſive qui conſtent octo pedibus; unde octonarii & quadrati appellantur. Interdum totis quatuor, aut ſex, aut octo pedibus non conſtant illorum verſus, ſed deeſt aliquando una ſyllaba in principio aut fine, & ii verſus vocantur Catalecti, ſive deſinentes, penduli & ſemimutili, ut

Mūsæ | jŏvēm | cănē | bānt.

eſt dimeter catalectus, deeſt enim ultima ſyllaba: item

Nōn | ĕbŭr | nĕque aū | rĕūm.

deeſt enim prima ſyllaba. Obſervandum hic tantum eſt, eum pedem, qui proximus eſt ſyllabæ relictæ, & pendenti, Iambum eſſe oportere. Aliquando deeſt unus pes, iique verſus vocantur Brachycatalecti, ſive mutili, ut

Mūsæ | Jŏvīs | nātæ.

eſt dimeter Brachycatalectus, deeſt quippe pes quartus. Hoc idem in Tetrametris contingit: v. gr. in illo

Vōs prĕcōr | vūlgūs | stŭlēn | tūm vōs | quĭe fē | rā-
les | Dĕōs.

deeſt prima ſyllaba: quod ſi ſcandas aliter ac velis deeſſe ſyllabam in fine potius quam in principio, facies Throchaicum verſum, qui nempe Trochæum pedem pro Jambo iiſdem locis atque Jambicus ponit.

Vōs prĕ | cōr vūl | gūs stŭ | lēntūm | vōsquĕ | fē-
rā | lēs Dĕōs.

ſic in Adelphis act. 3. ſc. 2.

Cē tĕ | rōs rŭĕ | rem, ăgĕrēm, | răpĕrēm, | tūn-
dĕ | rem ēt prō | strērnĕrēm.

ſcandi etiam aliter poteſt prior verſus, ſi ponatur amphimacer in principio.

Vōs prĕcōr | vūlgūs | stŭlēn | tum, &c.

& tunc deerit ultimus pes, eritque Tetrametes Brachycatalectus. Quemadmodum illi verſus Andriæ Act. 4. Sc. 1. qui Muretum, Scaligerum, Eraſmum, & ceteram eruditorum familiam adeo torſerunt, dici commode poſſunt Trimetri Brachycatalecti: ſic eos metire:

Hōccĭnĕ | crēdĭbĭ | le ēſt aūt | mĕmŏrā | bĭlĕ.
Tāntă vē | cōrdĭa in | nātă cŭīquām | ūt | stŭlt.

taceſſant enim ii qui us ſuum quemdam quem ſibi

ſibi fingunt ipſi numerum, ingratiis inveniant, tollunt, mutant, vellicant miſeros verſus irato Terentio, & veteribus libris reclamantibus.

In quibuſdam ſive Dimetris ſive Tetrametris abundat ſyllaba una vel pes unus, vocanturque Hypercatalecti ſive Hypermetri, qui nempe habent aliquid ſupra communem menſuram. Ita longior eſt iſte una ſyllaba.

Mūsæ | sŏrŏ | rēs sūnt | Mĭnĕr | væ.

VIII. Ad inveniendum quoque numerum Comicorum verſuum juvabis obſervare quæ ſequuntur.

1. Sæpiſſime litteram S elidi, ita ut inter ſcandendum, ut vocant, legendum ſit *magi pro magis*, *ſati* pro *ſatis*, &c. ſexcenta ſunt exempla; immo, interdum extrito S vocalis præcedens eliditur: ſic in Andria:

Bŏnūm ĭn | gĕnĭūm | nārrās | ădŏlē | ſcēntis ŏ | ptĭmūm.

ita ut *ſcentis o* ſpondeus ſit, *ſcent' o*, niſi malis Amphimacrum ponere.
In eadem Andria.

Sēmpĕr ēnīm dĭcta ēſt ējūs hæc ātque hăbĭta eſt sŏrŏr.

quo in verſu voces, *ejus hæc at*, ſunt tres longæ: item.

Sed quīd opus eſt verbis? Sēd quĭd ŏp' ēſt | vērbīs?

2. Voces quaſdam diſſyllabas in unam ſyllabam concreſcere, v. g. *fuit*, *fiet*, *puer*, *rei*, *ebo*, *meus*, *tuus*, *ſuus*, *ſuo*, *Deos*, &c. ſic metire verſum Andriæ Scena 1. Act. 1.

Lībĕrī | ēs vī | vēndī; | fuīt pŏtēs | tās, nām ān | tĕā.

nonnulli volunt eſſe Amphymacrum in voce *libe-*

liberius, in qua duæ mediæ ſyllabæ coeant in unam, quaſi ſi eſſet lībrĭūs; alii Dactylum ſi expungatur S ſibrĭŭ, ſic illum ejuſdem Comædiæ qui eſt in Act. 4. Scena 1.

ūt mălīs | gaūdĕat ă | lĭēnīs, ātque ĕx | īncōm | mŏdīs,

in *gaudeat*, duæ ultimæ ſyllabæ in unam brevem coaleſcunt, quaſi *gaudat* legeretur, in *alienis*, duæ mediæ concreſcunt in unam longam; ſic *quieſci*, *melius*, *potius*, pro diſſyllabis ponuntur, *grandiuſcula* pro triſyllabo; ita Virgilius vocem *ſtellio* diſſyllabam poſuit, Horatius *pituita* triſyllabam. Contra vero voces quædam monoſyllabæ in duas ſyllabas porriguntur ut *jam*, quaſi eſſet *iam*.

3. Sæpe vocales non elidi, cum in ſequenti voce occurrunt aliis; neque litteram *M*.

4. Voces *illum*, *illam*, *eccum*, *eccam*, &c. aliquando primam habere brevem, quia olim cum unica littera L. & C. ſcribebantur, *ilum*, *ecum*.

5. M & R, in media dictione interdum elidi, ſic in Andria, Act. 1. Sc. 3.

Enimvero Dave nihil læti eſt ſegnitiæ, &c.

primus pes anapæſtus eſt ĕnĭvē | rō, &c. littera vero *M* in fine interdum eliditur ante conſonantem.

Andria Act. 3. Sc. 2.

Cērte ĕnĭ | ſcĭŏ, nōn | sătīs mē | pērnōſti &c.

ubi primus pes Dactylus eſt cērt ĕnĭ, &c.

6. Vocales quaſdam corripi, quæ non elidun-tur, v. g. in Andria. Act. 4. Sc. 4.

Rĕlī | quīt mĕ hŏ | mo ātque ăbĭ | it.

ubi *me* breve eſt, quia non eliditur, more græco, & Sc. 6.

Quæ

Quæ sẽ in ꝑ hõnẽste ꝺptã vit, &c.

voces illæ, quæ *se in* ..... Dactylum efficiunt: nonnulli ut hiatum hunc effugiant, addi volunt Plautino more litteram D.

Reliquit med homo.

7. Nota, *eho*, *hem*, & alias quasdam id genus interjectiones, extra metrum aliquando censendas, neque, cum metiri voles versum, annumerandas aliis vocibus: sunt enim illæ voces ab natura potius, & impetu quodam, quam ab arte & poesi profectæ.

NOI
RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

COncediamo Licenza all' Erede di Nicolò Pezzana, Stampator di Venezia di poter ristampare il Libro intitolato: *Publii Terentii Comœdiæ &c., ristampa cum notis Juvencii &c.* osservando gli ordini soliti in materia di Stampe; e presentando le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 16. Aprile 1782.

(*Andrea Querini Rif.*

(*Niccolò Barbarigo Rif.*

(*Girolamo Ascanio Giustinian K. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 42. al N. 402.

Davidde Marchesini Segr.

P. TE-

P. TERENTII ANDRIA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ARGUMENTUM.

Pamphilus adoleſcens Athenienſis uxorem clam patre ducere ſtatuerat peregrinam virginem nomine Glycerium. Simo ejus pater id ſuſpicatus, ut rem totam, & animum filii certius cogneſceret, ſimulat ſe uxorem illi dare velle Philumenam Chremetis amici hominis & boneſtiſſimi viri filiam. Annuit Pamphilus, qui per ſervulum intellexerat ſimulari nuptias, & nihil eſſe periculi ne ipſe Glycerium deſerere cogeretur. Simo, ubi vidit annuentem Pamphilum, ſerio cogitare cœpit de Philumena illi tradenda, ut ea ratione filium ab amore Glycerii ignotæ & obſcuræ virginis abſtraheret. Itaque Chremetem Philumenæ patrem rogat, ut eam Pamphilo conjugem det. Aſſentitur Chremes, licet ægre, quia Pamphilum jam addictum eſſe Glycerio cogneverat. Æſtuat Pamphilus, non audet patri reſiſtere, Glycerium deſerere non poteſt: inſtat Simo & confeciſſet nuptias niſi caſus laborantem Pamphilum adjuviſſet. Crito quidam ex Andro inſula veniens, unde Glycerium Athenas addu-

adducta fuerat, Chremeti & Simoni bene noeus, docet illos, Andriam hanc virginem quæ Glycerium vocaretur, esse Pasibulam Chremetis ipsius filiam alteram, quæ olim periisse credita erat. Hanc igitur Pamphilus summa Chremetis & Simonis voluptate uxorem palam accipit: Philumena vero ducenda datur Charino, amico Pamphili, qui ejus nuptias ambiebat.

PERSONÆ.

SIMO, Senex Atheniensis, Pater Pamphili.

CHREMES, amicus Simonis, Philumenæ & Pasibulæ, seu Glycerii pater.

CRITO, Andrius, amicus Simonis & Chremetis.

PAMPHILUS, adolescens, filius Simonis.

CHARINUS, adolescens, amicus Pamphili.

BYRRHIA, servus Charini.

DAVUS, *DROMO*, } servi Simonis & Pamphili.

SOSIA, libertus Simonis.

GLYCERIUM, Filia Chremetis natu minor, vero nomine Pasibula, soror Philumenæ parentibus ignota, & per Critonem agnita.

CHRYSIS, hospes Glycerii, ejus soror falso credita.

MYSIS, ancilla.

P. TE-

P. TERENTII

ANDRIA.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS M. FULVIO, & M. Glabrione Ædilibus Curulibus. Egerunt L. Ambivius Turpio, L. Attilius Prænestinus. Modos fecit Flaccus, Claudii filius, tibiis paribus dextris & sinistris. Et est tota Græca, edita M. Marcello, Cn. Sulpitio coss.

Andria. Significat ea vox feminam ex Andro insula Ægei maris. Sic vocatur Glycerium, quia ex Andro advecta erat. Hinc nomen toti Comœdiæ factum.

Acta ludis Megalensibus. Exhibita dum celebrarentur lodi in honorem Cybeles: ea vox *Megalenses* facta est ex græca voce μεγάλα *magna*, quia Cybele vocabatur magna mater, seu Mater Deorum omnium.

Ædilibus. Non tantum ædiles habebant curam ædium sive sacrarum, sive aliarum, verum etiam ludorum & spectaculorum. Ea tamen cura tantum Ædiles Curules spectabat, qui dignitate præstabant Ædilibus plebis, & Ædilibus Cerealibus. Rosinum vide.

Curulibus. Curules magistratus illi vocabantur qui honoris caussa utebantur publice sella eburnea, quæ quod esset in ipsorum curru dum in curiam vehebantur, curulis est dicta.

Egerunt. Actores præcipui fuerunt.

Modos fecit. Cantica certis numeris temperavit. Post singulos actus aliquid musice canebatur, & illi numeri ac modi ab optimis canendi magistris fiebant.

Tibiis paribus, &c. Duplicis olim generis erant tibiæ: altera dextra oris parte inflabatur, & ideo dextra tibia dicebatur: altera, sinistra parte oris, quæ idcirco vocabatur sinistra. Ambæ primo conjunctim, mox separatæ & seorsim sunt inflatæ. Dextra tibia unicum habebat foramen, sed latius & apertius, unde sonus edebatur gravior: sinistra duo habebat foramina paullo tamen angustiora, unde sonus acutior existebat. Quando plures tibiæ dextræ inflabantur simul, id est, quæ singulæ unum tantum haberent foramen, iste modus vocabatur, *Lydius*, sive *Dorius*. Quando plures sinistræ adhibebantur, modus *Tyrius*, sive *Sarranus*, quia Tyrus olim Sarra dicta est, appellabatur: eratque iste modus lætior & hilarior; cum Lydius esset contra austerior & lentior.

Si

Si una dextera & altera ſiniſtra inflaretur, modus *Phrygius* nuncupabatur, ſive *Barbarus*, quia Phryges olim Barbari dicti ſunt. Pares igitur tibiæ ſunt, quæ ſunt omnes dexteræ, vel ſiniſtræ: impares contra.

Dextris & ſiniſtris. Nempe nunc dextris omnibus, nunc omnibus ſiniſtris: aliter pares non fuiſſent: vel dextris uno tempore, alio ſiniſtris. Si enim locus aut tempus quo agebatur Comœdia, poſtularet plus hilaritatis, ſiniſtræ omnes tibiæ ſumebantur; ſi contra, dexteræ. Immo in eadem comœdia cantica & modi ſæpe mutabantur.

Eſt Græca. Ejus argumentum eſt Græcum, mores, & Perſonæ.

Edita, &c. Cadit iſte annus in annum ab U. C. 588.

Iſtud proœmium vocatur in aliquibus libris Didaſcalia, quæ vox græca hic ſignificat præmonitionem quandam adhibitam docendi cauſſa.

Scena porro, ſive locus, in quo peragitur Comœdia, eſt Athenis in platea, ubi ſunt ædes Simonis, Chremetis & Glycerii.

PROLOGUS.

Terentius defenditur contra malevolorum quorundam accuſationes.

Poeta quum primum animum ad ſcribendum appulit,
Id ſibi negoti credidit ſolum dari,
Populo ut placerent, quas feciſſet fabulas;

PROLOGUS. Ea vox interdum ſumitur pro explicatione argumenti totius comœdiæ, vel actus alicujus, interdum ſpectatores de re aliqua monet.

Appulit. Adjecit, applicuit: eum primum operam in ſcribendis comœdiis ponere cœpit. Appellere proprie eſt ad littus adducere.

Negoti. Pro negotii, id eſt, curæ ac muneris. Id ſibi ſolum curandum eſſe credidit.

Fabulas. Comœdiæ & Tragœdiæ appellantur fabulæ, non quod omnia in illis ficta & falſa ſint, ſed quia quamvis actio primaria debeat eſſe vera, aut veriſimilis ſaltem, alias multas ad eam ornandam fingere poetis liceat. Dictæ ſunt forte etiam fabulæ a fando, quia multa in iis narrantur.

Mul-

Verum aliter evenire multo intelligit :
Nam in prologis ſcribundis operam abutitur ,
Non qui argumentum narret, ſed qui malevoli
Veteris poetæ maledictis reſpondeat.
Nunc quam rem vitio dent , quæſo animum advortite.
Menander fecit Andriam , & Perinthiam :
Qui utramvis recte norit, ambas noverit :
Non ita diſſimili argumento ſunt , ſed tamen
Diſſimili oratione ſunt factæ, ac ſtylo.
Quæ convenere, in Andriam ex Perinthia
Fatetur tranſtuliſſe , atque uſum pro ſuis :
Id iſti vituperant factum, atque in eo diſputant
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt næ intelligendo ut nihil intelligant.

Multo. Junge cum *aliter*, multo aliter.

Operam abutitur. Perdit operam : eam enim deberet collocare in explicando fabulæ argumento ; non in refellendis calumniis.

Non qui. Non ut.

Veteri poetæ. Senioris , & jandiu in faciendis fabulis exercitati . Ille Lucius Lavinius vocabatur , qui Terentium ætate inferiorem ſibi præferri dolebat .

Vitio dent. Quid in Terentio reprehendant obtrectatores:

Menander. Græcus poeta Comicus, obiit Olympiadis 121. an. 4. ab urbe condita 461. ejus comœdias in Latinum ſermonem Terentius convertit.

Andriam & Perinthiam. Erant duæ Menandri Comœdiæ , ab duabus feminis , quæ primas in illis habebant partes, dictæ, Andria femina ex Andro , & Perinthia , ex Perintho urbe Thraciæ.

Non ita. Non admodum, non valde.

Oratione ac ſtylo. Oratio in ſenſu eſt , ſtylus in verbis.... *Donatus*. Eſt autem ſtylus ferrum tenue ac oblongum quo in pugillaribus olim ſcribebatur. Hinc pro ipſa ſcribendi ratione ponitur.

Quæ convenere. Ordo eſt : fatetur Terentius ſe tranſtuliſſe in ſuam comœdiam Latinam Andriam ex Græca Menandri Perinthia , quæ ipſi viſa ſunt convenire & accommodata eſſe Andriæ , & illis uſum eſſe tanquam ſi propria ſibi fuiſſent , & non aliunde imitando expreſſa.

Contaminari. Alias aliis mixta & confuſas fœdari.

Næ. Profecto , certe.

Intelligendo . Volendo videri intelligentes & litterarum integritati conſulentes.

Næ-

Qui quum hunc accusant, Nævium, Plautum, Ennium
Accusant, quos hic noster auctores habet,
Quorum æmulari exoptat negligentiam
Potius, quam istorum obscuram diligentiam.
Dehinc ut quiescant porro moneo, & desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua:
Favete, adeste æquo animo, & rem cognoscite.
Ut pernoscatis, ecquid spei sit reliquum,
Posthac quas faciet de integro comœdias,
Spectandæ, an exigendæ sint vobis prius.

Nævium. Nævius Poeta vetus Latinus, bellum Punicum primum, in quo fecerat stipendia, versibus mandavit.

Plautum. Fuit ille Poeta Latinus comicus fere æqualis Terentii, festivissimus & maxime Latinus.

Ennium. Poeta fuit Latinus antiquissimus, parum in loquendo comptus: bellum Punicum secundum hexametris scripsit, &c.

Auctores. Quos sequitur, qui idem fecerunt quod ipse facit. Auctor est is cujus fidem & auctoritatem sequimur.

Æmulari. Imitari negligentiam, id est, liberiorem in scribendo rationem & quasi negligentiam.

Istorum. Suorum obtrectatorum.

Obscuram. Humilem & ignobilem: vel quæ obscuritatem scriptis affert.

Diligentiam. Fidelitatem nimiam & curam affectatam in imitandis bonis auctoribus, quæ verbum verbo quasi reddit, &c.

Porro. In posterum.

Malefacta, &c. Ne Terentius palam omnibus faciat ea quæ isti in scribendo peccant.

Æquo. Benevolo.

Reliquum. Ista vox *reliquum* syllabarum quatuor est, vel si est trium tantum, geminanda erit littera l, *relliquum*, ut constet versus.

Posthac. Ordo est: ut intelligatis quid ab Terentio sperare vos in posterum conveniat: an fabulæ quas idem alias postea componet, spectandæ sint a vobis, an e theatro potius excludendæ. *Exigo* sæpe sumitur pro ejicio, interdum pro expendo, examino: itaque sententia hæc esse potest: an putetis examinandas, prius quam spectentur, Terentii fabulas. Et vero erant constituti publice judices qui ejusmodi lucubrationes expenderent, antequam ederentur.

De integro. Denuo. Quidam ita legunt istos versus, *ut pernoscat is quid spei, &c.* Nempe, ut Terentius intelligat quid sperandum sibi sit a vobis, an suas comœdias spectaturi sitis, an in posterum repudiaturi.

ACTUS

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

SIMO, SOSIA.

Simo aperit ſuum Soſiæ conſilium de nuptiis filii ſimulatis: idemque totius fabulæ argumentum, quaſi aliud agens, explicat; actionum ſemina futurarum jacit.

SI. VOs iſthæc intro auferte: abite. Soſia,
Adeſdum, paucis te volo.
SO. Dictum puta,
Nempe ut curentur recte hæc. *SI.* immo aliud.
SO. Quid eſt,
Quod ars tibi mea efficere hoc poſſit amplius?
SI. Nihil iſthac opus eſt arte ad hanc rem quam paro;
Sed iis, quas ſemper in te intellexi ſitas,

ACTUS. Sunt partes majores fabulæ; vulgo ſunt quinque: Scenæ, ſunt minores partes: earum numerus definitus non eſt. Ea vox *Scena* ſignificat umbraculum, ſylvam, & ramos quibus locus inumbratur: quia olim antequam theatris uti mos eſſet, frondes & umbracula pro theatro & ornamento erant. Tunc eſt nova ſcena quando aliqua perſona egreditur theatro, vel nova alia in illud ingreditur: tunc eſt finitus actus quando perſonæ omnes e theatro diſcedunt.

Vos... Servulos alloquitur qui e macello ferebant obſonia quæ emerat ipſe quaſi ad filii nuptias celebrandas.

Iſthæc. Piſces, carnes: vel aulæa, ſedilia, & alium apparatum.

Intro. In domum interiorem: in culinam, aulam.

Paucis. Subaudi, verbis, volo te alloqui.

Dictum puta. Intelligo quid velis, quaſi jam dixiſſes, nempe monitum me vis ut iſta obſonia recte coquantur & parentur.

Immo aliud. Subaudi, volo.

Ars mea. Opera & diligentia; vel induſtria in obſoniis parandis.

Iis. Artibus, ſive virtutibus, fide ad complenda mandata; taciturnitate ad celanda. *Donat.*

Quid

Fide, & taciturnitate. *SO.* expecto quid velis.
SI. Ego poſtquam te emi a parvulo, ut ſemper tibi
Apud me juſta & clemens fuerit ſervitus
Scis; feci e ſervo ut eſſes libertus mihi,
Propterea quod ſerviebas liberaliter;
Quod habui ſummum pretium, perſolvi tibi.
SO. In memoria habeo. *SI.* haud muto factum.
SO. Gaudeo,
Si tibi quid feci, aut facio, quod placet, Simo, &
Id gratum fuiſſe advorſum te, habeo gratiam.
Sed mihi hoc moleſtum eſt: nam iſthæc commemoratio,
Quaſi exprobratio eſt immemoris beneficii.
Quin tu uno verbo dic quid eſt, quod me velis.
SI. Ita faciam: hoc primum in hac re prædico tibi,
Quas credis eſſe has, non ſunt veræ nuptiæ.
SO. Cur ſimulas igitur? *SI.* Rem omnem a principio audies,
Eo pacto & gnati vitam, & conſilium meum
Cognoſces, & quid facere in hac re te velim.

Quid velis. Subaudi, mihi dicere.

A parvulo. A tenera ætate, puerulum te emi.

Juſta. Servitus juſta in qua nihil iniquum jubetur; clemens, in qua etiam de juſto multum remittitur. *Donat.*

Libertus. Eſt ſervus donatus libertate.

Liberaliter. Sponte, honeſto & ingenuo modo, non ſerviliter.

Pretium. Libertatem.

In memoria habeo. Non ſum ingratus & immemor.

Haud muto... Non me pœnitet facti, hoc eſt libertatis tibi datæ: infectum id nolim, ſi ſit res in integro.

Id gratum. Ordo eſt, & habeo gratiam, in beneficii loco pono quod tibi fuerit gratum, ſi quid operæ navavi tibi.

Advorſum te. Erga te. Amant Comici dicere advorſum, pro adverſum; volt, pro vult; advorto pro adverto; peſſumus pro peſſimus, &c.

Hoc. Quod narras de me.

Immemoris. Hominis beneficiorum obliti. Legunt quidam *immemori*. Iſta nunc mihi commemorare, quæ facis, quid aliud eſt quam exprobrare mihi tua beneficia quaſi eorum immemori?

Is,

Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis, Soſia,
Liberius vivendi fuit poteſtas, nam antea
Qui ſcire poſſes, aut ingenium noſcere,
Dum ætas, metus, magiſter prohibebant? *SO.* ita eſt.
SI. Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,
Ut animum ad aliquod ſtudium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad Philoſophos;
Horum ille nihil egregie præter cetera
Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter.
Gaudebam. *SO.* non injuria, nam id arbitror
Adprime in vita eſſe utile, UT NE QUID NIMIS.
SI. Sic vita erat: facile omnes perferre, ac pati,
Cum quibus erat cumque una: his ſeſe dedere,
Eorum obſequi ſtudiis, advorſus nemini:
Nunquam præponens ſe illis: ita facillime
Sine invidia invenias laudem, & amicos pares.

Is. Pamphilus.

Exceſſit ex ephebis. E numero Epheborum exiit, egreſſus eſt annos pubertatis; cum omiſſis ſtudiis puerilibus, & nucibus, ut ajunt, relictis, ad graviora ſe ſtudia convertunt adoleſcentes. Ephebus idem eſt ac puer jam grandior, ann. 14. agens.

Fuit poteſtas. Supple, illi.

Qui ſcire poſſes. Quomodo ſciri a quoquam poſſet, aut noſci ejus indoles? ſecunda perſona pro tertia cum dignitate ponitur.

Plerique omnes. Omnes ferme.

Equos alere. Græco more infinitivum poſuit pro gerundio, alendi, ad aliquod ſtudium v. g. alendi equos, aut canes, eundi ad Philoſophos...

Ad Philoſophos. Subaudi audiendos ire, vel animum appellere.

Egregie. Nihil eorum ſtudebat, id eſt, cupiebat, impenſius nihil amabat præter cetera, ſed omnia illa moderate factitabat.

Adprime. Imprimis.

Nimis. Subaudi, fiat; ut ſervetur in omnibus mediocritas.

Sic vita erat. Tales erant Pamphili mores, ea vivendi ratio.

Pati. Subaudi, conſueverat.

Cum quibus. Junge: cum quibuſcumque ſimul erat.

Dedere. Comiter annuere in omnibus, ad eorum ſe nutus omnes fingere.

Studiis. Voluntatibus.

Invenias. Invenire poſſumus.

Obſe-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SO. Sapienter vitam instituit, namque hoc tempore.
OBSEQUIUM AMICOS, VERITAS ODIUM PARIT.
SI. Interea mulier quædam ab hinc triennium
Ex Andro commigravit huic viciniæ,
Inopia, & cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma atque ætate integra.
SO. Hei vereor, ne quid Andria adportet mali.
SI. Primum hæc pudice vitam, parce, ac duriter
Agebat, lana, ac tela victum quæritans.
Sed postquam ad illam accessit adolescentulus
Unus, & item alter; ita ut ingenium est omnium
Hominum a labore proclive ad libidinem;
Famæ haud pepercit. Forte quidam filium
Perduxere illuc secum, ut una esset, meum.
Egomet continuo mecum: certe captus est:
Habet: observabam mane illorum servulos
Venientes, aut abeuntes; rogitabam, heus puer,
Dic sodes, quis heri Chrysidem adiit? nam Andriæ
Illi id erat nomen. SO. Teneo. SI. Phædrum,
aut Cliniam,
Dicebat, aut Niceratum, nam hi tres tum simul
Visebant: eho quid Pamphilus? Quid? symbolam
Dedit, cœnavit: gaudebam. Item alio die
Quærebam, comperiebam nihil ad Pamphilum

Obsequium. Comitas, facilitas, observantia quæ honestatis ferme rationem non habet, quæ plus amicitiæ quam æquitati tribuit.

Ab hinc triennium. A tribus annis.

Huic viciniæ. In hanc viciniam.

Coacta. Ex Andro venire.

Integra. Florenti, juvenili.

Andria. Hæc mulier quam narras ex Andro commigrasse huc.

Ut una esset. Cum ipsis versaretur: vel, cibum sumeret.

Captus est. Irretitus mala consuetudine, & amore.

Habet. Subaudi, vulnus, plagam accipit, hoc proprie dicebatur de gladiatoribus vulneratis.

Sodes. Subaudi, amabo, vox blandientis.

Quid? Symbolam dedit. Est responsio alicujus servuli quem Simo interrogarit. Symbola autem hic significat pecuniam quæ in convivium contribuitur ab unoquoque convivarum.

Atti-

Quidquam attinere: enim vero ſpectatum ſatis
Putabam, & magnum exemplum continentiæ.
Nam qui cum ingeniis conflictatur ejuſmodi,
Neque commovetur animus in ea re tamen,
Scias poſſe habere jam ipſum ſuæ vitæ modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.
Quid verbis opus eſt? hac fama impulſus Chremes
Ultro ad me venit, unicam gnatam ſuam
Cum dote ſumma filio uxorem ut daret.
Placuit, deſpondi, hic nuptiis dictus eſt dies.
SO. Quid obſtat, cur non veræ fiant? *SI.* audies:
Fere in diebus paucis, quibus hæc acta ſunt,
Chryſis vicina hæc moritur. *SO.* o factum bene,
Beaſti, metui a Chryſide. *SI.* ibi tum filius
Cum illis qui adibant Chryſidem, una aderat frequens,
Curabat una funus, triſtis interim,
Nonnunquam collacrumabat: placuit tum id mihi;

Attinere. Nihil eſſe ſuſpicionis malæ, aut criminis, quod ad Pamphilum pertineret, quod in eum conjici poſſet.

Spectatum. Probatum ſatis & exploratam ejus continentiam arbitrabar, tantamque eſſe, ut in exemplum aliis proponi etiam poſſet.

Cum ingeniis, &c. Qui cum hominibus eo ingenio & indole præditis, libidinoſis aſſidue verſatur. Conflictari, eſt atteri & effricari: comparatio ducitur a vaſis quæ colliduntur inter ſe dum ſe tangunt; flictus, eſt ſonus corporum colliſorum.

Donat. Malim ſumere metaphoram a luctantibus; eſt enim adoleſcentibus cum voluptatibus & cum improbis ſodalibus pugna periculoſa.

Commovetur. Ad ſcelus impellitur; dimovetur a virtutis via.

Modum. Regimen, certam & conſtantem vitæ ac virtutis viam & rationem tenere tuto poſſe.

Fortunas. Felicitatem.

Deſpondi. Filium meum promiſi ejus filiæ maritum.

Dictus. Conſtitutus, condictus.

Beaſti. Me iſto nuntio bea-

Sic cogitabam ; hic pravæ consuetudinis
Causſa, mortem hujus tam fert familiariter ;
Quid si ipse amasset? Quid mihi hic faciet patri?
Hæc ego putabam esse omnia humani ingeni,
Mansuetique animi officia: quid multis moror?
Egomet quoque ejus causſa in funus prodeo,
Nihil suspicans etiam mali. *SO.* heni, quid est?
SI. scies:
Effertur, imus. Interea inter mulieres
Quæ ibi aderant, forte unam aspicio adolescentulam,
Forma .... *SO.* bona fortasse. *SI.* & vultu; Sosia,
Adeo modesto, adeo ingenio, ut nihil supra.
Quia tum mihi lamentari præter ceteras
Visa est, & quia erat forma præter ceteras
Honesta, & liberali, accedo ad pedisſequas,
Quæ sit, rogo: sororem esse ajunt Chrysidis.
Percussit illico animum: at at, hoc illud est,
Hinc illæ lacrumæ, hinc illa est misericordia.
SO. Quam timeo quorsum evadas. *SI.* funus interim
Procedit, sequimur, ad sepulcrum venimus,
In ignem posita est, fletur. Interea hæc soror,
Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius,
Satis cum periculo: ibi tum exanimatus Pamphilus

beatum feciſti; summo gaudio affeciſti.

Familiariter. Tam ægre, tam acerbe, ut familiares solent.

Humani. Honestæ & liberalis indolis.

Prodeo. Domo exii ad exequias Chrysidis cohonestandas.

Effertur. Cadaver e domo ad rogum fertur.

Liberali. Ingenua.

Pedisſequas. Famulas.

Percussit. Hoc responso commotus sum, & attonitus: vel, subaudi, percussit suspicio animum.

At at. Nempe, mecum inquiebam, hæc illa causſa est cur Pamphilus lacrymetur; soror illa Chrysidis excitavit in illo dolorem, quem de Chrysidis morte significat. *At* geminatum admirationi exprimendæ servit, & perturbationi.

Quorsum evadas. Quonam ista recidant: quo pervenias narrando; ne funesti aliquid ad extremum narres.

Bene.

Bene dissimulatum amorem, & celatum indicat:
Accurrit præceps, mulierem ab igne retrahit,
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres,
Rejecit se in eum flens quam familiariter.
SO. Quid ais? *SI.* redeo inde iratus, atque ægre ferens:
Nec satis ad objurgandum caussæ; diceret,
Quid feci? quid commerui, aut peccavi pater?
Quæ sese voluit in ignem injicere, prohibui,
Servavi: honesta oratio est. *SO.* recte putas;
Nam si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit,
Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum?
SI. Venit Chremes postridie ad me clamitans
Indignum facinus, comperisse Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam: ego illud sedulo
Negare factum, ille instat factum: denique
Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
Neget daturum. *SO.* non tu ibi gnatum? *SI.* ne hæc quidem
Satis vehemens caussa ad objurgandum. *SO.* qui? cedo?
SI. Tute ipse his rebus finem præscripsisti pater;
Prope adest, quum alieno more vivendum est mihi:
Sine nunc meo me vivere interea modo.

Bene. Valde sedulo.

Perditum. Supinum est.

Nec satis, &c. Neque tamen mihi visus sum habere satis idoneam caussam ad objurgandum filium; potuisset enim dicere, &c.

Oratio. Excusatio. Qui hæc dicit, honeste & sapienter loquitur.

Damnum. Damnum rei est; malum hominis. *Donat.*

Indignum facinus. Rem esse propudiosam; his verbis utimur ad increpandum, idque abrupta oratione.

Comperisse. Subaudi, se.

Factum. Ita se rem habere: id vere factum esse.

Instat. Perseverat dicere.

Tute ipse. Hæc respondentem Pamphilum Simo inducit. Tu ipse, o pater, isti vitæ meæ liberiori finem præscripsisti, cum me certis nuptiis illigas: tempus instat cum ex alterius, nempe meæ uxoris, more & voluntate mihi vivendum erit....

SO. Quis igitur relictus eſt objurgandi locus?
SI. Si propter amorem uxorem nolit ducere,
Et primum ab illo animadvertenda injuria eſt:
Et nunc id operam do, ut per falſas nuptias
Vera objurgandi cauſſa ſit, ſi deneget.
Simul ſceleratus Davus ſi quid conſilii
Habet, ut conſumat nunc, cum nihil obſint doli.
Quem ego credo manibus pedibuſque obnixe omnia
Facturum, magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obſequatur gnato. *SO.* quapropter?
SI. rogas?
Mala mens, malus animus: quem quidem ego ſi ſenſero....
Sed quid opus eſt verbis? Sin eveniat (quod volo)
In Pamphilo ut nihil ſit moræ: reſtat Chremes,
Qui mihi exorandus eſt, & ſpero confore.
Nunc tuum eſt officium, has bene ut adſimiles nuptias:
Perterrefacias Davum, obſerves filium,

Quis igitur. Quænam occaſio tibi alia, & ratio videtur idonea ut eum objurges?

Animadvertenda. Puniendа.

Ab illo injuria. Græca locutio: ideſt, injuria ab illo mihi facienda, quæ ab illo fiet, ſi uxorem, præcipiente me, nolit ducere.

Id operam do. Id laboro, id ſatago.

Per falſas nuptias. Sententia eſt, ut ex iſtis ſimulatis nuptiis cauſſa mihi naſcatur juſta ejus reprehendendi, quam profecto habebo, ſi deneget.

Deneget. Recuſet uxorem ducere.

Simul... Simul id ago, ut Davus effundat ac perdat omnes ſuas fraudes, quod faciet nullo meo damno, ſi quidem ſimulatæ ſunt nuptiæ iſtæ.

Obnixe. Obſtinate, ſedulo.

Id adeo. Propter id utique.

Obſequatur. Gratum faciat.

Mala mens... Quia Davus eſt nequam & verſipellis.

Si ſenſero. Subaudi, moliri aliquam fraudem, probe ulciſcar.

Nihil ſit moræ. Ut Pamphilus non recuſet nuptias.

Exorandus. Nolebat enim filiam ſuam Pamphilo dare, a quo aliam amari norat.

Confore. Mecum illum fore conventurum, aſſenſurum mihi; rem confectum iri.

Præ-

Quid agat, quid cum illo consilii captet. *SO.* Sat est.
Curabo: eamus jam nunc intro. *SI.* I præ: sequar.
Non dubium est, quin uxorem nolit filium:
Ita Davum modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audivit: sed ipse exit foras.

I præ. Præi. Antecede. *Non, &c.* Quidam hic novam ordiuntur scenam, sed non tanti est: aliter nova quoque ducenda esset ab his verbis Scenæ II. Act. III. Non impulit me... tunc enim Simo quoque solus in theatro restat.

SCENA SECUNDA.

SIMO, DAVUS.

Simo interminatur Davo, ne quid ad nuptias disturbandas doli struat.

D. MIrabar hoc, si sic abiret, & heri semperlenitas
Verebar quorsum evaderet.
Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo,
Nunquam cuiquam nostrum verbum fecit, neque id ægre tulit.

Mirabar; &c. Mirabar Simonis lenitatem & metuebam, ne perpetua ejus indulgentia in aliquod malum desineret; quem haberet exitum verebar.

Semperlenitas. Unum quasi verbum est, ex adverbio & substantivo compactum.

Qui postquam. Adeo lenis fuit, ut, cum audisset nolle Chremetem dare filiam suam Philumenam Pamphilo, nemini nostrum id significaverit, neque id ægre ferre visus sit. Hoc mirabar; sed nunc ejus capio mentem: voluit ignorari a nobis eas, quas filio nihilominus parabat nuptias, ut illas impedire non possemus.

S. At nunc faciet; neque, ut opinor, ſine tuo magno malo.
D. Id voluit, nos ſic nec opinantes duci falſo gaudio,
Sperantes jam amoto metu, interea oſcitantes opprimi,
Ne eſſet ſpatium cogitandi ad diſturbandas nuptias:
Aſtute. *S.* carnufex quæ loquitur. *D.* herus eſt, neque prævideram.
S. Dave. *D.* hem, quid eſt? *S.* ehodum ad me. *D.* quid hic vult? *S.* quid ais? *D.* qua de re? *S.* rogas?
Meum gnatum rumor eſt amare. *D.* id populus curat ſcilicet.
S. Hoccine agis, an non? *D.* ego vero iſtuc.
S. Sed nunc ea me exquirere,
Iniqui patris eſt: nam quod antehac fecit, nihil ad me attinet?
Dum tempus ad eam rem tulit, ſivi animum ut expleret ſuum:
Nunc hæc dies aliam vitam adfert, alios mores poſtulat.
Dehinc poſtulo, ſive æquum eſt, te oro Dave,

Faciet. Loquetur, ægre ſe ferre oſtendet.

Duci. Decipi, lactari.

Gaudio. Quaſi nuptiæ futuræ nullæ eſſent, & Chremes numquam daturus eſſet ſuam filiam Pamphilo.

Sperantes. Dum ſperaremus nuptias nullas fore, nihilque metueremus mali.

Oſcitantes. Negligentes & incurioſi: oſcitare eſt hiare, os diducere, quod negligentiæ & inertiæ ſignum eſt.

Opprimi. Incautos occupari & obrui.

Aſtute. Hoc ſenis conſilium tane callidum eſt, inquit Davus.

Ad me. Subaudi, accede.

Hoccine agis? An attendis quæ dico, an alia cogitas? *hoc agere*, locutio eſt latina; eſtque ſerio de re aliqua cogitare; contrarium eſt, *aliud agere*.

Iſtuc. Pro iſtud; ſubaudi; ago, animadverto, attendo quod dicis.

Dum tempus. Dum adoleſcentia ſinebat ut liberius viveret.

Si æquum eſt. Si fas eſt, ſi dignum eſt me tecum ita loqui: te rogari ſervum a Domino.

ut redeat jam in viam.
D. Hoc quid ſit... *S.* omnes qui amant, graviter
ſibi dari uxorem ferunt.
D. Ita ajunt. *S.* tum ſi quis magiſtrum cepit ad
eam rem improbum,
Ipſum animum ægrotum ad deteriorem partem
plerumque applicat.
D. Non hercle intelligo. *S.* non? hem. *D.* non:
Davus ſum, non Oedipus.
S. Nempe ergo aperte vis, quæ reſtant, me lo-
qui. *D.* ſane quidem.
S. Si ſenſero hodie quidquam in his te nuptiis
Fallaciæ conari, quo fiant minus,
Aut velle in ea re oſtendere, quam ſis callidus:
Verberibus cæſum te in piſtrinum Dave dedam
uſque ad necem,
Ea lege atque omine, ut ſi te inde exemerim, ego
pro te molam.

In viam. Ad Officium, ad bonam frugem recipiat te ex vita liberiori.

Quid ſit. Subaudi, non capio, non intelligo quod velis.

Ita ajunt. Hoc loquuntur & credunt omnes.

Deteriorem partem. Illi perſuadet ut nolit uxorem ducere.

Oedipus. Fuit ille Laji Thebanorum Regis & Jocaſtæ filius, homo ingenioſus qui ſolus ænigma propoſitum a Sphinge explicuit: itaque ſignificat Davus ſe hominem eſſe rudem, neque idoneum intelligendis iis quæ obſcurius dicerentur, non vatem aut divinum. Hinc manavit Proverbium in homines non nimis acutos.

Quo fiant minus. Quominus fiant; Tmeſis, figura qua una vox in duas ſecatur.

Piſtrinum. Ibi molæ a ſervis nequam eo detruſis verſabantur manu.

Dedam. Conjiciam, compingam, donec ibi moriaris enectus labore. Dare, *inquit Donatus*, de ea re dicitur quam repetere velis; dedere, eſt ad perpetuum: damus & amicis; dedimus tantum hoſtibus.

Omine. Præſagio, denuntiatione. Omen eſt ſignificatio aliqua futuri eventus, quæ colligitur ex aliquo ſigno Divinæ voluntatis. Ea porro ſigna ſumebant veteres ex avium cantu, & Omen proprie dicebatur; volatu, & Auſpicium erat; vel paſtu, Tripudium. Quod autem certis ominibus ejuſmodi & auſpiciis fiebat, ratum habebatur.

Exemerim. Extraxerim, eduxerim.

Quid, hoc intellextin' ? an nondum etiam ne hoc quidem ? *D.* imo callide :
Ita aperte ipſam rem modo locutus, nihil circuitione uſus es.
S. Ubivis facilius paſſus ſim, quam in hac re, me deludier.
D. Bona verba quæſo. *S.* irrides ? nihil me fallis : ſed dico tibi,
Ne temere facias, neque tu hoc dicas tibi non prædictum : Cave.

Ubivis. In alio quolibet negotio.
Bona verba. Supple, dicito. Meliora & mitiora loquere, minis tam gravibus abſtine.
Fallis. Lates. Video tuos omnes dolos.

SCENA TERTIA.

DAVUS.

Davus moliri dolos conſtituit ; nonnihil etiam obiter & per jocum ſubjicit, unde poſtea tota fabula ſolvatur.

ENimvero, Dave ; nihil loci eſt ſegnitiæ, neque ſocordiæ,
Quantum intellexi modo ſenis ſententiam de nuptiis :
Quæ ſi non aſtu providentur, me, aut herum peſſumdabunt.
Nec quid agam certum eſt, Pamphilumne adjutem, an auſcultem ſeni.

Nihil eſt loci .... Non eſt agendum nunc ſegniter.
Aſtu providentur. Meditatis & mature paratis dolis diſturbabuntur.
Herum. Pamphilum.
Peſſumdabunt. perdent : peſſum ire proprie de navi dicitur, quæ mergitur, in imum ruit.
Adjutem. Adjuvem, ab *adjuto*.
Auſcultem ſeni. An Simoni

Si illum relinquo, ejus vitæ timeo: sin opitulor, hujus minas,
Cui verba dare difficile est: primum jam de amore hoc comperit,
Me infensus servat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam.
Si senserit, perii, aut si libitum fuerit causſam ceperit;
Quo jure, quaque injuria præcipitem me in pistrinum dabit?
Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam: hæc Andria,
Quæ clam vocatur uxor, gravida e Pamphilo est:
Audireque eorum est operæ pretium audaciam,
Nam inceptio est amentium, haud amantium;
Quicquid peperisset, decreverunt tollere:
Et fingunt quamdam inter se nunc fallaciam,
Civem Atticam esse hanc. Fuit olim quidam senex
Mercator; navem is fregit apud Andrum insulam,
Is obiit mortem: ibi tum hanc ejectam Chrysidis
Patrem recepisse, orbam, parvam: fabulæ.
Mihi quidem hercle non fit verisimile, atque ipsis commentum placet.
Sed Mysis ab ea egreditur: at ego hinc me ad forum, ut
Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat:

moni obsequar, & nihil struam fallaciæ.

Illum. Pamphilum.

Hujus. Simonis.

Verba dare. Fallere.

Servat. Observat, explorat quid agam.

Senserit. Me dolos moliri.

Causſam ceperit. Accipiet aliquam ansam & prætextum in me sæviendi jure an secus, per fas aut nefas.

Hæc Andria. Glycerium.

Est operæ pretium. Ridicula, mira est eorum audacia: juvat audire, &c.

Inceptio. Consilium.

Tollere. Educare, nutrire.

Hanc. Glycerium.

Senex. Frater Chremetis, ut post dicetur, act. 5.

Ibi tum. Ordo est: tum hanc Glycerium ejectam naufragio, orbam parente, ajunt receptam fuisse a patre Chrysidis.

Fabulæ. Hæc omnia mera commenta sunt.

Ab ea. Ab Glycerii domo.

Ad forum. Subauditur, contero ad plateam, macellum.

Opprimat. Imparatum occupet.

SCENA QUARTA.

MYSIS.

Mysis ancilla exiens a Glycerio incidit in Pamphilum.

AUdivi, Archillis, jamdudum; Lesbiam adduci jubes;
Sane pol illa temulenta est mulier, & temeraria:
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem:
Tamen eam adducam. Importunitatem spectate aniculæ,
Quia compotrix ejus est. Dii date facultatem, obsecro,
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.
Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor quid fiet:

Audivi. Ordo est. O Archillis (hæc ancilla quædam est) jam dudum audivi quod præcipis, nempe jubes me accersere Lesbiam ut Glycerio adsit laboranti.

Pol. Vox affirmantis seu jurantis, id est, per Pollucem. Solebant per Pollucem, per Ædem Pollucis, jurare tam viri quam feminæ: at per Herculem mulieres vulgo non jurabant, neque viri per Castorem.

Temulenta. Vino dedita. Temetum vox est Latina vetus, idem significans ac vinum, quia tentat mentem.

Importunitatem, &c. Id circo tam importune aniculæ hæc (Argillis videlicet) petit ut Lesbia potius quam alia vocetur, quia solet eum illa potare.

Spectate. Operæ pretium est spectare, mirari licet.

Huic. Glycerio. *Illi*. Lesbiæ.

In aliis... In aliis mulieribus adjuvandis potius peccet, quam in Glycerio, facite ut noceat aliis citius, quam Glycerio.

Quidnam. Quorsum. Quid id est quod...

Fiet. Sit. Comice.

Vereor. Id est, anxia sum & in metu propter quid ita exanimatus sit. Timeo ne quid subsit mali.

Nun-

Opperiar, ut ſciam nunquidnam hæc turba triſtitiæ adferat.

Nunquidnam. Num aliquid.
Hæc turba. Hæc Pamphili exanimati trepidatio.
Triſtitiæ. Mali, periculi.
Adferat. Portendat, allatura ſit nobis.

SCENA QUINTA.

PAMPHILUS, MYSIS.

Pamphilus de uxore ducenda monitus a Patre obſtupeſcit, dolet, quæritur; ſe fidem Glycerio datam ſervaturum pollicetur.

P. HOccine eſt humanum factum, aut inceptum? hoccine officium patris?
M. Quid illud eſt?
P. Proh Deum atque hominum fidem! quid eſt, ſi non hæc contumelia eſt?
Uxorem decrerat dare ſeſe mihi hodie, nonne oportuit
Præſciſſe me ante? nonne prius communicatum oportuit?
M. Miſeram me, quod verbum audio?
P. Quid Chremes, qui denegarat ſe commiſſurum mihi
Gnatam ſuam uxorem? id mutavit, quoniam me immutatum videt?
Itane obſtinate operam dat, ut me a Glycerio miſerum abſtrahat?

Hoccine, &c. Quis unquam homo aliquid ejuſmodi cepit conſilii, quis tam inhumane unquam egit?
Proh.... Teſtor & appello Deos hominesque, nonne hæc mera contumelia eſt!
Decrerat. Pro decreverat.
Id mutavit. Mentem mutavit: an vult jam mihi dare filiam ſuam uxorem?
Immutatum. Quamvis *immuto* ſignificet idem ac *muto*, in hoc tamen loco

Quod ſi ſit, pereo funditus.
Adeone hominem eſſe invenuſtum, aut infelicem
quemquam ut ego ſum?
Pro Deum atque hominum fidem! nullone ego
Chremetis pacto adfinitatem effugere potero? quot modis
Contemptus, ſpretus? facta, tranſacta omnia? hem
Repudiatus repetor: quamobrem? niſi ſi id eſt
quod ſuſpicor;
Aliquid monſtri alunt, ea quoniam nemini obtrudi poteſt,
Itur ad me. *M.* oratio hæc me miſeram exanimavit metu.
P. Nam quid ego nunc dicam de patre: ah
Tantamne rem tam negligenter agere? præteriens modo
Mihi apud forum: Uxor tibi ducenda eſt Pamphile hodie, inquit; para.
Abi domum (id mihi viſus eſt dicere) abi cito, & ſuſpende te.

videtur ea vox *immutatum* ſignificare non mutatum. Mutavit mentem Chremes, jam dat mihi Philumenam, an quia me videt mores & conſuetudinem cum Glycerio non mutaſſe? in ejus amore n conſtantem & immutabilem eſſe? Id autem dicit ironice; hæc enim ratio deterrere potius Chremetem debebat, quam allicere, niſi ſi vellet Chremes ægre facere Pamphilo, quod in ſequenti verſu Pamphilus queritur.

Invenuſtum. Cui Venus non : : perturbatum, infor unatum. Adhibetur autem infinitivus ad exprimendam graviorem animi perturbationem, idque abſolute, ut aiunt, ideſt nulla voce præeunte, a qua regatur.

Spretus... Ego a Chremete: quoties me illuſit?

Facta, &c. Primo nuptiæ factæ fuerunt & pactiones tranſactæ: poſt repudiatus tui, negata mihi Philumena; jam iterum offertur, & ego revocor.

Niſi ſi. Niſi forte hæc cauſa eſt, quare me revocent ad eas nuptias, quod, &c.

Monſtri. Monſtrum rem ignotam & miram ſignificat. Sententia eſt: aliquid machinantur clam, & fovent quod non ſatis capio.

Obtrudi. Invito in matrimonium collocari.

Para. Compara te ad nu-

Obſtupui : cenſen' ullum me verbum potuiſſe proloqui ?
Aut ullam cauſſam, ineptam ſaltem, falſſim, iniquam ? obmu ui.
Quod ſi ego prius id reſciſſem : quid facerem, ſi quis nunc me roget ;
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem : ſed nunc quid primum exequar ?
Tot me impediunt curæ, duæ meum animum diverſim trahunt,
Amor, miſericordiæ hujus, nuptiarum ſollicitatiò,
Tum patris pudor, qui me tam leni paſſus eſt animo uſque adhuc,
Quæ mecumque animo libitum eſt, facere; eine ego ut adverſer ? hei mihi !
Incertum eſt quid agam. *M.* miſere timeo, hoc incertum quorſum accidat ;
Sed nunc peropus eſt, aut hunc eum ipſa, aut me aliquid de illa adverſum hunc loqui :
Dum in dubio eſt animus, paullo momento huc illuc impellitur.
P. Quis hic loquitur ? Myſis ſalve. *M.* o ſalve Pamphile, *P.* quid agit ? *M.* rogas ?
Laborat e dolore, atque ex huc miſera ſollicita eſt, diem

nuptias, paratus eſto.

Cenſen'. Cenceſne ? hæc ſecunda perſona pro tertia ponitur : quis putet ?

Aut ullam &c. Refer ad, *proloqui* : hoc eſt, dicere, exponere potuiſſe . . .

Aliquid facerem. Ideſt, omnia molirer, nihil non agerem.

Sollicitatio. Preces, imperium patris, quibus ſollicitor ut uxorem hanc ſumam.

Pudor. Veneratio, obſervantia, qua illum colo.

Hoc incertum. Hæc dubitatio Pamphili.

Peropus. Valde opus, perquam neceſſarium.

Adverſum hunc. Apud hunc, cum hoc Pamphilo.

Paullo momento. Exigua vi, levi impulſu. Momentum eſt leve pondus, quod in lancem trutinæ unam injicitur, ut pondus augeatur.

Quid agit. Glycerium.

Ex hoc. Propterea in metu & cura eſt, quia hic dies modo fuerat deſtinatus

Quia olim in hunc ſunt conſtitutæ nuptiæ; tum autem hoc timet,
Ne deſeras ſe. *P.* hem! egone iſtuc conari queam?
Ego propter me illam decipi miſeram ſinam,
Quæ mihi ſuum animum, atque omnem vitam credidit?
Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim:
Bene & pudice ejus doctum atque eductum ſinam
Coactum egeſtate ingenium immutarier?
Non faciam. *M.* haud vereor, ſi in te ſolo ſit ſitum;
Sed vim ut queas ferre.... *P.* adeone me ignavum putas?
Adeone porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum,
Ut neque me conſuetudo, neque amor, neque pudor
Commoveat, neque commoneat ut ſervem fidem.
M. Unum hoc ſcio, hanc meritam eſſe ut memor eſſes ſui,
P. Memor eſſem? o Myſis, Myſis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta ſunt in animo Chryſidis
De Glycerio: jam ferme moriens me vocat;
Acceſſi: vos ſemotæ, nos ſoli; incipit;
Mi Pamphile, hujus formam, atque ætatem vides,

ſuis cum Philumena nuptiis: nec dicit a quo fuerint nuptiæ conſtitutæ, *inquit*, *jurat*, quaſi hoc etiam a Pamphilo factum ſit. Legunt aliqui, miſere ſollicita eſt.

Immutarier. Pro immutari. Mores ejus & indolem pudicam & honeſtam, inopia impelli ad ſcelus.

Ut queas ferre; Supple, timeo; ne non patri poſſis reſiſtere, qui vim tibi adhibebit, & te coget ducere Philumenam.

Scripta. Tam alte infixa ut ſi eſſent ſcripta.

Dicta. Ordo eſt: dicta Chryſidis illa ſcripta ſunt mihi in animo.

Vocat. Chryſis.

Semotæ. Vos receſſeratis paulliſper.

Hujus. Glycerii.

Clam

Nec clam te eſt, quam illi utræque res inutiles
Et ad pudicitiam, & ad tutandum rem ſient:
Quod ego per hanc te dextram oro, & ingenium tuum,
Per tuam fidem, perque hujus ſolitudinem
Te obteſtor, ne aba te hanc ſegreges, neu deſeras;
Si te in germani fratris dilexi loco,
Sive hæc te ſolum ſemper fecit maximi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus,
Te iſti virum do, amicum, tutorem, patrem.
Bona noſtra hæc tibi committo, & tuæ mando fidei.
Hanc mihi in manum dat, mors continuo ipſam occupat:
Accepi; acceptam ſervabo. *M.* ita ſpero quidem.
P. Sed cur tu abis ab illa? *M.* obſtetricem accerſo. *P.* propera.
Atque audin'? verbum unum cave de nuptiis.
Ne ad morbum hoc etiam. *M.* teneo.

Clam te eſt. Non ignoras.

Utræque res. Forma & ætas.

Rem. Opes.

Quod ego. Iſtud, *quod*, ornatui tantum ſervit, vel ſubauditur *propter*. propter quod, quocirca. Sic Virgil. 6. Æn. v. 363. *Quod te per tali jucundum lumen & auras per genitorem oro.* Dextra autem fidei conſecratur; unde quando aliquid alicui promittimus, prenſare dextram ſolemus, ut rerum quas promittimus effectricem.

Solitudinem. Penuriam propinquorum & amicorum.

Segreges. Separes.

Ab illa. Ab ædibus Glycerii.

Cave. Cave facias verbum unum, dicas quidquam Glycerio de iſtis, quæ parantur, nuptiis: ne hic etiam dolor ad ejus morbum accedat.

Teneo. Faciam, cavebo. Hic verſus perficitur initio ſcenæ ſequentis.

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

CHARINUS, BIRRHIA, PAMPHILUS.

Charinus audit ex Birrhia parari nuptias Philumenæ cum Pamphilo; ipse Pamphilus superveniens significat Charino, se ab iis vehementer abhorrere.

C. QUid ais Birrhia?
Daturne illa hodie Pamphilo nuptum?
B. Sic est. C. qui scis Birrhia?
B. Apud forum modo de Davo audivi. C. væ misero mihi!
Ut animus in spe, atque in timore usque antehac attentus fuit,
Ita postquam adempta spes est, lassus, cura confectus, stupet.
B. Quæso ædepol, Charine, quoniam id fieri, quod vis, non potest,
Velis id quod possit. C. nihil aliud, nisi Philumenam, volo.
B. Ah! quanto satius est, id operam te dare,
Istum qui amorem ex animo amoveas, quam id loqui,
Quo magis libido frustra incendatur tua.
C. Facile omnes, quum valemus, recta consilia ægrotis damus:
Tu si hic sis, aliter sentias. B. age, age ut lubet. C. sed Pamphilum.

Illa. Philumena, filia Chremetis natu major.

Usque ante hac. Semper hactenus.

Attentus fuit. Vigil, expectans rei exitum, suspensus.

Ædepol. Per ædem Pollucis: jurandi formula. Vide Sc. V. Act. I.

Qui. Quo pacto.

Hic sis. In eo statu, in quo ego sum, in meo loco.

Aliter sentias. Aliam habe-

Video : omnia experiri certum eſt prius quam pereo. *B.* Quid hic agit ?
C. Ipſum hunc orabo, huic ſupplicabo, amorem
huic narrabo meum,
Credo impetrabo, ut aliquot ſaltem nuptiis prodat dies :
Interea fiet aliquid, ſpero. *B.* id aliquid nihil eſt. *C.* Birrhia,
Quid tibi videtur ? adeone ad eum ? *B.* Quidni? ut ſi nihil impetres,
Te ſibi cavendum credat, ſi illam duxerit ?
C. Abin' hinc in malam rem cum ſuſpicione iſthac ſcelus.
P. Charinum video : ſalve. *C.* o ſalve Pamphile.
Ad te venio, ſpem, ſalutem, auxilium, conſilium expetens.
P. Neque pol conſilii locum habeo, neque auxilii copiam.
B. Sed iſtud quidnam eſt? *C.* hodie uxorem ducis ? *P.* ajunt. *C.* Pamphile,
Si id facis, hodie poſtremum me vides. *P.* quid ita? *B.* hei mihi.
Vereor dicere : huic die quæſo Birrhia. *B.* ego dicam. *P.* quid eſt ?
B. Sponſam hic tuam amat. *P.* ne iſte haud mecum ſentit. *C.* ah Pamphile.

bebis mentem atque illam in quæ nunc es.

Prius quam pereo. Quam omni ſpe excido habendæ Philumenæ.

Prodat. Differat, producat.

Fiet aliquid. Novi aliquid eveniet, dolus aliquis excogitabitur.

Nihil eſt. Iſtud, quod ſperas eventurum, nihil eſt, fruſtra a te ſperatur, non eveniet.

Adeone. Num cenſes adeundum eſſe mihi Pamphilum

Duxerit. In uxorem acceperit.

Abin' in malam rem. Vox impretantis. Per malam rem intelligitur exitium, crux, quæ ſervorum ſupplicium erat.

Scelus. Sceleratc.

Iſtuc quidnam eſt? Quæſum ita me alloqueris?

Poſtremum me vides. Nunquam te amplius videbo, certus ſum vel mori, vel alio aliquo demigrare, &c.

Haud mecum ſentit. Non id amat quod amo : valde mi-

P. Quam vellem! *C.* nunc te per amicitiam, & per amorem obſecro,
Principio ut ne ducas. *P.* dabo equidem operam. *C.* ſed ſi id non potes,
Aut tibi ſi nuptiæ hæ ſunt cordi.... *P.* Cordi! *C.* ſaltem aliquot dies
Profer, dum proficiſcor aliquo, ne videam; *P.* audi nunc jam,
Ego, Charine, neutiquam officium eſſe liberi puto:
Cum is nihil promereat, poſtulare id gratiæ apponi ſibi:
Nuptias effugere ego iſtas malo, quam tu adipiſcier.
C. Reddidiſti animum. *P.* nunc ſi quid potes. aut tu, aut hic Birrhia,
Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi.
Ego id agam, mihi qui ne detur. *C.* ſat habeo. *P.* Davum optume.
Video, cujus conſilio fretus ſum. *C.* at tu hercle haud quicquam mihi,
Niſi ea, quæ nihil opus ſunt ſciri: fugin' hinc; *B.* ego vero, ac lubens.

mihi diſſimilis eſt, ignorat quomodo ſim affectus.

Quam vellem. Subaudi; ut hanc duceres; ut ego ne illam ducerem.

Principio. Primum, primo loco: duo enim poſtulat.

Profer. Differ.

Liberi. Honeſti & liberalis.

Promereat. Cum nihil det beneficii.

Gratiæ apponi. In beneficii loco poni.

Haud quicquam mihi. Subaudi, refers, nihil mihi boni paras. Dixerat enim Birrhia, duci Philumenam a Pamphilo, quod ægre audierat Charinus.

Ego vero. Subaudi, fugio, diſcedo.

SCENA SECUNDA.

DAVUS, CHARINUS, PAMPHILUS.

Docet Davus Pamphilum ficias esse ac simulatas inter ipsum ac Philumenam nuptias.

D. DI boni! boni quid porto! sed ubi inveniam Pamphilum,
Ut metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio?
C. Lætus est, nescio quid. *P.* nihil est, nondum hæc rescivit mala.
D. Quem ego nunc credo, si jam audierit sibi paratas nuptias....
C. Audin' tu illum? *D.* toto me oppido exanimatum quærere.
Sed ubi quæram; aut quo nunc primum intendam; *C.* cessas alloqui;
D. Abeo. *P.* Dave ades, resiste. *D.* quis homo est, qui me.... o Pamphile.
Te ipsum quæro: euge o Charine; ambo opportune: vos volo.
C. Dave, perii. *D.* quin tu hoc audi. *C.* interii. *D.* quid timeas scio.

Boni quid porto! Quam bonum habeo nuptium Pamphilo renuntiandum.

Expleam. Impleam.

Nescio quid. Nescio quam ob caussam.

Nihil est. Frustra gaudio exultat, nondum istas mihi destinatas infelici nuptias rescivit, ut opinor.

Credo. Junge hoc verbum cum ultima parte sequentis versus: nempe, Quem nunc credo me quærere toto oppido exanimatum.

Intendam. Quam in partem cursum dirigam, in quem vicum tendam.

Abeo. Hac via pergo. Quidam legunt *habeo*, id est inveni ubi illum quæram.

Resiste. Mane, subsiste.

Qui me. Vocat.

Opportune. Subauditur, adestis.

Quin. Immo audi quod sum dicturus.

Quid

P. Mea quidem hercle certe in dubio eſt vita. *D.* & quid tu, ſcio.
P. Nuptiæ mihi..... *D.* & id ſcio. *P.* hodie. *D.* obtundis tametſi, intelligo,
Id paves, ne ducas tu illam, tu autem, ut ducas. *C.* rem tenes.
P. Iſtuc ipſum. *D.* atque iſtuc ipſum, nihil periculi eſt: me vide.
P. Obſecro te, quam primum hoc me libera miſerum metu. *D.* hem,
Libero: uxorem tibi jam non dat Chremes.... *P.* qui ſcis? *D.* ſcio.
Tuus pater modo me deprehendit; ait tibi uxorem dare ſe.
Hodie; item alia multa, quæ nunc non eſt narrandi locus:
Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi hæc:
Ubi te non invenio, ibi aſcendo in quemdam excelſum locum,
Circumſpicio: nuſquam: forte ibi hujus video Birrhiam,
Rogo, negat vidiſſe: mihi moleſtum, quid agam cogito:
Redeunti interea ex ipſa te mihi incidit ſuſpicio; hem!

Quid tu. Timeas.
Mihi. Parantur.
Obtundis. Moleſtus es mihi toties eadem repetendo, quamvis omnia ſciam. Ducta metaphora eſt a fabris, qui ferrum malleis tundunt crebro ictu.
Ne ducas. Tu, o Pamphile, times ne uxorem habeas Philumenam, id enim fugis: tu vero, Charine, times ne illa non tibi detur, id enim optas.
Iſthuc ipſum. Ipſiſſima res eſt, rem ipſam dicis.
Me vide. Quaſi diceret, ego unus poſſum vos a periculo & metu liberare, mihi fidite.
Ibi. Tunc.
Nuſquam. Nullibi te video.
Hujus. Subauditur, ſervum, nempe Charini qui adeſt.
Rogo. Num te viderit.
Suſpicio. Dubitandi cauſſa de nuptiarum veritate oblata eſt ex illis ipſis nuptiis, ex earum apparatu, &c.

Oſſa

Paullulum opſoni, ipſus triſtis, de improviſo nuptiæ;
Non cohærent. *P.* quorſumnam iſtuc? *D.* ego me continuo ad Chremen;
Quum illoc advenio, ſolitudo ante oſtium: jam id gaudeo.
C. Recte dicis: perge. *D.* maneo: interea introire neminem
Video, exire nemimem; matronam nullam: in ædibus
Nihil ornati, nihil tumulti: acceſſi intro, & ſpexi. *P.* ſcio;
Magnum ſignum. *D.* num videntur convenire hæc nuptiis?
P. Non opinor, Dave. *D.* opinor, narras? non recte accipis,
Certa res eſt: etiam puerum inde abiens conveni Chremis,
Olera, & piſciculos minutos ferre obolo in cenam ſeni.
C. Liberatus ſum Dave hodie tua opera. *D.* at nullus quidem.
C. Quid ita? nempe huic prorſus illam non dat. *D.* ridiculum caput?

Opſoni. Pro opſonii. Opſonium ſignificat omne cibotum genus præter panem & vinum.

Ipſus. Ipſe Simo triſtis eſt.

Non cohærent. Iſta omnia non recte inter ſe conveniunt: non accomodata ſunt nuptiis hodie celebrandis.

Illoc. Pro illuc: ad ejus domum.

Ornati. Pro ornatus, ornamenti.

Tumulti. Olim ea vox erat ſecundæ declinationis.

Opinor, narras? Correctio eſt. *Ais tu, opinor?* deſiſte opinari: immo certa eſt res.

Conveni. Inveni.

Puerum. Famulum.

Chremis. Chremis, & Chremetis in genitivo.

Obolo. Supple, emptos. Obolus autem valet noſtratis monetæ denariolos, ut ajunt, 7. & eſt ſexta pars Drachmæ.

At nullus quidem. Tu vero non es, ut putas, liberatus. Nullus, pro non.

Quid ita, &c. Quorſum me negas liberatum? nonne verum eſt Chremetem, non dare Philumenam uxorem

Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere:

Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis... *C.* Bene mones.

Ibo, etsi hercle sæpe jam me spes hæc frustrata est. Vale.

rem huic Pamphilo? tu hoc jam dixisti.

Vides. Salutas, adis, rogas.

Ambis... Eclipsis; id est enim, nihil efficies.

SCENA TERTIA.

PAMPHILUS, DAVUS.

Suadet Pamphilo Davus, ut fingat se uxorem velle ducere, idque patri renuntiet.

P. QUid igitur sibi vult pater? cur simulat? *D.* ego dicam tibi.

Si id succenseat nunc, quia non det tibi uxorem Chremes,

Ipsius sibi esse injurius videatur, neque id injuria:

Prius, quam tuum animum ut sese habeat ad nuptias, perspexerit.

Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet.

Tum illæ turbæ fient. *P.* Quid vis patiar. *D.* pater est, Pamphile,

Simulat. Velle se mihi uxorem dare.

Si id, &c. Hæc est mens tui patris, videretur sibi iniquus esse si ob id irasceretur tibi, quod Chremes nolit filiam tibi suam dare: & vere inique faceret, nisi ante exploratset quomodo sis affectus, an uxorem velis ducere, an nolis. *Si* dicas te nolle ducere, tum in te omnem culpam conjiciet, dicetque tuam libidinem & amorem erga Glycerium esse in causa cur Chremes neget tibi filiam suam: tum enimvero minas, tragœdias excitabit, &c. legunt aliqui, *ipsus tibi esse injurius videatur.*

Quid vis patiar. Feram quid-

Difficile est: cum hæc sola est mulier: dictum ac
factum; invenerit
Aliquam caussam, quamobrem ejiciat oppido,
P. ejiciat? *D.* cito.
P. Cedo igitur, quid faciam, Dave? *D.* dic te
ducturum. *P.* hem? *D.* quid est?
P. Egone dicam? *D.* cur non? *P.* nunquam fa-
ciam. *D.* ne nega.
P. Suadere noli. *D.* ea re quid fiat, vide.
P. Ut ab illa excludar, huc concludar, *D.* non
ita est.
Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem.
Ducas volo hodie uxorem: tu, ducam, inquies.
Cedo, quid jurgabit tecum; hic reddes omnia,
Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut fient,
Sine omni periculo: nam hocce haud dubium
est, quin Chremes
Tibi non det gnatam: nec tu, ea caussa, minueris
Hæc quæ facis, ne is mutet suam sententiam.
Patri dic velle; ut, cum velit, tibi jure irasci
non queat:
Nam quod tu speres, propulsabo facile: uxorem
his moribus

quidlibet? vel quid vis
patiar; nempe sinam illum
turbas facere & clamita-
re. Alii distinguunt sic:
Quid? vis patiar? visne ut
patiar uxorem invito mihi
sic obtrudi? me a Glycerio
avelli?

Difficile est. Negligere
illius querelas & convi-
cia.

Hæc. Glycerium.

Dictum ac factum. Pro-
verbii genus quo celeritas
indicatur, cum, ubi dictum
aliquid est, statim fit, seu
potius est jam factum: est
igitur idem ac celeriter,
dicto citius.

Invenerit. Inveniet.

Ejiciat. Glycerium.

Oppido. Athenis.

Fiat. Eventurum sit.

Ab illa. A Glycerio se-
parès; in Philumenæ nu-
ptias ut in parata retia con-
jiciar, & concludar.

Hic. Tunc; dum ita te
geres.

Minueris. Quamvis pro-
miseris patri te ducturum
uxorem, tamen non desi-
nes facere quæ facis, vives
ut vixisti hactenus, ut Chre-
mes in sententia negandæ
tibi suæ filiæ maneat.

Ne is. Chremes.

Ut cum. Quamvis ha-
bere velit aliquam justam
caussam tibi succensendi,
reperire nullam queat.

Nam quod, &c. Davus

sol-

Dabit nemo : inopem inveniet potius, quam te corrumpi ſinat.
Sed ſi te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris,
Aliam otioſus quæret : interea aliquid acciderit boni.
P. Itane credis? D. haud dubium id quidem eſt. P. vide quo inducas. D. quin taces?
P. Dicam: puerum autem ne reſciſcat mihi eſſe ab illa, cautio eſt :
Nam pollicitus ſum ſuſcepturum. D. o facinus audax? P. hanc fidem.
Sibi me obſecravit, qui ſe ſciret non deſerturum, ut darem.
D. Curabitur : ſed pater adeſt, cave te eſſe triſtem ſentiat.

ſolvit quod erat objectum a Pamphilo: ſic enim ille ſecum ajebat: Chremes non dabit mihi ſuam filiam; nemo item alius ſuam, qui meos mores norit : ergo quamvis negem patri me uxorem velle ducere, nihil inde mihi naſcetur mali. Reſpondet Davus, & ſpem illam refellit: falſum eſt neminem inventum iri, qui ſuam tibi filiam uxorem det : tuus enim Pater inveniet, uxoremque tibi dabit potius inopem aliquam virginem, quam te ſinat parum pudice & honeſte vivere.

Propulſabo. Refellam, diluam.

His moribus. Meis, qui parum pudici exiſtimantur, mihi his moribus prædito. Hæc de ſe Pamphilus.

Negligentem feceris. Efficies ut tuas nuptias negligentius curet.

Otioſus. Per otium, interpoſita mora.

Cautio eſt. Cavendum eſt.

Suſcepturum. Educaturum.

Qui ſe ſciret. Ut ea fide a me accepta, certo ſciret ſe a me nunquam eſſe deſerendam.

Curabitur. Impersonaliter, tanquam arduum & grave.

SCE-

SCENA QUARTA.

SIMO, DAVUS, PAMPHILUS.

Hortatur Davus Pamphilum, ut animo præsenti patrem alloquatur.

S. REVISO quid agant, aut quid capiant consilii.
D. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde ex solo loco,
Orationem sperat invenisse se,
Qua differat te: proin' tu face, apud te tu sies.
P. Modo ut possim, Dave. D. crede mihi hoc, inquam, Pamphile,
Nunquam hodie tecum commutaturum patrem
Unum esse verbum, si te dices ducere.

Reviso. Redeo ut videam.
Agant. Davus, Pamphilus, &c.
Hic. Simo. Fingitur hæc ita loqui Davus in remotiori theatri parte, ut a Simone nec videri, nec audiri possit.
Ex solo loco. Venit ex aliquo loco reducto, ubi solus secum accurate meditatus est quid tibi dicat.
Differat. Te in diversum ferat, perturbet, tua consilia disjiciat.
Face. Fac, operam da.
Apud te. Tui compos.
Modo... Subauditur, faciam id quidem, dummodo id facere possim.
Commutaturum verbum. Nihil tecum habiturum jurgii: nihil responsurum tibi: *commutare verba* est, colloquiis alternis dicere, quod altercantes facitant.

SCENA QUINTA.

BIRRHIA, SIMO, DAVUS, PAMPHILUS.

Pamphilus se obsequentem fore patri denuntiat: Birrhia, locutum serio Pamphilum ratus, illum accusat perfidiæ.

B. HERUS me, relictis rebus, jussit Pamphilum
Hodie observare, ut quid ageret de nuptiis
Scirem: id propterea nunc hunc venientem sequor.
Ipsum adeo præsto video cum Davo, hoc agam.
S. Utrumque adesse video. **D.** hem serva. *S.* Pamphile.
D. Quasi de improviso respice ad eum. *P.* hem pater.
D. Probe. *S.* hodie uxorem ducas, ut dixi, volo.
B. Nunc nostræ parti timeo, quid hic respondeat.
P. Neque isthic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. *B.* hem!
D. Obmutuit. *B.* quid dixit; *S.* facis, ut te decet,
Quum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.

Rebus. Aliis negotiis & occupationibus.

Observare. Explorare quid agat. Dicit autem hoc, tacita voce, vel ita semotus, ut a Pamphilo non possit audiri, quamvis a spectatoribus possit.

Id propterea. Propter id.

Hoc agam. Eos observabo.

Utrumque. Davum, & Pamphilum, quos antea non vidisse fingitur, vel quia remotior erat, vel quia secum tacitus aliquid cogitabat.

Serva. Vide Pamphile aut memor sis eorum, quæ dixi: ea tene.

Probe. Recte ita te convertisti

Nostræ parti. Charino & mihi.

Isthic. In his nuptiis.

Usquam erit in me moræ. Non cunctabor, non adversabor tibi, præsto ero ad omnia. *Obmutuit*. Simo.

Cum gratia. Lubenti & prompto animo id præstas quod volo.

Sum

D. Sum verus? B. herus, quantum audio, uxore excidit.
S. I'jam nunc intro: ne in mora, quum opus sit, sies.
P. Eo. B. nullane in re esse homine cuiquam fidem?
Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet,
OMNES SIBI malle melius esse, quam alteri.
Renuntiabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

Sum verus? Nonne hoc vere prædixeram?
Excidit. Amisit Philumenam, quam sperabat uxorem sibi datum iri.
Omnes, &c. Adeoque malle Pamphilum sibi Philumenam dari, quam Charino.
Renunciabo. Feram hunc nuncium malum Charino, ab eo, ut opinor, idcirco male mulctandus.

SCENA SEXTA.

DAVUS, SIMO.

Davus confirmat Simoni, Pamphilum a nuptiis nullatenus abhorrere: sub finem, aliud agens senem acute mordat.

D. HIC nunc me credit aliquam sibi fallaciam Portare, & ea me hic restitisse gratia.
S. Quid Davus narrat? D. æque quidquam nunc quidem.
S. Nihilne? hem! D. nihil prorsus. S. atque expectabam quidem.
D. Præter spem evenit; sentio: hoc male habet virum.

Hic. Simo.
Portare. Struere, machinari. Demissa voce hoc dicit, ita ut Simo clare non audiat.
Ea gratia. Eam ob rem.
Æque... Subaudi, narro, seu loquor, nihil sane nunc loquor; ad verbum; æque aliquid nunc atque antea loquor. Nihil modo loquor, cum antea nihil loquerer.
Expectabam. Dum aliquid diceres.
Evenit. Sperabat aliud a Pamphilo dictum iri.
Male habet. Torquet, uxit.

S. Potin'es mihi verum dicere? *D.* nihil facilius.
S. Num illi moleſtæ quidpiam hæ ſunt nuptiæ,
Hujuſce propter conſuetudinem hoſpitæ?
D. Nihil hercle: aut ſi adeo, bidui aut tridui eſt
Hæc ſollicitudo; noſtin'? deinde deſinet:
Etenim eam ſecum rem recta reputavit via.
S. Laudo. *D.* dum licitum eſt ei, dumque ætas tulit,
Indulſit genio, at cavit, ne umquam infamiæ
Ea res ſibi eſſet, ut virum fortem decet.
Nunc uxore opus eſt; animum ad uxorem appulit.
S. Subtriſtis viſus eſt eſſe aliquantulum mihi.
D. Nihil propter hanc rem; ſed eſt, quod ſuccenſeat.
S. Quidnam eſt? *D.* puerile eſt. *S.* Quid eſt? *D.* nihil. *S.* quin dic, quid eſt?
D. Ait nimium parce facere ſumptum. *S.* mene? *D.* te.
Vix, inquit, drachmis obſonatus eſt decem:
Num filio videtur uxorem dare?
Quem, inquit, vocabo ad cœnam meorum æqualium
Potiſſimum nunc? &, quod dicendum hic fiet,
Tu quoque perparce nimium: non laudo. *S.* tace.

Potin' es: Poteſne? veteres dicebant *potis* & *pote* pro potens, qui poteſt: eſt ne potis, potiſne es, & per ſyncopen potin' es.... id eſt poteſne? a *potis* fit potior, potiſſimus.

Quidpiam. Aliquatenus, tantiſper.

Hoſpitæ. Glycerii, quæ hoſpes & peregrina putabatur, nempe Andria: cum revera eſſet Athenienſis, ut poſtea planum fiet.

Aut ſi adeo. Aut ſi paullulum moleſtæ illi ſunt.

Recta via. Sapienter, rationem in eo negotio & officium ſecutus eſt.

Nunc &c. Nunc vero cum intelligat ſibi uxorem ducendam eſſe, ad eam rem, ad nuptias animum applicuit.

Hanc rem. Quod uxorem ſibi ducendam videat, te jubente.

Drachmis decem. Aſſibus 35. Drachma una reſpondet Romano denario, ideſt tribus aſſibus cum ſemiſſe noſtræ monetæ: ſex obolos eadem continebat.

Obſonatus eſt. Sumptum fecit in cibos coemendos.

Æqualium. Adoleſcentum ejuſdem mecum ætatis.

Quod dicendum, &c. Quod pace tua dixerim in hoc loco, filio abſente.

Perparce nimium. Subau-

D. Commovi. S. ego, iſthæc recte ut fiant, videro
Quidnam hoc rei eſt? quidnam hic vult veterator ſibi?
Nam ſi hic mali eſt quidquam, hem illic eſt huic rei caput.

laudi, ſumptum feciſti.
Commovi. Hæc oratio mea illum pupugit.
Iſthæc recte ut fiant. Ut ſplendide peragantur nuptiæ providebo.
Veterator. Verſipellis; vetus fraudum artifex. Proprio ita ſervi vocabantur, qui diuturna & ſæpe mutata ſervitute vafri & callidi evaſerant: iis opponebantur novitii, ideſt, recentes ſervi & nondum emunctæ naris.
Illic. Pro ille.
Caput. Origo, cauſſa.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

MYSIS, SIMO, DAVUS, LESBIA.

Simo, qui ab ancillis caſu audierat Glycerii partum appropinquare, id quaſi ab Davo fictum interpretatur.

M. ITa pol quidem res eſt, ut dixti Lesbia: Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.
S. Ab Andria eſt ancilla hæc: quid narras? D. ita eſt.
M. Sed hic Pamphilus.... S. quid dicit? M. firmavit fidem. S. hem.
D. Utinam aut hic ſurdus, aut hæc muta facta ſit.

Ab Andria. E domo Glycerii: una eſt ex ipſius ancillis? quid ais, o Dave?
Firmavit fidem. Promiſit ſe ducturum Glycerium, eam ſe neutiquam deſerturum.
Hic. Simo.

M. Nam quod peperiſſet, juſſit tolli. *S.* o Jupiter!
Quid ego audio? actum eſt, ſi quidem hæc vera prædicat.
L. Bonum ingenium narras adoleſcentis. *M.* optumum:
Sed ſequere me intro, ne in mora illi ſis. *L.* ſequor.
D. Quod remedium nunc huic malo inveniam? *S.* quid hoc!
Adeone eſt demens? ex peregrina? jam ſcio, ah
Vix tandem ſenſi ſtolidus. *D.* quid hic ſenſiſſe ſe ait?
S. Hæc primum adfertur jam mihi ab hoc fallacia:
Hanc ſimulant parere, quo Chremetem abſterreant.
Hui, tam cito? ridiculum: poſtquam ante oſtium

Tolli. Servari, educari. Hæc omnia inter ſe ancillæ narrant ignorantes Simonem adeſſe, & audire.

Actum eſt. Nihil amplius de meo filio, de nuptiis Philumenæ mihi ſperandum eſt. Conclamatum eſt. *Actum eſt.* Vox eſt fori, in quo actum eſſe negotium ſeu lis dicitur, quando eſt dijudicata: unde illud, actum ne agas: ideſt rem jam deciſam ne iterum in judicium voca. *Donat*.

Bonum ingenium. Mores optimos.

In morâ ſis. Diutius expectari te patiaris a Glycerio laborante.

Huic malo. Quod immineat ex iis, quæ Simo jam audivit ab ancilla. Hoc ſecum veluti dicit.

Demens. Pamphilus.

Ex peregrinâ. Subaudi, filium ſuſcepit. Veteri Athenienſium lege cautum erat, ne quis peregrinam uxorem duceret, ſed civem tantum; & illæ peregrinæ male vulgo audiebantur.

Jam ſcio. Corrigit Simo ſuam mentem. Senſus eſt; jam intelligo quid iſtæ ſibi ancillæ velint; erravi qui rem veram putaverim fieri, fraus mera eſt, quæ mihi ab hoc Davo ſtruitur: edoctæ ab illo mulieres ſimulant Glycerium parturire, ut Chremetem avocent ab danda Pamphilo ſua filia; ita nempe Davus conatur nuptias, ut video, diſturbare.

Tam cito. Itane vero tam cito tempus pariendi Glycerio adveuit? & hoc ipſo temporis puncto, quo ego ad oſtium accedo, feſtinat parere? mera eſt hæc fabula: o Dave non bene diviſiſti ſua rebus iſtis agendis tempora, non recte fraudem illam com-

Me audivit ſtate, approperat: non ſat commoda
Diviſa ſunt temporibus tibi, Dave, hæc. *D.* mihin'?
S. Num immemor es diſcipuli? *D.* ego, quid narres, neſcio.
S. Hiccine me ſi imparatum in veris nuptiis
Adortus eſſet, quos mihi ludos redderet?
Nunc hujus periculo ſit; ego in PORTUNAVIGO.

compoſuiſti: ſiccine periculum creas: tuo diſcipulo Pamphilo, quem ipſe, tam male dolum nectendo, perdis & prodis? adeone illius es immemor? alii volunt *immemores*, unam eſſe vocem, & ita exponunt: ſi tu hæc commode diviſiſti temporibus, forte tui diſcipuli, Myſis, Lesbia, Glycerium, Pamphilus, qui te fraudum habent magiſtrum, ſunt immemores, ideſt, parum aſtuti & intelligentes, qui fraudes ſuas tam male temperent, vel, obliviſcuntur ordinem a te præſcriptum.

Adortus. Aggreſſus ex inſidiis.

Quos ludos... Ut me ludificaretur, ac deciperet! legunt aliqui, *ederet*.

Nunc &c. Quidquid ab eo doli fit, in eum recidet, ego in tuto ſum.

In portu navigo. Proverbium eſt: in eos cadit, qui extra periculum & aleam ſunt.

SCENA SECUNDA.

LESBIA, ARCHILLIS, SIMO, DAVUS.

Davus in eam ſententiam adhuc magis Simonem inducit, ut credat Glycerii partum meram eſſe fabulam: cumque infantem ante fores Simonis apponere ſtatuiſſet idem Davus, ut hoc reſciens ac videns Chremes, qui mox adventurus erat, Pamphilo ſuam filiam denegaret; id quaſi mulierum fraude ac dolo faciendum eſſe Simoni prædicit; ut Simo id totum fictum ratus non male exiſtimet de Pamphilo, nihil in eum durius ſtatuat, ac nuptias porro urgeat.

L. ADHUC, Archillis, quæ adſolent, quæque que oportent,

Adhuc. Hactenus. Archillis dicit hoc, domo Glycerii egrediens.

Oportent. Antique.

Signa ad ſalutem eſſe omnia huic eſſe video.
Nunc primum facite iſthæc ut lavet; poſt deinde
Quod juſſi, ei date bibere, & quantum imperavi
Date; mox ego huc revertar.
Per Æcaſtor ſcitus puer natus eſt Pamphilo!
Deos quæſo, ut ſit ſuperſtes, quandoquidem ipſe eſt ingenio bono,
Cumque huic veritus eſt optimæ adoleſcenti facere injuriam.
S. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te eſſe ortum? *D.* quidnam id eſt?
S. Non imperabat coram, quid opus facto eſſet puerperæ,
Sed poſtquam egreſſa eſt, illis, quæ ſunt intus, clamat de via:
O Dave, itane contemnor abs te? aut itane tandem idoneus
Tibi videor, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem accurate, ut metui, videar: certe ſi reſciverim.....
D. Certe hercle nunc hic ſe ipſus fallit, haud ego. *S.* edixin' tibi?

Huic. Glycerio partu levatæ.

Lavet. Balneo utatur.

Per Æcaſtor. Per ædem Caſtoris: jurandi formula.

Scitus. Elegantulus.

Superſtes. Vitalis, ſalvus.

Cumque.... Et præterea cum &c. Et ob hanc præterea cauſſam, quod.

Facere injuriam. Eam deferendo.

Vel. Certe.

Abs te ortum. Hunc dolum a te confictum, de Glycerii partu.

Non imperabat, &c. id ſigni eſt, inquit Simo, hæc fingi, quod Archillis, quæ ad Glycerium quaſi partu levatam acceſſit, coram illa & intus non imperabat certa remedia, quæ jam illi de via foris clamat, ſcilicet ut ego iſthæc audiens & vera putans, deludat, & abſterreatur Chremes, cum hæc acciperet, ab filia ſua danda Pamphilo.

Accurate. Subaudi, dolos tuos para, & ſtrue.

Certe &c. Hoc tibi affirmo, te non impune fraudem laturum, ſi eam reſciverim.

Certe hercle. Hoc ita dicit ut audiat ſpectator, non ut Simo.

Ipſus. Pro ipſe; ut *Ollus* pro ille.

Num

Interminatus ſum, ne faceres? num veritus? quid retulit?
Credon' tibi hoc nunc, peperiſſe hanc e Pamphilo?
D. Teneo quid erret: quid ego agam, habeo. *S.* quid taces?
D. Quid credas? quaſi non tibi renuntiata ſint hæc ſic fore.
S. Mihin' quiſquam? .... *D.* Eho, an tute intellexti hoc adſimulari? *S.* irrideor.
D. Renuntiatum eſt: nam qui iſthæc tibi incidit ſuſpicio?
S. Qui? quia te noram. *D.* quaſi tu dicas factum id conſilio meo.
S. Certe enim ſcio. *D.* Non ſatis me pernoſti etiam qualis ſim, Simo.
S. Egone te? .... *D.* ſed, ſi quid narrare occœpi, continuo dari
Tibi verba cenſes. *S.* falſo. *D.* itaque hercle nihil jam mutire audeo.

Num veritus? Num imperia mea reveritus es?

Quid retulit? Quid mihi profuit minari?

Credon'. An me ſatis ſtolidum putas, qui credam tibi hoc &c.

Quid taces? Locutus quidem erat Davus, ſed ita demiſſe, & commurmurans ſecum, ut eum tacuiſſe dicat Simo.

Quid credas? Dixerat Simo tertio ab hinc verſu, credo ne tibi &c. reſpondet Davus: Non eſt opus ut hoc mihi credas: tu ipſe noſti, & dudum audiviſti fingenda fore hæc ab illis, & ſimulanda omnia.

Mihin' quiſquam? An mihi hoc dixit quiſquam? nullus certe.

Tute. Per te ſolus, nemine renunciante, certe oportuit hoc tibi ab aliquo renunciari: unde enim id ſuſpicatus eſſes?

Eho. Admirantis eſt hic, alias vocantis, interdum comminantis.

Qui. Quo pacto? unde?

Te noram. Idoneum ejuſmodi ſtruendis fraudibus.

Quaſi tu dicas. Nempe id dicis...

Etiam. Adhuc.

Egone te. Subauditur, ignoro.

Dari tibi verba. Te decipi, tibi imponi a me.

Falſo. Et erro ſcilicet, cum id cenſeo? ironia.

Hercle. Pro *Hercule*, ſive *Hercules*, ita me Hercules juvet; forma jurandi.

S. Hoc ego ſcio unum, neminem peperiſſe hic, *D.* intellextin' ?
Sed nihilo ſecius mox deferent puerum huc ante oſtium :
Id ego jam nunc tibi renuncio, here, futurum, ut ſis ſciens :
Ne tu hoc mihi poſterius dicas Davi factum conſilio, aut dolis :
Prorſus a me opinionem hanc tuam ego eſſe amotam volo.
S. Unde id ſcis ? *D.* Audivi, & credo : multa concurrunt ſimul,
Qui conjecturam hanc nunc facio ; jam primum hæc ſe e Pamphilo
Gravidam dixit eſſe ; inventum eſt falſum : nunc, poſtquam videt
Nuptias domi apparari, miſſa eſt ancilla illico
Obſtetricem accerſitum ad eam, & puerum ut adferret ſimul :
Hoc niſi ſit, puerum ut tu videas, nihil moventur nuptiæ.
S. Quid ais ? cum intellexeras id conſilii capere, cur non dixti extemplo Pamphilo ?
D. Quis igitur eum ab illa abſtraxit, niſi ego ? nam omnes nos quidem

Intellextin' ... Pro intellexiſtine ? an hoc habes pro certo ? bene eſt : vere dicis : tamen illæ ancillæ mox aferent huc puerum ante fores, nempe ut tibi hoc magis perſuadeant, illum nunc e Glycerio eſſe natum, teque ita decipiant, ac nuptias impediant.

Id ſcis. Allaturas puerum ut me decipiant.

Concurrunt. Multa ſigna & argumenta ſimul conſpirant, ut id conjiciam.

Qui. Quare, propter quæ.

Puerum ut adferret. Quem a Glycerio fingerent editum.

Hoc niſi ſit, &c. Niſi tu ipſe iſtis oculis videas puerum hunc, falſum ne puta, & crede nihil ab illis fieri ad movendas, hoc eſt impediendas tui filii cum Philumena nuptias.

Quis igitur, &c. Ego vero dixi, & id ſigni eſt quod eum, licet ægre, a Glycerio divellit.

uxo-

Scimus quàm miſere hanc amarit : nunc ſibi uxorem expetit.
Poſtremo id mihi da negotii; tu tamen has nuptias
Perge facere ita, ut ſatis, & id ſpero adjuturos Deos.
S. Immo abi intro, ibi me operire, & quod parato opus eſt, para
Non impulit me, hæc nunc omnino ut crederem :
Atque haud ſcio, an, quæ dixit, ſint vera omnia ;
Sed parvipendo, illud mihi multo maximum eſt,
Quod mihi pollicitus eſt ipſius gnatus : nunc Chremem
Conveniam, orabo gnato uxorem ; ſi impetro,
Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias ?
Nam gnatus quod pollicitus eſt, haud dubium eſt mihi,
Si nolit, quin eum merito poſſim cogere.
Atque adeo in ipſo tempore eccum ipſum obviam.

Uxorem expetit. Paratus eſt ad uxorem capiendam, quam volueris.

Parato. Parare.

Impulit me. Mihi perſuaſit.

Haud ſcio an vera ſint. Forte vera ſunt.

Parvipendo. Non admodum curo vera ſint, nec ne.

Uxorem. Subauditur, det ſuam filiam.

Quid alias. Cur alio tempore.

Nam gnatus &c. Ordo eſt. Nam non dubito quin poſſim natum cogere, nempe ad uxorem ducendam, ſi nolit præſtare quod pollicitus eſt.

In tempore. Opportune.

Eccum. Adverbium factum e gemina voce. *Ecce eum*; nempe, ecce Chremem.

SCENA TERTIA.

SIMO, CHREMES.

Simo nihil mali gravioris de filio ſuſpicans, immo infenſum Glycerio credens, Chremetem orat ut Philumenam illi uxorem det; exorat, & e ſimulatis nuptiis vera fiunt.

S. JUBEO Chremetem. C. oh te ipſum quærebam. S. Et ego te. C. optato advenis.
Aliquot me adiere, ex te auditum qui ajebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato; id viſo, tunc, an illi inſaniant.
S. Auſculta paucis, & quid ego te velim, & tu quod quæris, ſcies.
C. Auſculto, loquere quid velis.
S. Per ego te Deos oro, & noſtram amicitiam, Chreme,
Quæ incepta a parvis cum ætate accrevit ſimul,
Perque unicam gnatam tuam, & gnatum meum,
Cujus tibi poteſtas ſummâ ſervandi datur,
Ut me adjuves in hac re: atque ita, ut nuptiæ
Fuerant futuræ, fiant. C. ah? ne me obſecra,
Quaſi hoc te orando a me impetrare oporteat:
Alium eſſe cenſes nunc me, atque olim, cum dabam?

Chremetem. Subaudi, ſalvere.
Optato. Adverbium eſt.
Viſo. Venio ut reſciam.
Inſaniant. Fallantur, hoc fingant. Tu inſanis, ſi dixiſti; illi inſaniunt, ſi non audita referunt. *Donat.*
Auſculta. Audi.
Per te Deos. Te per Deos; ita elegantius ſeparatur *per* a ſuo caſu: ita Virg. *per ego has lacrymas, dextramque tuam te oro*. 4. Æn. v. 314.
Quaſi... Quaſi vero indigeas precibus, ut id a me impetres, quod ultro facturus ſum?
Cum dabam. Cum filiam meam daturum promittebam.

In

Si in rem eſt utrique, ut fiant, accerſi jube:
Sed ſi ex ea re plus mali eſt, quam commodi
Utrique; id oro te, in commune ut conſulas,
Quaſi illa tua ſit, Pamphilique ego ſim pater.
S. Immo ita volo, itaque poſtulo ut fiat, Chreme:
Neque poſtulem abs te, niſi ipſa res moneat.
C. quid eſt?
S. Iræ ſunt inter Glycerium, & gnatum. *C.* audio.
S. Ita magnæ, ut ſperem poſſe avelli. *C.* fabulæ.
S. Profecto ſic eſt. *C.* ſic hercle, ut dicam tibi,
AMANTIUM iræ, amoris redintegratio eſt.
S. Hem, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,
Dumque ejus libido occluſa eſt contumeliis:
Prius quam harum ſcelera, & lacrimæ confictæ dolis
Reducant animum ægrotum ad miſericordiam,
Uxorem demus: ſpero conſuetudine, &
Conjugio liberali devinctum, Chreme,
Dehinc facile ex illis ſeſe emerſurum malis.
C. Tibi ita videtur: at ego non poſſe arbitror

In rem. Utile.
Utrique. Pamphilo & Philumenæ, vel mihi & tibi.
Accerſi. Ut fiant nuptiæ.
In Commune. Communi amborum utilitati conſule.
Ita. Ea tantum lege volo fieri iſtas nuptias, ſi utiles in commune ſunt futuræ. *Poſtulem*. Poſtularem.
Ipſa res. Niſi res ipſa loqueretur, ac perſuaderet utile utriſque eſſe.
Audio. Itane eſt?
Avelli. Hunc ab illa.
Redintegratio. Inſtauratio, renovatio.
Ante eamus. Medeamur malo, occurramus.
Occluſa. Frænata, debilitata & impedita.
Contumeliis. Quibus eſt affectus a Glycerio.
Harum. Glycerii & ſociarum mulierum.
Reducant. Ab odio ad amorem, & Glycerii commiſerationem revocent.
Ægrotum. Malo amore laborantem; imbecillem, & reſiſtendo imparem.
Liberali. Pudicæ, & honeſtæ mulieris.

Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti,
S. Qui scis ergo istuc, nisi periculum feceris?
C. at
Istud periclum in filia fieri, grave est.
S. Nempe incommoditas denique huc omnia redit,
Si eveniat, quod Di prohibeant, discessio
At si corrigitur, quot commoditates, vide,
Principio, amico filium restitueris:
Tibi generum firmum, & filiæ invenies virum.
C. Quid istuc? si ita istuc animum induxti esse utile,
Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
S. Merito te semper maximi feci Chreme.
C. Sed quid ais? *S.* quid? *C.* qui scis eos nunc discordare inter se?
S. Ipsus mihi Davus, qui intimus est eorum consiliis, dixit;
Et is mihi persuadet, nuptias, quantum queam, ut maturem:
Num centies faceret, filium nisi sciret eadem hæc velle?
Tute a eo jam ejus audies verba; heus evocate huc Davum.
Sed eccum, video ipsum foras exire.

Hanc. Philumenam. Non diu cum ea posse vivere.
Perpeti. Pravos Pamphili mores ferre posse.
Periculum. Tentamentum, experientiam.
Redit. Recidit, ut a se invicem separentur aliquando.
Discessio. Divortium.
Corrigitur. Mutat mores Pamphilus.
Claudier. A me impediri. Vetus terminatio, pro claudi.

SCE-

SCENA QUARTA.

DAVUS, SIMO, CHREMES.

Accipit Davus a Simone, veras denique nuptias esse faciendas, non simulatas; qua res miro illum perturbat.

D. AD te ibam. S. quidnam est?
D. Cur uxor non arcessitur? jam adveſperascit. S. Audin' tu illum?
Ego dudum non nihil veritus sum, Dave, abs te, ne faceres idem
Quod vulgus servorum solet, dolis ut me deluderes,
Propterea quod amat filius. D. ego isthuc facerem? S. credidi.
Idque adeo metuens vos celavi, quod nunc dicam. D. quid? S. scies.
Nam propemodum habeo jam tibi fidem. D. tandem cognosti qui siem.
S. Non fuerant nuptiæ futuræ. D. Quid? non? S. sed ea gratia,
Simulavi, vos ut pertentarem. D. quid ais? S. sic est res. D. vide.
Nunquam quivi ego istuc intelligere: vah! consilium callidum.
S. Hoc audi: ut hinc te jussi introire, opportune hic fit mihi obviam.
D. Hem, nummam periimus? S. narro, quæ tu dudum narrasti mihi.

Arcessitur. Philumena ad nuptias celebrandas.

Audin'? Hoc Simo dicit Chremeti quasi in aurem.

Vulgus servorum. Servi plerique omnes, qui Dominos student fallere.

Isthuc. Ut dolos struerem tibi.

Pertentarem. Explorarem.

Quivi. Potui.

Ut hinc. Statim atque.

Hic. Chremes.

Nummam periimus. Hoc de-

D. Quidnam audio? *S.* gnatum ut det oro, vixque id exoro. *D.* occidi.

S. Hem, quid dixti? *D.* optume inquam factum. *S.* nunc per hunc nulla est mora.

D. Domum modo ibo: ut apparentur, dicam, atque huc renuncio.

S. Nunc te oro, Dave, quoniam solus mihi effeciſti has nuptias.

D. Ego vero solus? *S.* corrigere mihi gnatum porrò enitere.

D. Faciam hercle sedulo. *S.* potes nunc, dum animus irritatus est.

D. Quiescas. *S.* age igitur: ubi nunc est ipsus? *D.* mirum, ni domi est.

S. Ibo ad eum, atque eadem hæc, quæ tibi dixi, dicam eadem illi. *D.* nullus sum.

Quid causſæ est, quin hinc in priſtinum recta proficiſcar via?

Nihil est preci loci relictum, jam perturbavi omnia,
Herum fefelli, in nuptias conjeci herilem filium,
Feci hodie ut fierent, inſperante hoc, atque invito Pamphilo.

Hem astutias! quid si quieſſem, nihil eveniſſet mali.

Sed eccum ipsum video: occidi.

Utinam mihi esſet aliquid hic, quo nunc me præcipitem darem.

demiſſa voce dicit: heu vereor ne quid acciderit mali.

Apparentur. Nuptiæ. Legunt alii, apparetur, imperſonaliter.

Renuncio. Mox referam quo loco res tota sit, an parata sint omnia.

Irritatus. Glycerio infensus, ira provocatus.

Nullus sum. Perii, occidi.

Quid causſæ est. Quid impedit quominus recta eam in priſtinum? Frumentum veteres molis & saxis terebant; eas molas trudebant magno labore servi; iique nequam, & a Dominis huc, ſupplicii causſa, miſſi.

Preci. Precationi, precibus: non debeo veniam precando ſperare ab hero, vel Pamphilo.

Hem astutiæ! En quo fraudes noſtræ & machinæ reciderunt!

Aliquid. Locus aliquis abruptus, vorago aliqua.

SCE-

SCENA QUINTA.

PAMPHILUS, DAVUS.

Ubi audit Pamphilus veras esse suas cum Philumena nuptias, Davum auctorem mali graviter objurgat.

P. UBI illic scelus est, qui me perdidit? *D.* perii. *P.* atque hoc confiteor
Jure obtigisse, quandoquidem tam iners, tam nulli consilii
Sum: servon' fortunas meas me commisisse futili?
Ergo pretium ob stultitiam fero, sed inultum id nunquam auferet.
D. Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si evito hoc malum.
P. Sed quid ego nunc dicam patri? negabon' velle me, modo
Qui sum pollicitus ducere? quæ fiducia id facere audeam?
Nec quid me nunc faciam, scio. *D.* nec de me equidem, atque id ago sedulo.

Scelus. Sceleratus Davus.

Illic. Pro. ille, ut diximus jam.

Nulli. Antique, pro nullius.

Fortunas. Negotium tanti momenti, famam & salutem meam.

Futili. Inconsulto, vano: qui secretum effundit, &c. Translatio est, ut exponit Servius, Donatus, a vase *futili* dicto, cujus os latum & patulum, fundus angustus & acutus erat, quò utebantur in sacris Vestæ, quia aqua ad sacra Vestæ hausta in terra non ponitur, quod si fiat piaculum est, unde excogitatum est vas, quod stare non posset, sed positum statim effunderetur.

Pretium. Mercedem, pœnam.

Inultum. Impune non feret.

Id ago. Id cogito sedulò; quo pacto nempe evadam, quid de me faciam.

In-

Dicam aliquid jam inventurum, ut huic malo aliquam producam moram. *P.* oh!
D. Visus sum. *P.* Ehodum bone vir, quid ais? viden' me consiliis tuis
Miserum impeditum esse? *D.* at jam expediam. *P.* expedies? *D.* certe Pamphile.
P. Nempe ut modo. *D.* Immo melius spero. *P.* oh, tibi ego ut credam furcifer?
Tu rem impeditam, & perditam restituas? hem quo fretus siem!
Qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias.
An non dixi hoc esse futurum? *D.* dixti. *P.* quid meritus es? *D.* crucem:
Sed paullulum fine ad me ut redeam, jam aliquid dispiciam. *P.* hei mihi!
Cur non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut volo?
Namque hocce tempus præcavere mihi me, haud te ulcisci. finit,

Inventurum. Me fraudem aliquam excogitaturum.

Producam moram. Inveniam quomodo hæ pessimæ nuptiæ differantur.

Expediam. Periculo extraham.

Ut modo. Subauditur, fecisti.

Furcifer. Furciferi dicebantur illi servi, qui ob leve delictum cogebantur a Dominis ignominiæ magis quam supplicii causa, circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus & prædicare peccatum suum; simulque submonere ceteros, ne quid simile admitterent. *Donat*.

Hem quo fretus siem? Hic ille scilicet est quo mea salus dicitur!

Ad me ut redeam. Me colligam, fœcundum dolis pectus excutiam.

Dispiciam. Excogitabo, exquiram.

Spatium. Satis temporis.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

CHARINUS, PAMPHILUS, DAVUS.

Conqueritur Charinus de Pamphilo; Pamphilus de Davo, qui se aliquid inventurum fallacia ad eos expediendos pollicetur.

C. HOccine credibile est, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Ut malis gaudeat, atque ex incommodis
Alterius sua ut comparet commoda? ah!
Idne est verum? immo id genus hominum est pessumum,
In denegando modo queis pudor est paullulum,
Post ubi jam tempus est promissa perfici,
Tum necessario se aperiunt, & timent,
Et tamen res eogit eos denegare: ibi
Tum impudentissima eorum oratio est.
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? heus,

Memorabile. Num explicari verbis potest? Quis credat hoc, quis dicat, &c.

Vecordia. Improbitas, perfidia...

Comparet. Colligat.

Immo, &c. Non solum id est verissimum, ejusmodi homines reperiri; sed etiam iidem sunt longe omnium improbissimi; tunc tantummodo aliquis pudor iis adest, cum est aliquid denegandum, non audent præ pudore & verecundia aliquid denegare alteri; at ubi tempus adest præstandi promissa, coguntur ipsi suam levitatem & perfidiam patefacere: & quamvis tergiversentur ac denegare promissa timeant, tamen ipsa rei necessitate coguntur id facere, tunc, si eos urgeas, tecum ira loquentur impudenter, Quis tu es, &c.

Quis mihi es? Non cognatus, frater, &c.

Cur meam. Cur pactam mihi uxorem tibi concedam?

Pro-

Proximus ſum egomet mihi. Attamen, ubi fides eſt,
Si roges, nihil pudet: hic, ubi opus eſt,
Non verentur; illic, ubi nihil opus eſt, ibi verentur.
Sed quid agam? adeamne ad eum, & cum eo injuriam hanc expoſtulem?
Mala ingeram multa? atque aliquis dicat, mihi promoveris.
Multum: moleſtus certe ei fuero, atque animo morem geſſero.
P. Charine, & me, & te imprudens, niſi quid Di reſpiciunt, perdidi.
C. Itane imprudens? tandem inventa eſt cauſſa, ſolviſti fidem.
P. Quid tandem? *C.* etiam nunc me ducere iſtis dictis poſtulas?
P. Quid iſtuc eſt? *C.* poſtquam me amare dixi, complacita eſt tibi:
Heu me miſerum, qui tuum animum ex animo ſpectavi meo!

Proximus. Adeoque cariſſimus.

Hic, ubi &c. Non timent, nullo pudore afficiuntur, cum tibi negant promiſſa, cum ipſos opus eſſet tamen pudore maximo affici, ob ſuam inconſtantiam & perfidiam: at cum promittunt, cum ab iis aliquid petitur, tum pudore & metu afficiuntur, etſi nihil tunc opus eſt, quia libere & audacter negare poſſent, ſine nulla inconſtantiæ aut perfidiæ nota.

Mala ingeram. Probra & convicia cumulem & quaſi tela in eum jaciam.

Atque aliquis &c. Sed aliquis mihi dixerit, me nihil facere lucri iſtis conviciis in Pamphilum ingerendis; immo vero multum proficiam, &c.

Animo morem geſſero. Iram explebo meam, ultionis voluptate fruar.

Niſi quid, &c. Niſi nos aliqua ratione Dii adjuvent.

Itane imprudens? Hoccine ais te imprudentem & invitum hoc feciſſe?

Cauſſa. Prætextus; nempe quod inviſus & imprudens ducas Philumenam: putas id ſatis eſſe cauſſæ, cur dicas te promiſſa præſtitiſſe, & ſolviſſe datam mihi fidem, cum polliceberis te illam non ducturum.

Ducere. Deludere.

Poſtulas. Contendis, moliris.

Tuum animum. De te ju-

P. Falſus es. *C.* nonne tibi ſatis eſſe hoc viſum
ſolidum eſt gaudium,
Niſi me lactaſſes amantem, & falſa ſpe produceres?
Habeas. *P.* Habeam? ah neſcis quantis in malis verſer miſer,
Quantaſque hic ſuis conſiliis mihi confecit ſolicitudines
Meus carnifex. *C.* quid iſthuc tam mirum eſt, ſi de te exemplum capit?
P. Haud iſthuc dicas, ſi cognoris vel me, vel amorem meum.
C. Scio, cum patre altercaſti dudum; & is nunc propterea tibi
Succenſet, nec te quivit hodie cogere, illam ut duceres.
P. Imo etiam, quo tu minus ſcis ærumnas meas,
Hæ nuptiæ non apparabantur mihi,
Nec poſtulabat nunc quiſquam uxorem dare.
C. Scio, coactus tua voluntate es. *P.* mane,
Nondum ſcis. *C.* ſcio equidem illam ducturum eſſe te.

judicavi ex me ipſo: talem te fore erga me judicavi, qualis ego eram, nempe ſincerus, verax.

Falſus. Deceptus.

Hoc. Quod Philumena tibi daretur.

Lactaſſes. Tuis promiſſis ac ſpe bona illectum decepiſſes.

Produceres. In longum duceres: ſpe falſa & expectatione detineres.

Habeas. Serva tibi ſane Philumenam.

Si de te. Si tecum agit, quomodo tu cum aliis, & mecum agis: ſi te imitatur, ſi tibi eam præſtat fidem, quam præſtas aliis.

Altercaſti. Joco hæc dicit: innuit certandum diu non fuiſſe cum Pamphilo, ut cogeretur ad iſtas nuptias.

Immo etiam. Contra vero: vel ſubauditur *audi*, immo etiam hoc audi: hoc amplius accipe: iſtæ nuptiæ non apparabantur mihi.

Quo tu minus, &c. Id eſt, ex quo parum meas noſti ærumnas: quod ipſum argumento eſt te meas ærumnas minime noſſe.

Tua voluntate. Ironice, ideſt, nemo te coegit, hoc voluiſti; te volente hoc factum eſt.

Mane. Sine, dum abſolvam cetera.

P. Cur me enecas? hoc audi: nunquam deſtitit
Inſtare, ut dicerem eſſe ducturum patri,
Suadere, orare, uſque adeo donec perpulit.
C. Quis homo iſthuc? *P.* Davos. *C.* Davos? quamobrem? *P.* neſcio,
Niſi mihi Deos ſatis ſcio fuiſſe iratos, qui auſcultaverim.
C. Factum eſt hoc Davè? *D.* factum. *C.* hem, quid ais, ſcelus?
At tibi Di dignum factis exitium duint.
Eho, dic mihi, ſi omnes hunc conjectum in nuptias
Inimici vellent: quod, niſi hoc conſilium, darent?
D. Deceptus ſum, at non defatigatus. *C.* ſcio.
D. Hac non ſucceſſit, alia aggrediemur via.
Niſi id putas, quia primo proceſſit parum,
Non poſſe jam ad ſalutem converti hoc malum.
P. Immo etiam: nam ſatis credo, ſi advigilaveris,
Ex unis, geminas mihi conficies nuptias.
D. Ego, Pamphile, hoc tibi pro ſervitio debeo
Conari manibus, pedibus noctesque, & dies;
Capitis periculum adire, dum proſim tibi:
Tuum eſt, ſi quid præter ſpem evenit, mihi ignoſcere.

Enecas. Excrucias.
Deſtitit. Davus.
Perpulit. Perſuaſit ut dicerem.
Iſthuc. Fecit.
Davos. Pro, Davus.
Auſcultaverim. Illi morem geſſerim.
At. Iſta particula initio ſententiæ prefixa increpationi ſervit.
Duint. Dent, comice.
Conjectum. Coactum ad has nuptias: iis implicatum.
Immo etiam. Contra vero: vel, recte dicis.
Advigilaveris. Si vires & induſtriam contendas.
Ex unis. Pro unis nuptiis in duas me conjicies.
Pro ſervitio. Quia tuus ſum ſervus, debeo conari, &c.

Se-

Parum succesſit quod ago, at facio ſedulo.
Vel melius tu aliud reperi, me miſſum face.
P. Cupio: reſtitue, in quem me accepiſti locum.
D. Faciam. *P.* at jam hoc opus eſt. *D.* hem, ſt, mane crepuit a Glycerio oſtium.
P. Nihil ad te. *D.* quæro. *P.* hem, nunccine demum? *D.* at jam hoc tibi inventum dabo.

Sedulo. Ex animo, cum fide, & diligentia, ſine dolo.

Miſſum face. Dimitte me, noli de me conqueri, vel potius, opera mea non utere, me tanquam inutilem omitte, domo tua ejice.

Cupio. Equidem te miſſum faciam, & tua ope atque opera libens in poſterum carebo, ſed ante tamen reſtitue me in eum ſtatum in quo eram, cum incepiſti curam hujus negotii, nempe antequam promiſiſſem hortatu tuo, me duſturum Philumenam.

Jam. Nulla interpoſita mora ſtatim hoc facto eſt opus.

St. Vocula ſilentium imperantis.

A Glycerio. Ex domo Glycerii.

Nihil ad te. Omitte curam iſtam quæ te non ſpectat, videlicet quid agatur apud Glycerium.

Quæro. Aliquid fraudis.

Nunccine. Num nunc tandem quod quærebas inveniſti?

Dabo inventum. Statim invenero, quieſce.

SCENA SECUNDA.

MYSIS, PAMPHILUS, CHARINUS, DAVUS.

Pamphilus a Myſide acceſſitus, Glycerium convenit: Charinus interim dum fraudem Davus ſtruit, domum ſe recipit, ab eo tempore mœrendus.

M. JAm, ubi ubi erit, inventum tibi curabo, & mecum adductum

Ubi ubi. Quocumque in loco.

Ani-

Tuum Pamphilum : tu modo, anime mi, nolite macerare.

P. Myſis. *M.* quid eſt? hem Pamphile, optume mihi te offers. *P.* quid eſt?

M. Orare juſſit, ſi ſe ames, hera, jam ut ad ſeſe venias:

Videre ait te cupere. *P.* vah, perii: hoc malum integraſcit:

Siccine me, atque illam opera tua tunc miſeros ſollicitarier?

Nam idcirco accerſor, nuptias quod mihi apparari ſenſit.

C. Quibus quidem quam facile poterat quieſci, ſi hic quieſſet.

D. Age, ſi hic non inſanit ſatis ſua ſponte, inſtiga. *M* atque ædepol

Ea res eſt; propterea que nunc miſera in mœrore eſt. *P.* Myſis,

Per omnes tibi adjuro Deos, nunquam eam me deſerturum;

Non, ſi capiundos mihi ſciam eſſe inimicos omnes homines.

Hanc mihi expetivi: contigit; conveniunt mores: valeant

Anime mi. O Glycerium.

Macerare. Dolore conficere.

Hoc malum. Mea meleſtia, Glycerii ſollicitudo.

Integraſcit. Integratur, renovatur.

Opera tua. Tua Dave impudentia.

Quieſci. Poteramus eſſe quieti, & liberi iſto metu, ſi quietus Davus, & otioſus fuiſſet, ſi ſe in hoc negotium non interpoſuiſſet.

Inſanit. Pamphilus furit atque æſtuat odio & ira ...

Inſtiga. Accende illum magis; ironice.

Ædepol. Per ædem Polucis.

Ea res eſt. Ea ipſa cauſſa eſt, quam dixiſti, cur Glycerium doleat, teque accerſat, quia de tuis nuptiis audivit.

Adjuro, Juro, affirmo juratus.

Capiundos ... Mihi omnes homines iratos idcirco atque inimicos fore.

Conveniunt. Similes ſunt illius mores meis.

Contigit. Voti compos factus ſum:

Valeant. Faceſſant, longe ſint: vox renuntiationis & imprecationis.

Re-

Qui inter nos diſſidium volunt; hanc, niſi mors,
mihi adimet nemo.
C. Reſipiſco. P. non Apollinis magis verum,
atque hoc reſponſum eſt.
Si poterit fieri, ut ne pater per me ſtetiſſe credat,
Quominus hæ fierent nuptiæ, volo: ſed ſi id
non poterit;
Id faciam, in proclivi quod eſt, per me ſtetiſſe ut credat.
Quis videor? C. miſer æque, atque ego. D. conſilium quæro. C. at ut fortis es.
P. Scio quid cupere. D. hoc ego tibi profecto effectum reddam.
P. Jam hoc opus eſt. D. Quin jam habeo. C. quid eſt? D. huic, non tibi, habeo, ne erres.
C. Sat habeo. P. Quid facies? cedo. D. dies hic, mihi ut ſit ſatis, vereor,

Reſipiſco. Reſpiro ex metu: bono jam ſum animo.

Reſponſum. Oraculum.

Ut ne. Ut non credat pater iſtas nuptias operâ meâ impeditas fuiſſe; gaudebo ſane, ſed ſi &c.

In proclivi quod eſt. Quod eſt facile & paratum.

Per me ſtetiſſe. Per me factum eſſe, ne fierent.

Quis videor? Subaudi, tibi. Quid de me jam cenſes; quem eſſe me putas?

Conſilium. Fraudem, rationem te expediendi: hoc dicit Pamphilo quaſi tacitus.

Fortis es. Hoc dicit Charinus Pamphilo non audiens, vel contemnens quæ a Davo interpoſita fuere: es quidem, ut ego ſum, miſer, qui laboresac periclieris ne amittas ſponſam: at præterea fortis & generoſus es, qui paratus ſis tam fortiter agere pro Glycerio cum tuo patre, & illi profiteri te in cauſſa eſſe, cur iſtæ nuptiæ non fiant: ita quæſo, perge; Glycerium tuam ne deſere.

Scio. Dicit hoc Pamphilus Davo: Scio te machinari aliquid.

Effectum reddam. Effectum dare, reddere, eſt exequi, perficere, &c.

Jam. Sine mora opus eſt hoc effici.

Quin. Atqui percommode conſilium, fraudem inventam habeo.

Huic. Pamphilo, in ejus gratiam & commodum, non in tuum, hoc inveni, & habeo in promptu.

Sat habeo. Plura non quæro.

Dies, &c. Vereor ne non ſatis longus hic ſit dies ad id, quod meditor, perficiendum, ac proinde non habeo ſa-

Ad agendum; ne vacuum esse me nunc ad narrandum credas.

Proinde hinc vos amolimini, nam mihi impedimento estis.

P. Ego hanc visam. *D.* quid tu? quo hinc te agis? *C.* verum vis dicam? *D.* immo etiam. Narrationis incipit mihi initium. *C.* Quid me fiet?

D. Ergo tu impudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo,

Quantum huic promoveo nuptias? *C.* Dave attamen .... *D.* quid ergo?

C. Ut ducam. *D.* ridiculum. *C.* huc face ad me ut venias, si quid poteris.

D. Quid veniam? nihil habeo. *C.* attamen, si quid .... *D.* age, veniam. *C.* si quid ....

Domi ero. *D.* tu Mysis, dum exeo, parumper operire hic. *M.* quapropter?

D. Ita facto est opus. *M.* matura. *D.* jam inquam hic adero.

satis otii ad narranda, tibique non sunt opus.

Ne. Pro, nedum, hic ponitur.

Amolimini. Amovete: abite hinc.

Immo etiam, &c. Ah factum male! mihi iste (Charinus) quasi si otiosus essem longam aliquam incipit narrationem: non vacat mihi te audire.

Dieculam. Meram exiguam unius diei tibi do.

Quantum. Interea dum.

Promoveo. Differo, impedio.

Attamen. Subaudi, noli me deserere.

Quid ergo? Subaudi, vis, petis.

Ducam. Philumenam.

Ridiculum. O te hominem ridiculum! vel, rem ridiculam rogas, non recte hoc a me petis quod in potestate mea non est: sed hoc tantum efficere conabor, ut ne illam ducat Pamphilus.

Face. Fac, operam da.

Quid veniam. Propter quid?

Nihil habeo. Subaudi, quod tua causa facere possim.

Age veniam. Ea vox, *age*, vix concedentis. Esto, sane veniam.

Si quid. Subaudi, monitum me voles, si quid me juvare poteris, manebo domi ut te expectem, veni.

Dum exeo. Dum hinc abeo, brevi reversurus.

SCENA TERTIA.

MYSIS.

Sortem Glycerii Mysis deplorat.

NIhilne esse proprium cuiquam? Dii vestram fidem!
Summum bonum esse here putabam hunc Pamphilum:
Amicum, patronum, virum, in quovis loco
Paratum: verum ex eo nunc misera quem capit
Dolorem! facile hic plus mali est, quam illic boni.
Sed Davus exit; mi homo, quid istud obsecro est?
Quo portas puerum?

Esse proprium. Nonne merito dolendum est nullum esse homini ulli bonum perpetuum ac stabile, quod suum dicere jure possit?

Dii vestram fidem. Admirantis est, ego vos testes hujus rei appello, superi, vel imploro vestram fidem, ideſt, opem & auxilium, *Donat.*

Loco. Re, negotio, periculo.

Facile. Omnino.

Hic. In eo periculo, in quo nunc versatur, & metu.

Illic. In beneficiis, quæ a Pamphilo accepit.

SCENA QUARTA.

DAVUS, MYSIS.

Davus puerum fasciis involutum ex ædibus Glycerii exportat ante fores Simonis. Vide Scenam 2. Act. 3. intervenit Chremes. Sic nuptias disturbare conatur Davus, quod erat Pamphilo jam pollicitus.

D. MYsis, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem exprompta memoria, atque astutia.
M. Quidnam incepturus? D. accipe a me hunc ocyus,
Atque ante nostram januam appone. *M.* obsecro,
Hunc ne? *D.* ex ara hinc sume verbenas tibi,
Atque eas substerne. *M.* quamobrem id tute non facis?
D. Quia, si forte opus sit ad herum jusjurandum mihi
Non apposuisse, ut liquido possim. *M.* intelligo:
Nova nunc religio in te isthæc incessit: cedo.
D. Move ocyus te, ut quid agam, porro intelligas.

Exprompta. Expedita.

Memoria. Ut præcepta Davi retineat, vel, intelligentia & attentione.

Hunc. Infantem.

Nostram. Simonis.

Ex ara. In theatro cum fiebat comœdia, extruebatur ara Apollini, cui comœdia omnis dicata erat, ut Baccho tragœdia, cui sua in tragœdiis erat etiam ara. Malim tamen intelligere hoc de ara, quæ in domorum atrio Vestræ posita vulgo erat; unde & vestibulum pars ea domus dicebatur.

Sume. Quas puero substernas. *Verbenas.* Herbæ sunt in sacris adhiberi solitæ, quæ tum in ara erant.

Jusjurandum. Si opus sit jusjurandum, pro si opus sit jurejurando. Si cogat me herus jurare, possim citra mendacium affirmare & jurare adauctor, me non apposuisse hunc puerum ad fores.

Religio. Scrupulum vulgo dicimus.

Cedo. Da mihi puerum in manus.

Spon-

Proh Jupiter! *M.* quid? *D.* ſponſæ pater intervenit:
Repudio conſilium, quod primum intenderam.
M. Neſcio quid narres. *D.* ego quoque hinc ab dextera
Venire me adſimulabo; tu, ut ſubſervias
Orationi, utcumque opus ſit, verbis, vide.
M. Ego quid agas, nihil intelligo: ſed ſi quid eſt,
Quod mea opera opus ſit vobis, aut ut plus vides,
Manebo, ne quid veſtrum remorer commodum.

Sponſæ. Philumenæ.
Repudio. Abjicio: videtur Davus aliquid dicturus aut acturus quidpiam fuiſſe, ſi Chremes non interveniſſet, verbi gratia ut Chremetem moneret de puero appoſito.
Intenderam. Animo deſtinaram.
Ego quoque. Quia Chremes etiam veniebat alia ex parte.
Subſervias. Adjuves ea quæ dicturus ſum, tuis verbis.
Utcumque opus ſit. Ubicumque neceſſe fuerit, quantum oportebit.
Plus vides. Es me prudentior, & aſtutior; plus ſapis.

SCENA QUINTA.

CHREMES, MYSIS, DAVUS.

Chremes cum Simonem conveniret, eum de paratis nuptiis moniturus, offendit puerum ad fores Simonis: audit a Myſide puerum hunc eſſe Pamphili a Glycerio filium, adeoque ſtatuit filiam ſuam Pamphilo non dare, quod maxime volebat Davus.

C. REvertor, poſtquam quæ opus fuere ad nuptias
Gnatæ, paravi: ut jubeam accerſi: ſed, quid hoc?

Revertor. Domum Simonis ex mea.
Accerſi. Pamphilum ex domo paterna cum Simone ad celebrandas nuptias evocari.

Puer hercle est: mulier tunc appositi hunc?
M. ubi
Illic est? *C.* Non mihi respondes? *M.* hem, nusquam est: væ misere mihi!
Reliquit me homo, atque abiit. *D.* Di vestram fidem!
Quid turbæ est apud forum? quid illic hominum litigant
Tum annona cara est: quid dicam aliud, nescio.
M. Cur tu, obsecro, hic me solam? *D.* hem, quæ hæc est fabula?
Eho Mysis, puer hic unde est? quisve huc attulit?
M. Satin' sanus es, qui me id rogites? *D.* quem igitur rogem,
Qui hic neminem alium video? *C.* miror unde sit.
D. Dicturan' quod rogo? *M.* An! *D.* concede ad dexteram.

Ubi est? Subaudi, Davus. Abierat Davus, ut ne incideret in Chremetem: Mysis, quo excessisset ignorans, eum requirit, ac circumspicit.

Illic. Pro, ille; antique.

Nusquam est. Davus, evasit, evanuit.

Quid turbæ, &c. Davus ex improviso rediens, fingit se e macello venire, ne quid Chremes doli suspicetur. Dii boni, inquit, ut in foro turbatur, quot homines illic jurgant inter se! nimirum annona cara nunc est, triticum venditur solito carius.

Quid hominum. Quot homines, quantum hominum!

Quid dicam. Hoc dicit clam & secum. Nescio quid dicam commodius ad decipiendum Chremetem, siquidem fingo me venire ex foro.

Solam. Subaudi, reliquisti. Ad eam interrogationem nihil reponit Davus, ne quid Chremeti subolcat.

Fabula. Fraus, dolus: ita Davus agit ut si Chremeti persuadere vellet, hunc puerum per fraudem ab Glycerio & mulierculis ejus sociis deportatum ad fores Simonis fuisse, eo consilio ut nuptias Pamphili disturbarent: sic enim & Pamphili famæ videtur consulere, & Chremeti, tamen vehementem injicit suspicionem, ac sollicitudinem.

Neminem alium video. Viderat tamen Chremetem, sed consulto dissimulat.

Miror. Ignoro, non capio quis hunc puerum huc afferre potuerit.

Dicturan'. An dices mihi quod a te peto, perges ne aliud dicere? hoc tacitus dicit & feriens Mysidem, unde illa exclamat.

Au! quod dolentis & queritantis est.

Concede. Idest, ito, cede.

Non

M. Deliras: non tute ipſe? *D.* verbum ſi mihi
Unum, præterquam quod te rogo, faxis, cave.
M. Maledicis. *D.* unde eſt? dic clare? *M.* a vobis. *D.* ah ah ah.
Mirum vero, impudenter mulier ſi facit.
C. Ab Andria eſt ancilla hæc, quantum intelligo.
D. Adeone videntur vobis eſſe idonei,
In quibus ſic illudatis? *C.* veni in tempore
D. Propera adeo puerum tollere hinc ab janua:
Mane, cave quoquam ex iſtoc exceſſis loco.
M. Di te eradicent, ita me miſeram territas.
D. Tibi ego dico, an non? *M.* quid vis? *D.* at etiam rogas?
Cedo, cujum puerum hic appoſuiſti, dic mihi.
M. Tu neſcis? *D.* mitte id quod ſcio, dic quod rogo.
M. veſtri.... *D.* cujus veſtri? *M.* Pamphili. *D.* hem, quid Pamphili?
M. eho, an non eſt? *C.* recte ego ſemper fugi has nuptias.

Non tute ipſe. Nonne tu ipſemet hunc puerum attuliſti?

Verbum ſi, &c. Hoc tacitus ancillæ dicit, minas intentans, vetanſque ne puerum a ſe ipſo allatum dicat.

Verbum faxis. Pro feceris: faxo, faxis, ideſt, ſi quid dixeris.

Maledicis. Comminaris.

Unde eſt. Hic puer.

A vobis. A Domo veſtræ Glycerii, Pamphili veſtri filius eſt.

Mirum vero, &c. Id mirum non eſt, ſi mulier hæc impudenter mentitur, hoc mulieribus ſollemne.

Ab Andria. Ex Glycerii domo, & familia: dicit hoc Chremes quaſi ſecum & remotus ab Davo ac Myſide, qui nondum eum vidiſſe finguntur.

Videmur. Davus alloquitur Myſidem quaſi ancillam Glycerii, a mulierculis ſubmiſſam ad puerum defetendum, & nuptias Pamphili cum Glycerio detegendas.

Vobis. Glycerii famulabus.

In tempore. Opportune, ut veritatem pernoſcerem. Cum proviſus ſit, interveniſſe putat. *Donat.*

Mane. Hoc demiſſa voce dicit, vetatque clam ne faciat, quod palam & clare, ut audiret Chremes, illi imperaverat. Myſis, quæ conſilium Davi non intelligit, cum eo rixatur ſerio.

Exceſſis. Pro exceſſeris.

Cujum. Accuſativus a cujus, cuja, cujum; iſte puer

D. O facinus animadvertendum! M. quid clamitas?
D. Quemne ego heri vidi ad vos adferri veſperi?
M. O hominem audacem. D. verum; vidi Cantharam
Suffarcinatam. M. Dis pol habeo gratias,
Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberæ.
D. Næ illa illum haud novit, cujus cauſſa hæc incipit.
Chremes, ſi poſitum puerum ante ædes viderit,
Suam gnatam non dabit: tanto hercle magis dabit.
C. Non hercle faciet. D. nunc adeo, ut tu ſis ſciens,
Ni puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam
Provolvam, teque ibidem provolvam in luto.
M. Tu pol, homo, non es ſobrius. D. fallacia
Alia aliam trudit: jam fuſurrari audio,
Civem Atticam eſſe hanc. C. hem. D. coactus legibus

quē hic appoſuiſti, cujus eſt.

O facinus. O mendacium puniendum!

Quemne ego... Num ille ipſe eſt puer, quem ego vidi ad ædes Glycerii afferri aliunde, heri ſub veſperam, ut nempe huc apponeretur poſtridie, quaſi eſſet Pamphilii; ita eſt, vidi enim ancillam Cantharam pondus aliquod faſciis involutum geſtare.

Verum. Subaudi, eſt: ita eſt, ut dico.

Suffarcinatam. Sarcina, pannis, &c. onuſtam.

Liberæ. Quod mulieres liberæ, & non tantum famulæ, adeſſent eo tempore quo iſte puer natus eſt e Glycerio; earum enim teſtimonium repudiari non poterit, ut famularum poteſt: mancipiorum enim teſtimonium non valebat.

Næ illa, &c. Hæc ancilla certe non novit indolem Chremetis, quem ut a nuptiis abſterreat, puerum hunc, quamvis falſo, eſſe Pamphili narrat, ſic enim ſecum illa cogitat; ſi Chremes viderit puerum ante Simonis januam, non dabit Pamphilo ſuam filiam; res aliter ſe habet: vir ille eſt bonus, & ut ab Glycerio ignota mulierecula Pamphilum abſtrahebat, illi ſuam filiam libenter dabit. Dicit hoc Davus, ſimulans ſe Chremetem non videre, qui hæc audiens, tacitus (ita tamen ut ſpectator audiat) reſpondet, falleris o Dave, non certe Chremes, de quo loqueris, faciet, quod dicis; non dabit Pamphilo ſuam gnatam ſic.

Fallacia. En mendacium aliud ex alio naſcitur, vel de-

Eam uxorem ducet. *M.* eho obsecro, an non civis est?

C. Jocularium in malum insciens pene incidi.

D. Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus advenis:

Ausculta. *C.* Audivi jam omnia. *D.* anne tu omnia?

C. Audivi, inquam, a principio. *D.* audistin' obsecro? hem

Scelera? hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi.

Hic ille est, non te credas Davum ludere.

M. Me miseram: nihil pol falsi dixi, mi senex.

C. Novi rem omnem: sed est Simo intus? *D.* est.

M. Ne me attingas scelestè: si pol Glycerio non omnia hæc....

D. Eho inepta, nescis quid sit actum. *M.* qui sciam?

D. Hic socer est: alio pacto haud poterat fieri,

Ut sciret hæc, quæ volumus; *M.* prædiceres.

detegitur: ut falsum est hunc puerum esse Pamphili, ita perinde falsum est quod audio mussitari a quibusdam, Glycerium esse civem Atticam.

Eam. Glycerium.

Jocularium. Ridiculum. Ego, inquit Chremes, dum huc venio, agnovi casu malum & periculum, quod mihi & meæ filiæ imminebat, tot fabulis tamen permixtum, ut in dolore risum vix teneam.

Per tempus. Tempestive: id dicit quasi ipsum non providisset antea.

Scelera. Mendacia quæ istæ mulieres sceleratæ comminiscuntur, ac doli quos machinantur; quæ hunc puerum Pamphili esse dicant, cum revera suppositicius sit.

Hanc. Mysidem, quæ scelerum illorum est administra.

Hic ille est. Quem ludis, o Mysis, tibi res cum Chremete est, non tantum mecum; illius negotium agitur, pœnas illi dabis.

Ne me attingas. Fingitur Davus manu per jocum impellere Mysidem, quasi gratulans sibi re bene gesta.

Non omnia hæc. Renunciavero; Aposiopesis.

Socer. Chremes pater Philumenæ.

Quæ volumus. Nempe Pamphilum Glycerii nuptiis jam esse irretitum.

Prædiceres. Quin antea me de tuo consilio monebas?

D. Paullum intereſſe cenſes, ex animo omnia
Ut fert natura facias, an de induſtria?

Paullum, &c. Parum ne diſcriminis eſſe arbitraris inter ea quæ indole & natura duce facimus, & quæ ante: melius tu partes tuas & perſonam egiſti non monita; nam ſic natura, & ex animo locuta es, adeoque fidem Chremeti majorem feciſti.

SCENA SEXTA.

CRITO, MYSIS, DAVUS.

Crito Sobrinus Chryſidis ex Andro Athenas veniens, ut ejus demortuæ bona lege poſſideret, deduci ſe ad Glycerium poſtulat.

C. IN hac habitaſſe platea dictum eſt Chryſidem,
Quæ ſe inhoneſte optavit parare hic divitias
Potius, quam in patria honeſte paupera vivere:
Ejus morte ea ad me lege redierunt bona:
Sed quos perconter video: ſalvete. *M.* obſecro,
Quem video? eſtne hic Crito, ſobrinus Chryſidis?
Is eſt. *C.* o Myſis ſalve. *M.* ſalvus ſit Crito.
C. Itan' Chryſis? hem. *M.* nos quidem pol miſeras perdidit.

Dictum eſt. Subaudi, mihi.

Quæ ſe. Ordo eſt: quæ optavit potius, quæ maluit ſe parare divitias, quam &c.

Paupera. Antique.

Ea. Bona Chryſidis.

Lege. Jure quod mihi lex dat, quia ſum illius Sobrinus. Nam ex lege qui ſunt genere proximi ex inteſtato, ad cernendam hereditatem vocantur.

Quos perconter. A quibus reſcire, quod quæro, poſſim.

Sobrinus. Sororis Chryſidis filius. Sobrini ſeu conſobrini ſunt duarum vel plurium ſororum filii, quaſi Sororini: quidam Sobrinos volunt eſſe filios conſobrinorum; norat autem Myſis Critonem, quæ in Andro illum viderat, antequam illinc Chryſis diſcederet cum Glycerio & Myſide.

Itan'. Subaudi, mortua eſt?

Quo

C. Quid vos? quo pacto hic? satin' recte? M. nosne? sic
Ut quimus, ajunt, quando ut volumus, non licet.
C. Quid Glycerium? jam hic suos parentes reperit?
M. Utinam. C. an nondum etiam? haud auspicato huc me appuli:
Nam pol, si id scissem, nunquam huc retulissem pedem:
Semper enim ejus dicta est hæc, atque habita est soror,
Quæ illius fuerunt, possidet: nunc me hospitem
Lites sequi, quam hic mihi sit facile, atque utile,
Aliorum exempla commonent, simul arbitror
Jam esse aliquem amicum, & defensorem ei: nam fere
Grandiuscula jam profecta est illinc: clamitent
Me sycophantam hereditatem persequi,
Mendicum: tum ipsam despoliare non libet.

Quo pacto hic. Subaudi, Vivitis?

Ut quimus. Vivimus. ut possumus, siquidem non licet vivere ut vellemus.

Haud auspicato. Infeliciter: nihil maioris momenti aggrediebantur Romani, nihil evenire posse credebant e sententia nisi captis auspiciis, ideſt, Deorum numine consulto, & significata per avium cantum, pastum, &c. eorum voluntate: auspicato verò fieri dicebatur id quod fiebat bonis auspiciis, & felicibus.

Me appuli. Me contuli, accessi.

Retulissem Antique pro, tulissem, legitur & *retulissem.*

Hæc. Glycerium.

Illius. Chrysidis.

Hospitem. Peregrinum, non civem.

Lites sequi. Lites movere de bonis Chrysidis, quæ mea sunt, non Glycerii.

Facile ... Ironia: nempe aliorum exemplis moneor rem & arduam & periculosam esse.

Illinc. Ex Andro.

Clamitent. Palam dicent homines me calumniatorem esse, injustæ litis artificem.

Sycophanta proprie is est qui indicat furem ficuum. Ficus in Attica publice servabantur, ut apud nos vineæ cum maturescunt racemi: & ficuum publici custodes accusabant, deferebantque eos, a quibus carpi ficus vidissent; quod quia sæpe injuria faciebant, ideo ficuum delator, sive sycophanta, pro ca-

M. O optume hospes pol, Crito, antiquum obtines.

C. Duc me ad eam, quando huc veni, ut videam *M.* maxume.

D. Sequar hos: nolo me in tempore hoc videat senex.

luminatore dictus est.

Antiquum obtines. Retines antiquum morem & bonitatem: homines prisci temporis recti & æqui amantes ferme erant, unde, *homo antiquus*, pro candido & experte fraudis.

Eam. Glycerium.

Senex. Simo.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

CHREMES, SIMO.

Chremes Simoni renunciat se filiam suam Pamphilo non daturum.

C. SAtis jam, satis, Simo, spectata erga te amicitia est mea.
Satis pericli cœpi adire, orandi jam finem face,
Dum studeo obsequi tibi, pene illusi vitam filiæ.

S. Immo enim quam maxime abs te postulo atque oro, Chreme,
Ut beneficium, verbis initum dudum, nunc re comprobes.

C. Vide quam iniquus sis præ studio, dum efficias id quod cupis.

Orandi. Petendi a me, ut filio tuo dem Philumenam.

Illusi. Perdidi; neglexi ejus salutem & ludibrio habui.

Immo enim. Atqui, immo vero.

Verbis initum. Promissis incheatum.

Studio. Amore tui filii.

Dum. Modo, dummodo.

Mo-

Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas:
Nam si cogites, remittas jam me onerare injuriis.
S. Quibus? *C.* ah rogitas? perpulisti me, ut homini adolescentulo
In alio occupato amore, & abhorrenti a nuptiis,
Filiam darem in seditionem, atque incertas nuptias:
Ejus labore, atque ejus dolore gnato ut medicarer tuo:
Impetrasti; incepi, dum res tulit; nunc non fert; feras.
Illam hinc civem esse ajunt, puer est natus, nos missos face.
S. Per ego te Deos oro, ut ne illis animum inducas credere,
Quibus id maxime utile est, illum esse quam deterrimum.
Nuptiarum gratia hæc sunt ficta, atque incepta omnia:
Ubi ea caussa, quamobrem hæc faciunt, erit adempta his, desinent.
C. Erras: cum Davo egomet vidi jurgantem ancillam. *S.* scio. *C.* at

Modum benignitatis. Non cogitas quatenus amici benignitas progredi debeat, quem tenere modum in dando beneficio par sit.

Remittas. Desines certe.

In seditionem. Cum certo periculo discordiæ, divortii.

Medicarer. Abstraherem illum ab amore Glycerii, certis & honestis nuptiis alligatum.

Dum res tulit. Dum id aliqua ratione commode fieri poterat: legunt aliqui. *Dum res retulit*, antiquo præterito.

Feras. Patiaris me præmissis non stare.

Illam. Glycerium.

Missos face. De Philumena & affinitate nostra noli cogitare.

Face. Antiquum pro *fac*.

Illis. Glycerii ancillis.

Illum. Pamphilum.

Nuptiarum gratia. Ut nuptiæ Pamphili cum tua filia impedirentur.

Ubi, &c. Cum videbunt nuptias jam factas.

Ancillam. Mysiden, vide scen. 4. Act. 4.

Vero vultu, cum ibi me adesse neuter tum præsenserat.

S. Credo, & id facturus Davus dudum prædixit mihi,

Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac volui, dicere.

Vero. Qui nihil eos simulate facere satis ostenderet. *Nescio quid*. Nescio! *Ac volui*. Contra quam volebam.

SCENA SECUNDA.

DAVUS, CHREMES, SIMO, DROMO.

Cum Davus triumphans gaudio diceret a se Critone resciviſſe Glycerium esse civem Atticam, jubente Simone in vincula rapitur.

D. ANimo jam nunc otioso esse impero. *C.* hem Davum tibi?

S. Unde egreditur? *D.* meo præsidio, atque hospitis. *S.* quid illud mali est?

D. Ego commodiorem hominem, adventum, tempus, non vidi. *S.* scelus!

Quemnam hic laudas? *D.* OMNIS RES est jam in vado. *S.* cesso alloqui?

Animo, &c. Jam licet nobis esse otiosis & securis; hæc dicit antequam Simonem & Chremetem adesse animadverterit.

Hem Davum tibi. Quærebas modo Davum, en adest: nondum hoc Davus audit.

Meo præsidio. Quod securi jam simus, ope mea & Critonis hospitis factum est.

Quid? Quid scelenis novi ac fraudis loquitur?

Commodiorem. Opportuniorem.

In vado. In tuto. *Vadum*, est locus in littore, ubi aqua alta non est, ubi navis non periclitatur; hinc sumptum proverbium ad ea significanda, quæ periculo carent, ut esse dicantur in vado.

O no-

D. Herus eſt, quid agam? S. o ſalve bone vir.
D. hem Simo, o noſter Chreme,
Omnia apparata jam ſunt intus. S. curaſti probe.
D. Ubi voles, accerſe. S. bene ſane: is enim vero hinc nunc abeſt.
Etiam tu hoc reſpondes? quid iſthic tibi negoti eſt? D. mihin'? S. ita.
D. Mihine? S. tibi ergo. D. modo introii, S. quaſi ego, quam dudum, rogem.
D. Cum tuo gnato una. S. anne eſt intus Pamphilus? crucior miſer.
Eho, non tu dixtin' eſſe inter eos inimicitias carnifex?
D. Sunt. S. cur igitur hic eſt? C. quid illum cenſes? cum illa litigat.
T. Immo vero indignum Chreme jam facinus faxo ex me audias.
Neſcio quis ſenex modo venit: ellum, confidens, catus;
Cum faciem videas, videtur eſſe quantivis preti.

O noſter. Indicat Glycerium inventam eſſe Chremetis filiam, quaſi diceret, *o noſter ſoter.*

Ubi. Quandocumque.

Hic abeſt. Solum iſtud faciendum reſtat, ut accerſantur: hoc unum deſideratur, eſt ironia.

Etiam tu. An non tu hoc mihi reſpondes? jam ne illud mihi reſponſurus es? quid cauſſæ eſt cur ingreſſus ſis domum Glycerii? quid illic tibi negotii eſt?

Tibi ergo. Tibi omnino.

Quam dudum. Quam a longo tempore ingreſſus fueris.

Una. Simul ingreſſus ſum huc.

Eos. Pamphilii, & Glycerii.

Hic eſt. Pamphilus in Glycerii domo.

Quid illum cenſes. Subaudi, hic agere.

Litigat. Ironice.

Indignum. Vult videri adhuc improbare quæ dicuntur ad Pamphili defenſionem, & Critonis teſtimonium contemnere, forte ut adulter Simonis Chremetem autem alloquitur, quia vult eum adhuc magis deterrere a nuptiis, hac narratione.

Ellum. Ecce illum: non ſignificat ea vox adeſſe præſentem Critonem, qui tantum proditurus eſt ſcena 4. ſed illum eſſe intus, non procul abeſſe.

Catus. Prudens, ſagax.

Cum faciem videas. Si illum aſpexeris: vel ex ipſa fronte ac vultu.

Quantivis, maximi. Quanto poteſt maximo pretio

Triſtis ſeveritas ineſt in vultu; atque in verbis fides.

S. Quidnam apportas? *D.* nihil equidem, niſi quod illum audivi dicere.

S. Quid ait tandem? *D.* Glycerium ſe ſcire eſſe civem Atticam.

Hem Dromo, Dromo. *DR.* quid eſt? *S.* Dromo. *D.* audi. *S.* verbum ſi addideris, Dromo. *D.* Audi obſecro. *DR.* quid vis? *S.* ſublimem hunc intro rape, quantum potes.

DR. Quem? *S.* Davum. *D.* quamobrem. *S.* quia lubet: rape inquam. *D.* quid feci? *S.* rape. *D.* Si quidquam mentitum invenies, occidito. *S.* nihil audio:

Ego jam te commotum reddam. *D.* tametſi hoc verum eſt ... *S.* tu tamen ...

Cura adſervandum vinctum, atque, audin'? quadrupedem conſtringito.

Age nunc; jam ego pol hodie, ſi vivo, tibi oſtendam, herum

Quid ſit pericli fallere, &

Illi patrem. *C.* ah ne ſævi tantopere. *S.* Chreme. Pietatem gnati? nonne te miſeret mei? Tantum laborem capere ob talem filium? Age Pamphile, exi Pamphile, ecquid te pudet?

tio dignus; vir non vulgaris notæ.

Triſtis. Plena gravitatis & prudentiæ.

Apportas? Quid tibi vis iſtis? quid affers novi?

Dromo. Simo appellat alium e ſervis intus exiſtentem, qui ſorarius erat.

Hunc. Davum.

Sublimem. Alte ſublatum.

Commotum. Qui te otioſum jam fore prædicabas: probe te exagitari & cædi jubebo; jam mihi ſub plagis crepitabis, & ſubſilies.

Tametſi. Subaudi, tamen ne male me mulctabis, etſi nihil mentitus ſim?

Tamen. Ita erit; vapulabis pulchre.

Cura. Dromonem alloquitur.

Quadrupedem. Quaſi ſi fera aliqua eſſet, quæ quatuor pedibus ſimul nexis conſtringeretur.

Illi. Pamphilo.

Pietatem. Subaudi, Vide: ironia eſt: hæccine pietas mei filii erga me?

Age ... Evocat e Domo Glycerii Pamphilum ante fores, ſeu in veſtibulo, ubi verſabantur.

SCE-

SCENA TERTIA.

PAMPHILUS, SIMO, CHREMES.

Simo Pamphilum graviter objurgat : petit veniam Pamphilus & fatetur crimen, simul orat sibi ut liceat adducere Critonem : annuit Simo.

P. QUis me vult ? perii ; pater est. *S.* quid ais omnium ? *C.* ah
Rem potius ipsam dic ; ac mitte male loqui.
S. Quasi quidquam in hunc jam gravius dici posset :
Ain' tandem ? civis Glycerium est ? *P.* ita prædicant.
S. Ita prædicant ? o ingentem confidentiam !
Num cogitat, quid dicat ? num facti piget ?
Num ejus color pudoris signum usquam indicat ?
Adeon' impotenti esse animo, ut præter civium
Morem, atque legem, & sui voluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat cum summo probro ?
P. Me miserum. *S.* modone id demum sensti Pamphile ?
Olim isthuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiendum tibi,
Eodem die istuc verbum vere in te accidit.
Sed quid ago ? cur me excrucio ? cur me macero ?
Cur meam senectutem hujus solicito amentia ? an
Pro hujus ego ut peccatis supplicium sufferam ?
Immo habeat, valeat, vivat cum illa. *P.* mi pater.

Omnium... Subaudi, o nequissime ; o perditissime.

Rem ipsam. Dic si quid habes illi objiciendum ; dic in quo peccaverit.

Impotenti animo. Ita obstinate malis cupiditatibus addicto. *Impotens*, qui non potest resistere cupiditatibus.

Legem. Vetitum erat Athenis lege, ut diximus, ne quis peregrinam duceret.

Isthuc verbum. Vere dici hoc de te potuit, te esse miserrimum...

Hæc

S. Quid, mi pater? quasi tu hujus indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi invito patre:
Adducti, qui illam civem hinc dicant: viceris.
P. Pater, licetne pauca? *S.* quid dices mihi? *C.* at
Tamen Simo audi. *S.* ego audiam? quid ego audiam,
Chremes? *C.* attamen dicat sine. *S.* age dicat, sino.
P. Ego me amare hanc fateor; si id peccare est, fateor id quoque.
Tibi, pater, me dedo? quidvis oneris impone, impera:
Vis me uxorem ducere? hanc vis amittere? ut potero, feram:
Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me allegatum hunc senem:
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. *S.* adducas? *P.* sine, pater.
C. Æquum postulat, da veniam. *P.* sine te hoc uxorem. *S.* sino.
Quodvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.
C. Pro peccato magno paullum supplicii satis est patri.

Hujus patris. Quem vides; mei: *hujus* contemptum sonat.
Hinc. Ex hac urbe ortam.
Viceris. Sit ita sane ut vis, cedendum tibi est.
Id quoque. Nempe hoc quoque a me peccatum esse.
Hoc modo. Hoc tantum.
Allegatum. Appositum subornatum. *Expurgem*. Crimen diluam.
Veniam. Facultatem.
Ab hoc. A Pamphilo.
Comperiar. Deponens verbum; deprehendam, vel potius, deprehendar: ita ut comperiar patiendi vim habeat.

SCENA QUARTA.

CRITO, CHREMES, SIMO, PAMPHILUS.

Crito probat Glycerium esse civem Atticam & Chremetis ipsius filiam. Davus vinculis solvitur.

CR. Mitte orare: una harum quævis caussa me, ut faciam, monet.
Vel tu, vel quod verum est, vel quod ipsi cupio Glycerio.
CH. Andrium ego Critonem video? & certe is est: salvus sis Crito.
Quid tu Athenas insolens? *CR.* evenit: sed hiccine est Simo?
CH. Hic est. *S.* mene quæris? eho tu Glycerium hinc civem esse ais?
CR. Tu negas? *S.* Itane huc paratus advenis? *CR.* quare? *S.* rogas?
Tunc impune hoc facias? tunc hic homines adolescentulos.
Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis?
Sollicitando, & pollicitando eorum animos lactas? *CR.* sanusne es?

Mitte. Cessa me orare, ut nempe ostendam Glycerium esse civem Atticam.

Vel tu... Vel quia id me rogas, cui rem facere gratam pervelim: vel quia ita se res habet? vel quia cupio ipsi Glycerio: cupere autem alicui, velle alicuius caussa, est illius commodis & rationibus studere.

Athenas. Subaudi, venisti.

Insolens. Qui venire non soles.

Evenit. Casu id contigit.

Eductos. Educatos liberaliter.

Lactas. Allicis ad scelus.

Sanusne es? Ut constet versus, legendum est, sanu' n' es? est enim id apud Comicos frequens ut litteram s. in fine vocis eliduo, quod hic semel monuisse satis erit.

Sub-

P. Perii ! metuo, ut ſubſtet hoſpes. *CH.* ſi, Simo, hunc noris ſatis,
Non ita arbitrere: bonus hic eſt vir. *S.* hic vir ſit bonus?
Itane adtemperate venit hodie in ipſis nuptiis,
Ut veniret ante hac nunquam? eſt vero huic credendum, Chreme?
P. Ni metuam patrem, habeo pro illa re, illum quod moneam probe.
S. Sycophanta! *CR.* hem. *CH.* ſic Crito, eſt hic; mitte. *CR.* videat, qui ſiet,
Si mihi pergit, quid vult, dicere; ea quæ non vult, audiet.
Ego iſthæc moveo, aut curo? non tu tuum malum æquo animo feres?
Nam ego quæ dixi, vera an falſa audieris, jam ſciri poteſt.
Artieus quidam olim navi fracta, apud Andrum ejectus eſt,
Et iſthæc una parva virgo: tum ille egens, forte applicat.

Subſtet. Ne non perferre poſſit Chrito hanc Simonis iracundiam, & animo præſenti eſſe.

Hic vir ſit bonus. Egon'tu credam eſſe virum frugi?

Adtemperate. Ipſo in tempore, quaſi ex condicto.

Ut veniret. Qui tamen antea nunquam venerit Athenas:

Habeo, &c. Venit in mentem mihi aliquid quod Critonem monerem valde appoſite ad rem noſtram: an aliquid quod a Glycerio audierit, de ipſius nomine & parentibus.

Sycophanta. Calumniator: ita Critonem vocat Simo.

Sic eſt. Talis eſt, o Crito, Simonis indoles, nempe morosa, iracunda; noli ejus conviciis commoveri.

Videat, qui fiet. Quæ ſit ejus indoles non laboro; ipſe viderit.

Moveo. Ego iſtas ſcilicet nuptias conor impedire? has turbas excito?

Non tu. Tuum eſt ferre ſi quid hic mali accidit & curare; non meum.

Tuum malum. Peccatum filii.

Audieris. A me dicta ſint tibi vere an falſo.

Ejectus eſt. Vi tempeſtatis delatus in Andrum inſulam.

Una. Simul cum illo.

Applicat. Dedit ſe patri

Primum ad Chryſidis patrem ſe. *S.* fabulam inceptat. *CH.* ſine.

CR. Itane vero obturbat? *CH.* perge. *CR.* tum is mihi cognatus fuit,

Qui eum recepit: ibi ego audivi ex illo, ſeſe eſſe Atticum:

Is ibi mortuus eſt. *CH.* ejus nomen? *CR.* nomen tam cito tibi?

Phania. *CH.* hem perii. *CR.* verum hercle opinor fuiſſe Phaniam:

Hoc certo ſcio, Rhamnuſium ſe ajebat eſſe. *CH.* o Jupiter!

CR. Eadem hæc, Chreme, multi alii in Andro tum audivere. *CH.* utinam

Id ſit, quod ſpero: heo dic mihi, quid is eam tum, Crito?

Samne eſſe ajebat? *CR.* non. *CH.* Cujam igitur. *CR.* fratris filiam.

CH. Certe mea eſt. *CR.* quid ais? *S.* quid ut ais? *P.* arrige aures, Pamphile.

S. Qui credis? *CH.* Phania illa, frater meus fuit. *S.* noram, & ſcio.

CH. Is hinc bellum fugiens, meque in Aſiam perſequens proficiſcitur:

---

ri Chryſidis, domum ejus ſe contulit.

Obturbat. Me interpellat.

Is. Pater Chryſidis.

Cognatus. Cognatus dicitur quilibet ſanguine conjunctus, & propinquus, ſive paterno genere & linea, ſive materno: agnatus qui paterno tantum.

Ibi. In Andro.

Tam cito tibi? Subaudi, num poſſum dicere? non occurrit; tum, ubi cogitavit aliquantiſper, fingitur illud reperiſſe, & appellare.

Hem perii. Illud *perii* hic admirantis, & attoniti eſt.

Rhamnuſium. Rhamnus, Rhamnuntis, eſt pagus Atticæ, Rhamnuſius, civis ejus oppiduli.

Cujam. Cujus filiam.

Fratris. Is erat Chremes, Phaniæ frater.

Arrige aures. Proverbium. Metaphora a pecudibus aures arrigentibus.

Qui credis? Quo argumento credis hanc tuam eſſe filiam?

Noram, & ſcio. Noram Phaniam, & hunc ſcio tuum fratrem fuiſſe.

Perſequens. Sequens me in

Tum illam hic relinquere eſt veritus ; poſt illa nunc primum audio ,
Quid illo ſit factum : *P.* vix ſum apud me , ita animus commotus eſt metu ;
Spe , gaudio , mirando hoc tanto , tam repentino bono.
S. Næ iſtam multimodis tuam inveniri gaudeo. *P.* credo pater .
CH. At mihi unus ſcrupulus etiam reſtat , qui me male habet. *P.* dignus es.
Cum tua religione , odio : nodum in ſcirpo quærit. *CR.* quid iſtuc eſt ?
CH. Nomen non convenit ? *CR.* fuit hercle aliud huic parvæ. *CH.* quod , Crito ?
Nunquid meminiſti ? *CR.* id quæro. *P.* Egone hujus memoriam patiar meæ
Voluptati obſtare ? cum ego poſſum in hac re medicari mihi :
Non patiar : heus , Chreme ; quod quæris , Paſibula eſt : *CR.* ipſa eſt. *CH.* ea eſt.
P. Ex ipſa millies audivi. *S.* omnes nos gaudere hoc , Chreme ,
Te credo credere. *CH.* ita me Di ament , credo. *P.* quid reſtat pater ?

in Aſiam , quo prius eram profectus.

Hic. Athenis.

Poſt illa. Poſtea , ex eo tempore.

Illo. Fratre ſcilicet meo.

Mirando. Vel , dum miror , vel ob bonum tantum , tam mirandum.

Multimodis. Multis de cauſſis.

Tuam. O Chreme.

Credo. Te id gaudere.

Scrupulus. Difficultas , dubium. Scrupulus proprie eſt lapillus , qui incidens in calceos , pedes oblædit.

Religione. Scrupulo , metu ; religio enim eſt Dei metus quidam.

Nodum in ſcirpo. Scirpus eſt juncus paluſtris totus lævis & ſine ullo nodo : proverbium hoc in eos dicitur qui difficultatem ibi quærunt ubi nulla eſt : qui dubitandi occaſionem in re minime dubia quæritant.

Quid iſtuc eſt ? Quis iſte tuus ſcrupulus eſt ?

Nomen. Glycerium , quo illa nomine vocatur , non erat nomen meæ filiæ.

Memoriam. Infidelitatem memoriæ , oblivionem.

Voluptati. Lætitiæ.

Res

S. Jamdudum res reduxit me ipſa in gratiam. *P.* o lepidum patrem!
De uxore ita, ut poſſedi, nihil mutat Chremes? *CH.* cauſſa optuma eſt:
Niſi quid pater aliud ait. *P.* nempe. *S.* ſcilicet. *CH.* Dos eſt, Pamphile,
Decem talenta. *P.* accipio. *CH.* propero ad filiam; eho mecum, crito.
Nam illam me haud noſſe credo. *S.* cur non illam huc transferri jubes?
P. Recte admones; Davo iſthuc dedam jam negoti. *S.* non poteſt.
P. Qui? *S.* quia habet aliud magis ex ſeſe, & majus. *P.* quidnam? *S.* vinctus eſt.
P. Pater, non recte vinctus eſt. *S.* haud ita juſſi. *P.* jube ſolvi obſecro.
S. Age fiat. *P.* at matura. *S.* eo intro. *P.* o fauſtum & felicem hunc diem!

Res ipſa. Caſus tam felix & inexpectatus me tibi placavit.

Lepidum. Suavem, humanum.

Nihil mutat. Opinor Chremetem velle ut res eodem in ſtatu ſit quo eſt, uxoremque ita poſſideam, ut hactenus poſſedi.

Cauſſa optuma eſt. Jure id tibi concedo quod petis.

Niſi quid ... Niſi aliter Patri tuo Simoni videtur.

Nempe. Sane illius judicio & voluntati ſtandum eſt.

Scilicet. Egone ut nolim?

Decem talenta. Libræ Gallicæ, ſeu Francici nummi 24000.

Magis ex ſeſe. Quod magis ad ipſum pertinet; quod ipſum propius tangit.

Haud ita juſſi. Non juſſi ut non recte vinceretur, ſed ut rectiſſime & arctiſſime.

SCENA QUINTA.

CHARINUS, PAMPHILUS.

Pamphilus triumphans gaudio in Davum incidit: Charinus in utrumque.

C. PRoviso quid agat Pamphilus: atque ecum. P. aliquis forsan me putet
Non putare hoc verum; at mihi nunc sic esse hoc verum lubet.
Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror,
Quod voluptates eorum propriæ sunt: nam mihi immortalitas
Parta est, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit.
Sed quem ego potissimum exoptem nunc mihi, cui hæc narrem, dari?
C. Quid illud gaudii est. P. Davum video: nemo est, quem mallem omnium:
Nam hunc scio mea solum gavisurum gaudia.

Proviso. Venio ut sciam & videam...
Eccum. Ecce eum.
Hoc. Quod dicturus sum.
Lubet. Persuasum est.
Sempiternam, &c. Deos ideirco immortales & beatos arbitror.
Propriæ. Perpetuæ, ratæ, & constantes.
Intercesserit. Intervenerit. Si meum gaudium nulla turbaverit molestia.
Quid illud? Fingitur nondum esse visus aut auditus a Pamphilo, vel Davo.

SCENA SEXTA.

DAVUS, PAMPHILUS, CHARINUS.

Pamphilus Davo & Charino gaudium ſuum exponit.

D. PAMPHILUS ubinam hic eſt? *P.* Dave *D.* quiſnam homo eſt? *P.* ego ſum. *D.* o Pamphile!
P. Neſcis quid mihi obtigerit. *D.* certe: ſed quid mihi obtigerit, ſcio.
P. Et quidem ego. *D.* more hominum evenit, ut quod ſim nactus mali,
Prius reſciſceres tu, quam ego, quod tibi evenit boni.
P. Mea Glycerium ſuos parentes reperit. *D.* o factum bene. *C.* hem.
P. Pater amicus ſummus nobis. *D.* quis? *P.* Chremes. *D.* narras probe.
P. Nec mora ulla eſt, quin eam uxorem ducam. *C.* num ille ſomniat.
Ea, quæ vigilans voluit. *P.* tum de puero Dive? *D.* ah deſine;
Solus eſt quem diligunt Di. *C.* ſalvus ſum, ſi hæc vera ſunt.
Colloquar. *P.* quis homo eſt? Charine in tempore ipſo mihi advenis.

Scio. Nempe me egregie vinctum fuiſſe tua cauſſa.

Quis? Quemnam dicis eſſe nobis amicum? uter ille tandem eſt? Simo, tuus pater? an Chremes, pater Glycerii? Reſpondet Pamphilus: Eſt ipſe Chremes, qui nobis modo tam infenſus erat.

Num ille. Hoc dicit adhuc ſemotus.

Deſine, &c. Ceſſa de illo ſollicitus eſſe, ita ſcitus & pulchellus eſt, ut eum ſolum Dii omnes curare & diligere videantur.

Colloquar. Eos adibo.

Se-

Bene factum. *D.* hem, audiſtin'? *C.* omnia, age, me in tuis ſecundis rebus reſpice:
Tuus eſt tunc Chremes, facturum, quæ voles, ſcio eſſe omnia.
P. Memini, atque adeo longum eſt, nos illum expectare, dum exeat:
Sequere hac me intus, apud Glycerium eſt nunc; tu, Dave, abi domum:
Propera, accerſe, hinc qui auferant eam: quid ſtas? quid ceſſas? *D.* eo.
Ne expectetis dum exeant huc: intus deſponebitur.
Intus tranſigetur, ſiquid eſt quod reſtet: Plaudite.

CALLIOPIUS RECENSUI.

Secundis. In rebus proſperis mei ſis memor.

Tuus. Favens, amicus, ſocer.

Longum eſt. Mora longa eſt.

Domum. Glycerii.

Hinc. Qui eam e ſua domo transferant ad noſtram.

Auferant. Proprie: rapi enim ſimulabant e matris gremio cum ad virum virgo ducebatur, ut ſic raptus Sabinarum, qui feliciter Romulo ceſſit, adumbraretur.

Quid ſtas. Quin curris?

Ne expectetis. Alloquitur ſpectatores, eoſque dimittit, quod tamen vitioſe fieri docent qui de re tragica ſcribunt; nam vetant ne quid actoribus ſit cum ſpectatoribus rei.

Exeant huc. Pamphilus & Glycerium prodeant in theatrum.

Deſpondebitur. Dabitur uxor Glycerium Pamphilo. Proprie ſpondeo eſt promitto, unde qui virginem alicui promittit, ſponſor vocatur, quæ promittitur, ſeu datur, ſponſa; is cui datur, ſponſus; deſpondere tamen proprie pater dicebatur, ſive is, cujus in poteſtate virgo erat.

Plaudite. Hoc ſpectatoribus dicebatur, reperitur in quibuſdam libris Ω quæ littera finem rei notat, quia eſt litteratum ultima.

Calliopius. Nomen eruditi cujuſdam, & cenſoris librorum.

Recenſui. Expendi, verba ſingula excuſſi, comparavi cum antiquioribus libris: &c.

FINIS.

P. TE-

P. TERENTII ADELPHI.

ARGUMENTUM.

Demea & Micio fratres erant Athenis; hic mitis & commodus; ille asper & impotens; hic in urbe celebs; ille ruri victitans parce ac duriter cum uno e liberis duobus, cui nomen Ctesipho; nam alterum nomine Æschinum, & majorem natu alendum fratri Micioni & educandum in urbe tradiderat.

Æschinus, qui Micionis indulgentiæ liberius in urbe vivebat, clam patre Demea uxorem acceperat nomine Pamphilam, Sostratæ filiam. Ctesipho ejus frater cum veniret identidem in urbem, ducere voluit, inscio itidem patre, psaltriam quamdam nomine Callidiam, quæ inter venales servos apud mancipiorum Mangonem habebatur: cumque mercator vendere virginem cunctaretur, Æschinus rogatu fratris eam per vim a Mangone rapit, ac fratri suo tradit.

Audit hoc facinus Æschini pater Demea, cum rediret ex agro, & in Micionem graviter invehitur, quod Æschinum a se ipsi commendatum istis vivere apud se moribus, hæc moliri patiatur, dum Æschini frater Ctesipho modeste ac pudice ruri secum viveret; putabat enim raptam ab Æschino Callidiam, ut eam sibi haberet, non ut Ctesiphoni traderet. Idipsum cum putaret Sostrata, filiamque suam Pamphilam ab Æschino repudiatam crederet, Micionem convenit, rogatque ut Pamphilæ cum Æschino matrimonium firmare velit, quod Micio ipsi pollicetur.

Demea non ita multo post, monitus ab Hegione

de clandestino Æschini matrimonio cum Pamphila, idemque sæpe delusus a servis, denique se ab iis & a Ctesiphone deceptum: datam illi ab Æschino Callidiam deprehendens excandescit: sed fratris monitis, ac lenitate mitigatus eo adducitur, ut ratas esse Æschini cum Pamphila nuptias jubeat: deinde Ctesiphoni placatur, & Callidiam ipsi ultro uxorem dat.

PERSONÆ.

MICIO, Civis Atheniensis humanissimis moribus.

DEMEA, frater Micionis, homo asper ac ferus.

ÆSCHINUS, filius Demeæ natu major, ab Micione adoptatus, & in urbe degens.

CTESIPHO, filius Demeæ natu minor, cum patre ruri lerme agēs.

PAMPHILA, uxor Æschini, Sostratæ filia.

SOSTRATA, matrona, Pamphilæ mater.

CALLIDIA, psaltria quædam, uxor Ctesiphoni data.

CANTHARA, nutrix Pamphilæ.

HEGIO, senex, Sostratæ cognatus.

GETA, Sostratæ servus.

SANNIO, mercator mancipiorum.

SYRUS. } Servi
DROMO. } Micionis.
STORAX, persona muta. }

P. TE-

P. TERENTII

ADELPHI.

ACTA LUDIS FUNEBRIBUS L. ÆMILII Pauli; quos fecere Q. Fabius Maximus, & L. Cornel. Africanus, egere L. Attilius Prænestinus, & Minutius Prothymus. Modos fecit Flaccus Claudii tibiis Sarranis. Græca est Menandri. L. Anitio Gallo & M. Cornel. Cethego Coss.

Adelphi. Græca vox, significans *fratres* quia, primas in hac fabula partes agunt Micio & Demea fratres.

Ludis funebribus. In mortuorum honorem celebrabantur apud Romanos ludi, spectacula, tragœdiæ, &c.

L. Æmilii Pauli. Is Persea Macedonium regem victum in triumpho duxit: ejus filii fuere P. Cornel. Scipio, Africanus minor dictus, qui Carthaginem delevit anno U. C. 608. adoptatus in Scipionum familiam a filio majoris Africani, & Q. Fab. Maximus in Fabiorum gentem ascitus adoptione: qui patri suo Æmilio ludos funebres fecere pro more.

Egere. Actores principes fuere.

Modos. Musicam composuit.

Claudii. Sive Claudii subauditur libertus, sive filius.

Sarranis. Tyriis; Tyrus olim dicta est Sarra. Sarranæ autem tibiæ sunt eædem ac sinistræ & acutiores: vide Andriam, post argumentum. *Donatus* scribit modulatam fuisse tibiis dexteris, id est Lydiis, ob seriam gravitatem: unde non levis est suspicio, Titulum hunc esse mutilatum, & modulatam quidem fuisse tibiis Lydiis, cum primum esset acta, nempe in istis ludis funebribus, postea vero Sarranis, quia hilariorem edebant sonum & parum convenientem ludis funebribus.

L. Anicio, &c. Cadit iste annus in annum ab U. C. 595.

PROLOGUS.

Adversariorum obtrectationem quamdam diluit Poeta, & sectatorum attentionem postulat.

POstquam Poeta sensit scripturam suam
Ab iniquis observari, & adversarios
Rapere in pejorem partem, quam acturi sumus,
Indicio de se ipse erit: vos eritis judices,
Laudine an vitio duci factum id oporteat:
Synapothnescontes Diphili comœdia est,
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam:
In Græca adolescens est, qui Mangoni eripit
Mulierem, in prima fabula: cum Plautus locum
Reliquit integrum, cum hic locum sumpsit sibi

Poeta. Terentius.

Scripturam. Scriptas a se comœdias.

Ab iniquis. Inimicis.

Rapere. Eam, quæ modo exhibenda est, ab adversariis carpi, vituperari.

Indicio. Ipsemet poeta indicabit quid a se factum fuerit, causam suam ad vos deferet: erit ipse sui index & delator, vos eritis judices. Indicat is qui de se volens aliquid, & de aliis etiam prodit; confitetur, qui de se tantum, & qui invitus. *Donat.*

Diphili, *&c.* Diphilus poeta quidam Græcus comœdiam scripsit, quam synapothnescontes appellavit; eam Plautus in sermonem Latinum convertit & Commorientes inscripsit. Diphilum hunc Strabo Sinopensem fuisse affirmat, & Menandri æqualem, sententiarum gravitate præstantem. Illi autem Commorientes erant amicorum quoddam genus, qui sic amabant inter se, ut eadem esset illis & vivendi & moriendi conditio, ut eosdem casus ferrent, iisdem periculis defungerentur. Vide Athenæum lib. 6. Cæsarem de Bello Gall. lib. 3. ubi eos Soldurios seu Devotos appellat.

Græca. A Diphilo scripta.

In prima. In prima comœdiæ parte: primo actu.

Integrum. Intactum.

Hic. Terentius.

Sumpsit sibi. Transtulit in suam comœdiam Adelphos inscriptam, quem latine verteret. Adelphi igitur fabula est a Menandro tota sumpta, præter istum Diphili locum.

Ex-

In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit;
Eam nos acturi sumus novam: pernoscite,
Fortunone factum existimetis, an locum
Reprehensum, qui præteritus negligentia est.
Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adjutare, assidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam, cum illis placet,
Qui vobis universis, & populo placent,
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.
Dehinc ne expectetis argumentum fabulæ:
Senes, qui primi venient, hi partem aperient,
In agendo partem ostendent: facite, æquanimitas
Vestra ut poetæ ad scribendum augeat industriam.

Extulit. Expressit, vertit.

Reprehensum. Resumptum à Terentio & collectum, qui a Plauto objectus & omissus præ negligentia fuerat: veluti e fuga retractum locum qui Plautum fugerat. Porro ea comœdia non extat inter Plautinas: credibile est illam injuria temporum intercidisse.

Nobiles. Scipionem & Lælium: vide vitam Terentii.

Sine superbia. Ita ut nemo ab illis superbe repudiatus, & neglectus fuerit; ita ut illi non efferant se se ob collocata apud cives beneficia.

Partem aperient, &c. Partem unam argumenti narratione explicabunt; alteram partem ipsa actione & decursu comœdiæ satis exponent.

Æquanimitas. Æquus & benevolus animus.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

MICIO.

Micio de Æschino, qui domum non redierat, sollicitus, quasi aliud agens, de suis, de fratris & Æschini moribus auditorem monet.

STorax: Non rediit hac nocte a cœna Æschinus,
Neque servulorum quisquam, qui adversum ierant.
Profecto hoc vere dicunt, si absis uspiam,
Aut ubi si cesses, evenire ea satius est,
Quæ in te uxor dicit, & quæ in animo cogitat
Irata, quam illa, quæ parentes propitii.
Uxor, si cesses, te putat animo obsequi.
Et tibi bene esse soli, cum sibi sit male.
Ego, quia non rediit filius, quæ cogito?
Quibus nunc sollicitor rebus? ne aut ille alsepit;

Storax. Nomen servi, quem Æschino comitem dederat Micio: illum egressus in proscenium inclamat, putans eum rediisse cum Æschino, & intus esse. Porro ubi videt Storacem non respondere, secolligit, & secum quasi dicit ea quæ sequuntur. Non rediit, &c.

Adversum. Obviam.

Dicunt. Homines. Quod vulgo dicitur, verum est.

Absis. Domo.

Ubi. Alicui. Legunt aliqui *ibi*.

Cesses. Cunctaris, diutius sis.

Satius est, &c. Sententia est; graviora mala suspicantur & timent eveniisse filiis parentes eorum studiosi, quam ea, quæ iratæ uxor de viro absente, aut diutius morante alicubi cogitat.

Animo obsequi. Potitare, genio indulgere.

Filius. Adoptivus, nempe Æschinus.

Ali-

Aut uſplam ceciderit, ac perfregerit aliquid.
Vah, quemquamne hominem in animo inſtituere,
Aut parare, quod ſit carius, quam ipſe eſt ſibi?
Atqui ex me hic non natus eſt, ſed ex fratre: is adeo
Diſſimili ſtudio eſt; jam inde ab adoleſcentia
Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium
Secutus ſum, & (quod fortunatum iſti putant)
Uxorem nunquam habui: ille contra, hæc omnia:
Ruri agere vitam, ſemper parce, ac duriter
Se habere: uxorem duxit; nati filii
Duo: inde ego hunc majorem adoptavi mihi,
Eduxi a parvulo, habui, amavi pro meo:
In eo me oblecto, ſolum id eſt carum mihi.
Ille ut item contra me habeat, facio ſedulo:
Do, prætermitto, non neceſſe habeo omnia
Pro meo jure agere; poſtremo alii, clanculum
Patres quæ faciunt, quæ fert adoleſcentia,
Ea ne me celet, conſuefeci filium.

Aliquid. Brachium ſibi, vel crus fregerit, &c.

Inſtituere. Inducere.

Parare. Sumere ſibi aliunde aliquem, qui ipſi ſit carior, quam ipſe eſt ſibi; de Æſchino loquitur, quem acceperat in filium, & ſe ipſo cariorem habebat.

Is. Demea frater.

Iſti. Contemptum ſonat hoc pronomen: nunquam duxi uxorem, quamvis iſti, id eſt, homines plerique omnes putent fortunatum id eſſe.

Hæc omnia. Subaudi; fecit: nempe uxorem duxit, rus coluit, &c.

Se habere. Se alere: ſe tractare.

Inde. Ex quibus.

Eduxi. Educavi.

Contra. Viciſſim; ut me tanquam ſuum patrem habeat, ametque.

Do. Pecuniam.

Prætermitto. Si quid peccat.

Agere. Subaudi, conſuevit.

Clanculum patres. Clam patribus. Ordo eſt; aſſuefeci Æſchinum adoptivum filium meum, ut ne me celet ea, quæ alii adoleſcentes clam patribus faciunt, cum liberius, ut ætas ſinit, genio indulgent.

Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem,
aut
Audebit; tanto magis audebit ceteros.
PUDORE ET LIBERALITATE liberos
Retinere satius esse credo, quam metu,
Hæc fratri mecum non conveniunt, neque placent:
Venit ad me sæpe clamans. Quid agis Micio?
Cur perdis adolescentem nobis? cur canit?
Cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris?
Vestitu nimio indulges; nimium ineptus es.
Nimium ipse durus est, præter æquumque, & bonum:
ET ERRAT LONGE, mea quidam sententia,
Qui imperium credat gravius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur.
Mea sic est ratio, & sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit:
Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit,
Studet par referre, præsens, absensque idem erit.
Hoc patrium est, potius consuefacere filium

Insuerit. Consueverit.

Pudore & liberalitate. *Pudore*, ad filios retulit; *liberalitate* ad patres. *Pudor*, est metus displicendi parentibus, reverentia: *liberalitatis*, bonitas parentum, & indulgentia.

Retinere. A vitiis prohibere.

Non conveniunt. In his frater mecum non consentit.

Vestitu. Pro vestitui, poetice.

Adjungitur. Exercetur; leniter obtinetur.

Malo. Verberibus; metu.

Dum id... Quamdiu credit patrem, verbi gratia, monendum fore, cavet ne quid peccet: si latere se posse sperat, redit ad improbitatem innatam, quamdum observaretur, dissimulabat.

Adjungas. Tibi concilies.

Facit. Officium.

Patrium. Boni patris munus.

Hoc,

Sua ſponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater, ac dominus intereſt hoc qui nequit,
Fateatur neſcire imperare liberis.
Sed eſtne hic ipſus, de quo agebam? & certe is eſt.
Neſcio quid triſtem video: credo, jam (ut ſolet)
Jurgabit. Salvum te advenire Demea,
Gaudemus.

Hoc, &c. Hac re differt Pater & Dominus: hoc eſt inter patrem & Dominum diſcrimen.

Neſcio quid. Propter quid.

Salvum. Sunt qui ſcenæ ſequentis initium ducant ab his verbis: hinc enim incipit colloquium amborum fratrum.

SCENA SECUNDA.

DEMEA, MICIO.

Demea certior factus ipſo rumore, & populi convicio, mulierem ab Æſchino fuiſſe abreptam, furit in Micionem: Ctesiphonem, cujus in gratiam flagitium hoc factum eſſe neſcit, laudat.

D. HEm opportune: te ipſum quærito.
M. Quid triſtis es? *D.* rogitas me, ubi nobis Æſchinus?
Siet, quid triſtis ego ſim? *M.* dixin' hoc fore?
Quid is fecit? *D.* quid ille fecerit? quem neque pudet

Ubi nobis.... Cum nobis ſit Æſchinus, *ſubaudi* talis, nam perditis moribus: rogas mecum ſim triſtis, cum filium talem habeamus, qualis iſte eſt Æſchinus, vel; ut hoc rogas? ubi, id eſt, apud quem, cujus ſit domo ſit Æſchinus, ubi tam prave ſit ac vivat.

Dixin'.... Nonne dixeram eum jurgaturum.

Quid fecit. Æſchinus.

Fecerit. Subaudi, rogas.

Quidquam, neque metuit quemquam: neque legem putat
Tenere se ullam: nam illa, quæ antehac facta sunt,
Omitto; modo quid designavit? *M.* quidnam id est?
D. Fores effregit, atque in ædes irruit
Alienas, ipsum dominum, atque omnem familiam
Mulctavit usque ad mortem, eripuit mulierem,
Quam amabat: clamant omnes, indignissime
Factum esse: hoc advenienti quot mihi, Micio,
Dixere? in ore est omni populo: denique,
Si conferendum exemplum est, non fratrem videt
Rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?
Nullum hujus simile factum: hæc cum illi, Micio,
Dico, tibi dico: tu illum corrumpi finis.
M. HOMINE IMPERITO nunquam quidquam injustius:
Qui, nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.
D. Quorsum isthuc? *M.* quia tu, Demea, hæc male judicas.
Non est flagitium (mihi crede) adolescentulum
Genio indulgere, neque potare, neque fores
Effringere: hæc si neque ego, neque tu fecimus,
Non sivit egestas facere nos: tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tu feciſti inopia:
Injurium est: nam si esset unde id fieret,

Quæ antehac. Eius alia flagitia.

Designavit. Molitus est, in ore omnium & oculis patravit, quasi sublato signo.

Mulctavit. Verberibus affecit.

Hoc. Istam rem: volunt aliquî esse adverbium loci, pro huc: firmi auctoritate Servii in hunc versum lib. 8. Æneidos. *Hoc tunc iguipotens cælo descendit ab alto*, quo in versu *hoc* pro *huc* ponitur.

Rei. Augendis opibus, rei domesticæ procurandæ.

Hujus. Ctesiphonis.

Imperito. Inique & insciite res æstimante, verum inexperto.

Si esset. Pro, si fuisset: græca lotutio.

Faceremus, & tu illum tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet,
Potius quam, ubi te expectatum ejecisset foras,
Alieniore ætate post faceret tamen.
D. Pro Jupiter? tu homo adiges me ad insaniam.
Non est flagitium facere hæc adolescentulum?
M. ah,
Ausculta, ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi.
Is meus est factus: si quid peccat Demea,
Mihi peccat, ego illi maximam partem feram.
Opsonat, potat, olet unguenta de meo.
Ludit? dabitur a me argentum, ubi erit commodum,
Ubi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? restituentur: discidit
Vestem? resarcietur: est (Dis gratia)
Et unde hæc fiant, & adhuc non molest sunt.
Postremo aut desine, aut cedo quemvis arbitrum.

Faceremus. Fecissemus: Græci aliquando utuntur imperfectis pro perfectis.

Illum. Tuum Ctesiphonem, quem apud te ruri habes.

Homo. Humanus, lenior.

Te expectatum. Ubi post mortem tuam diu optatam & expectatam, te pedibus in publicum versis, mortuum ad fores deposuisset.

Alieniore. Minus tempestiva.

Tu homo. Quasi ignotus & alienus esses. Homo per contemptum dicitur aliquando.

Mihi peccat. Meo damno & periculo.

Illi. Vult Donatus vocem istam non esse pronomen, sed adverbium loci: pro *ibi*, hæ sententia: ubi peccabit Æschinus, quando genio largius indulgebit, ego tunc maximam partem sumptus & impensæ feram, ut leviorem & minimam. Potest etiam *illi* esse genitivus, prisco more, pro *illius*: feram maximam partem illius sumptus & peccati videlicet.

Opsonat. Laute epulatur.

De meo. De mea pecunia.

Excludetur foras. Illum domo mea ejiciam: vel ipse excluderur domo compotorum & alentorum, qui inopem facile non admittunt.

Est. . . . Non deest nobis pecunia, ex qua isti sumptus fiant.

Aut desine, &c. Aut desine

Te plura in hac re peccare oſtendam. *D.* hei mihi!
Pater eſſe diſce ab illis, qui vere ſient.
M. Natura tu illi pater es, conſiliis ego.
D. Tun' conſulis quidquam? *M.* ah ſi pergis, abiero.
D. Siccine agis? *M.* an ego toties de eadem re audiam?
D. Curæ eſt mihi. *M.* & mihi curæ eſt: verum, Demea,
Curemus æquam uterque partem, tu alterum,
Ego item alterum; ambos curare, propemodum
Reposcere illum eſt, quem dediſti. *D.* ah Micio!
M. Mihi ſic videtur. *D.* quid iſthuc? tib. ſi iſthuc placet,
Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.
Jam ſi verbum unum poſthac... *M.* rurſum Demea
Iraſcere? *D.* an non credis? repeton' quem dedi?
Ægre eſt, alienus non ſum: ſi obſto... bem deſino.
Unum vis curem, curo; & eſt Dis gratia,
Cum ita, ut volo, eſt; iſte tuus ipſe ſentiet
Poſterius: nolo in illum gravius dicere.

ſine mecum altercari, aut effer quem tu cumque voluerit judicem iſtius inter nos controverſiæ; vincam quocumque judice, & in pluribus peccare te oſtendam, te eſſe iniquiorem, quam ego ſim.

Pater eſſe... Diſce quo modo pater tractare filios debeat.

Qui vere ſient. Id eſt, ſint; qui vere ſint patres, ut ego ſum; non qui adoptione tantum ut tu.

Conſulis. Recte æſtimas; ſapienter & in Æſchini utilitatem agis.

Curæ. Est mihi Æſchinus.

Æquam. Æqualem.

Poſthac. Subaudi, fecero.

An non credis. An dubitas quin vere iraſcar & merito?

Repeton'? An repetere & abducere a te Æſchinum volo? neutiquam: habe illum & perde, ſi lubet; ego id quidem ægre feram, quia pater ſum; non obſtabo tamen, quominus tu cum illo agas, ut libuerit: deſino plura dicere ea de re.

Ita, ut volo, eſt. Talis eſt, qualem volo; nempe honeſtus, pudicus, &c.

Iſte tuus. Æſchinus; tuus adoptione.

Sentiet. Subaudi, quam ſibi tua indulgentia fuerit exitialis: nolo enim dicere aliquid gravius, nempe illum iri perditum, evaturum celeratiſſimum: hæc ubi dixit Demea, diſcedit.

SCE-

SCENA TERTIA.

MICIO.

Ea quæ audis à fratre, secum reputat: cur agat cum illo durius, docet.

M. NEc nihil, neque omnia hæc sunt, quæ dicit, tamen
Nonnihil molesta hæc sunt mihi, sed ostendere
Me ægre pati illi nolui, nam ita est homo:
Cum placo, adversor sedulo, & deterreo;
Tamen vix humane patitur: verum si augeam,
Aut etiam adjutor sim ejus iracundiæ,
Insaniam profecto cum illo. Etsi Æschinus
Nonnullam in hac re nobis facit injuriam;
Nam nuper dixit velle uxorem ducere:
Sperabam jam deserviisse adolescentiam,
Gaudebam; ecce autem de integro ..... nisi, quidquid est,

Nec nihil. Aliquid verum est ex iis quæ dixit Demea, non omnia tamen sunt vera: quædam bene, quædam secus dixit.

Ea est. Ea est indole.

Cum placo. Quando volo eum placare & mitigare. Irati quidam obsequio flectuntur; quidam irritantur & ægrescunt. Potest explicari versus vocula *sedulo*, in hanc sententiam. Cum volo eum placare, illi adversor, at sedulo, id est, pedetentim, sedate, blande.

Adversor: Resisto, contradico.

Deterreo. Territo, minas jacto.

Humane. Quiete, moderate.

Augeam. Ejus iracundiam accendam.

De integro. Subaudi, incipit, nempe vitam priorem vivere, Genio indulgere: refert se ad consueta flagitia.

Nisi. Tamen.

Ha-

Volo scire, atque hominem convenire, si apud forum est.

Hominem. Æschinum. Antequam porro veniret ad Micionem Demea, fores effregerat Æschinus, & mulierem jam eripiebat, dum collocuti sunt Demea & Micio, multa, ut fit, per vim & tumultum idem egerat; denique initio Actus secundi eam ad Ctesiphonem ducit expectantem Micionis, qui Æschinum in foro quæritabat, ædibus.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

SANNIO, ÆSCHINUS.

Æschinus Callidiam a Sannione venalium mercatore abreptam in Micionis domum introducit.

S. OBsecro populares, ferte misero, atque innocenti auxilium:
Subvenite inopi: Æ. otiose nunc jam illico hic consiste.
Quid respectas? nihil periclî est: nunquam, dum ego adero, hic te tanget.
S. Ego illam invitis omnibus....
Æ. Quamquam est sceleſtus, non committet hodie unquam iterum ut vapulet.
S. Æschine audi, ne te ignarum fuisse dicas meorum morum.

Obsecro, &c. Sannio, bî videt ereptam sibi mulierem ab inici, eam prosequitur usque Micionis domum, ubi querelas graviores inchoat.

Populares. Cives, homines ejusdem gentis & populi.

Otiose. Mane hi otiose & sine metu: dicit hoc Æschinus Callidiæ.

Quid respectas. Mulierem alloquitur quasi metuentem sibi a Sannione.

Istam.

Ego mercator sum. Æ. scio. S. at ita, ut usquam fuit fide quisquam optuma.
Tu quod te posterius purges, nolle hanc injuriam mihi
Factam esse, hujus non faciam: credo hoc, ego meum jus persequar:
Neque tu verbis solves umquam, quod mihi te malefeceris:
Novi ego vestra hæc: nollem factum, jusjurandum dabitur te esse
Indignum injuria hac, indignis cum egomet sim acceptus modis.
Æ. abi præ strenue, ac fores aperi. S. ceterum hoc nihil facis.
Æ. I intro nunc jam. S. at enim non sinam. Æ. accede illuc, Parmeno,
Nimirum isthoc abisti: hic propter hunc assiste, hem sic volo:

Istam. Subaudi retraham, abducam Callidiam.

Non committet. Non tam stulte faciet.

Fide optuma. Fidelitate & æquitate in vendendo & emendo.

Purges. Excuses.

Nolle factam. Ita veteres pro injuria satisfaciebant, si dicerent nolle se quidpiam in quempiam dictum vel factum: agnoscere se factam indigno injuriam: id coram judicibus; interdum privatim adjurabant, eaque formula vindicabatur ab infamia qui se læsum quærebatur.

Hujus non faciam. Nihil ducam, hanc tuam excusationem parvipendam. Hoc autem dicitur ostendendo floccum aut stipulam, vel inferendo dentes anteriores ungui extremo pollicis, eumque cum sonitu retrahendo, vel pollicem ac medium digitum in talitrum explodendo.

Vestra hæc. Quæ soletis dicere: nempe ita vos excusatis vulgo, nollem injuriam huic illatam, facti me pœnitet, &c.

Jusjurandum dabitur. Jurabimus.

Indignum. Indignus injuria, est dignus cui injuria non fiat.

Abi. Præi, (alloquitur Parmenonem.) fores Micionis aperi.

Hoc nihil facis. Frustra id moliris: nihil agis.

I intro. Callidiam alloquitur.

Parmeno. Servus Æschini.

Isthoc. In locum a Sannione remotiorem.

Propter hunc. Juxta hunc.

Quin

Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam dimoveas tuos ;
Ne mora fit ; si innuerim, quin pugnus continuo in mala hæreat.

S. Istuc volo ergo ipsum experiri. *Æ.* hem ferva : omitte mulierem.

S. O facinus indignum ! *Æ.* geminabit, nisi caves. *S.* hei misero mihi !

Æ. Non innueram : verum in istam partem potius peccato tamen.
I nunc jam : *S.* quid hoc rei est ? regnumne Æschine tu possides ?

Æ. Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.

S. Quid tibi rei mecum est ? *Æ.* nihil. *S.* quid ? nostine qui sim ? *Æ.* Non desidero.

S. Terigine tui quidquam ? *Æ.* si attigisses, ferres infortunium.

S. Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi ?
Responde : *Æ.* ante ædes non feciſſe erit melius hic convicium ?
Nam si molestus pergis esse, jam intro arripere, atque ibi

Quin pugnus. Quin tuus pugnus in ejus mala, id est, gena hæreat : quin cum pugno verberes : post paullo pugnum Sannioni impingit Parmeno Callidiam volenti retinere, ne domum Æschini intraret.

Ferva. Dicit hoc Sannioni, quem percussit Parmeno : habes ; accepisti colaphum quem mereris, ferva illum tibi.

Omitte... Ne ingrediatur, noli retinere.

Gemabit. Ictum Parmeno.

Non innueram... O Parmeno prius verberasti Sannionem, quam ego tibi significassem nutu : malo tamen te in ea re diligentiorem esse quam tardiorem.

In istam partem. Ut verberes non jussus, potius quam jussus non verberes. *Donat.*

I nunc. Ingredere jam tuto Callidia : vel tibi jam abire licet, Sannio.

O natus esses, &c. Male tibi esset, ut merentur tuæ virtutes, id est, tua scelera.

Meam. Mulierem a me pretio empram.

Erit melius. Rectius fe-

ce-

Uſque ad necem operiere loris. *S.* loris libet
Æ. ſic erit.
S. O hominem impurum! hiccine libertatem, ajunt æquam eſſe omnibus?
M. Si ſatis jam bacchatus es: audi ſi vis nunc jam.
S. Egone bacchatus ſum in re, an tu in me? *Æ.* omitte iſta, atque ad rem redi.
S. Quam rem? quo redeam? *Æ.* jamne me vis dicere, quod ad te attinet?
S. Cupio; modo æqui aliquid. *Æ.* vah, iſte iniqua me non vult loqui.
S. Nequam ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentium,
Perjurus, peſtis, tamen tibi a me nulla eſt orta injuria.
Æ. Nam hercle etiam id reſtat. *S.* illuc, quæſo, redi quo cœpiſti, Æſchine.
Æ. Minis viginti tu illam emiſti, quæ res tibi vertat male.
Argenti tantum tibi dabitur. *S.* quid, ſi ego tibi illam nolo vendere,
Coges me? *Æ.* minime. *S.* namque id metui. *Æ.* neque vendendam cenſeo,

---

teris, ſi deſinas hic ante ædes noſtras comitare & tumultuari.

Liber? Mene liberum loris cædendum ais inſtar ſervi.

Impurum. Improbum.

Æquam. Æqualem, ut in rep.

Ad rem. Ad pretium tibi pro hac muliere ſolvendum, de quo nunc agitur & lis mihi tecum eſt.

Nam hercle . . . Nempe hoc unum tibi ſupereſt, ut mihi facias injuriam; experiri hoc ipſum velim.

Illuc. Ad pretium.

Minis 20. Mina erat nummus quidam Atticus centum drachmas valens, quæ ſingulæ tribus aſſibus & ſemiſſe æſtimantur, adeoque mina quælibet reſpondet libris Turonicis 17. ac decem aſſibus; & minæ 20. conficiunt libras trecentas quinquaginta.

Namque id metui. Ironice: enim vero iſtud metuebam.

Ne-

Quæ libera eſt : nam ego illam liberali aſſero cauſſa manu.
Nunc vide utrum vis argentum accipere, an cauſſam meditari tuam.
Delibera hoc, dum ego redeo.

Liberali, &c. Ordo eſt: Ego illam aſſero manu, liberali cauſſa, id eſt, in judicio, in quo de libertate agitur, lege & actione quæ eſt de libertate : porro *manu aſſerere*, eſt injecta alicui manu, eum liberum pronunciare & affirmare. Solebant enim manu apprehendere apud judices quem liberum eſſe dicerent : tenere manum, ſeu injicere manus rei, quam ſuam eſſe contenderent.

SCENA SECUNDA.

SANNIO.

Sannio de Æſchino queritur.

S. PRo ſupreme Jupiter!
Minime miror, qui inſanire occipiunt ex injuria.
Domo me eripuit, verberavit, me invito abduxit meam,
Ob malefacta hæc tantidem emptam poſtulat ſibi tradier:
Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Verum enim, quando bene promeruit, fiat ſuum jus poſtulat.

Minime miror, &c. Non jam miror homines reperiri, qui adeo male mulctentur, ut inſani & impotes mentis fiant.
Ob malefacta. Qui meam male tractavit.
Tantidem. Tanto pretio, tanto eſt a me empta. Hoc autem inique ferunt mercatores, qui ſuas merces pluris volunt vendere, quam quanti emerunt ipſi.
Infregit. Illiſit, infixit.
Promeruit. Ironice : meruit, ut illi a quo vapulavi, morem gererem.
Suum jus. Ironice.

Mo-

Age jam cupio, modo ſi argentum reddat: ſed ego hoc hariolor:
Ubi me dixero dare tanti, teſtes faciet illico
Vendidiſſe me, de argento ſomnium, mox, cras redi . . . .
Id quoque poſſum ferre, ſi modo reddat, quamquam injurium eſt:
Verum cogito id, quod rex eſt, quando eum quæſtum occeperis,
Accipienda, & muſſitanda injuria adoleſcentium eſt:
Sed nemo dabit, fruſtra egomet mecum has rationes puto.

Modo ſi. Dummodo.

Reddat. Nempe quanti empta eſt.

Hariolor. Vaticinor. Fruſtra ſpero, mihi nummos dandos.

Dare tanti. Tanto pretio mulierem vendere.

Faciet. Producet.

Vendidiſſe me. Adeoque erectionis actio tollatur, interpoſita pactione pretii & venditione. *Donat*.

Somnium. Solutio argenti variis procraſtinationibus & ambagibus evaneſcet inſtar ſomnii; res futilis & inanis, ſomnium proverbio dicitur.

Mox. Mox dabo, ſinquiet.

Id quoque. Iſtas procraſtinationes.

Eum quæſtum. Mancipiorum mercaturam.

Muſſitanda. Tacite toleranda.

Dabit. Pecuniam.

Rationes. Pecuniarias.

Puto. Subduco; ſupputo: fruſtra ſpero me ipſas 20. minas habiturum, omnem ſummam certe amittam.

SCENA TERTIA.

SYRUS, SANNIO.

Syrus Æschini servus persuadet Sannioni, ut oblatum ab Æschino pro Callidia pretium sumat.

SY. TAce, egomet conveniam jam ipsum, cupide accipiat faxo, atque etiam
Bene dicat secum esse actum. Quid isthuc, Sannio, est, quod te audio
Nescio quid concertasse cum hero? *SA.* numquam vidi iniquius
Certationem comparatam, quam quæ hodie inter nos fuit:
Ego vapulando, ille verberando, usque defessi sumus.
SY. Tua culpa. *SA.* quid agerem? *SY.* adolescenti morem gestum oportuit.
SA. Qui potui melius, qui hodie usque os præbui? *SY.* age, scis quid loquar?
Pecuniam in loco negligere maxumum interdum est lucrum. *SA.* hui!
SY. Metuisti, si nunc de tuo jure concessisses paullulum, atque
Adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime.

Tace. Videtur hoc dicere Æschino qui domum introgressus, concertatam cum Sannione rixam Syro aperuerat, intelligo, inquit ille, rem totam, o Æschine, plura dicere mihi desine.

Cupide accipiat. Libenter summam oblatam capiat, hæc dicit quasi tacitus & in limine, sive etiam post siparium & scenam, tum progressus & Sannionem quasi de improviso aspiciens, eum alloquitur.

usque. Diu, multum.

Os præbui. An potui melius illi morem gerere, quam præbendo illi os meum colaphis & pugnis tundendum?

Fane-

Ne non tibi isthuc fœneraret. *SA.* ego spem pretio non emo.
ST. Numquam rem facies: abi, nescis inescare homines, Sannio.
SA. Credo isthuc melius esse: verum ego numquam adeo astutus fui,
Quin, quidquid possem, mallem auferre potius in præsentia.
ST. Age, novi tuum animum, quasi quidquam tibi sint viginti minæ,
Dum huic obsequare: præterea autem te ajunt proficisci Cyprum. *SA.* heu:
ST. Coemisse hinc, quæ illuc veheres, multa; navem conductam; hoc scio,
Animus tibi pendet, ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages,
SA. Nusquam pedem: perii hercle, hac illi spe hoc inceperunt. *ST.* timet:
Injeci scrupulum homini. *SA.* o scelera! illuc vide

Fœneraret. Cum fœnore ingenti reponeret.

Spem. Lucri futuri & incerti.

Pretio. Præsentis pecuniæ damno.

Rem facies. Ditesces.

Inescare. Delinire, allicere.

Auferre. Obtinere.

Quidquam. Res majoris momenti. Quasi summa illa tanti apud te sit, ut ei nolis obsequi.

Dum. Modo gratificeris Æschino.

Hinc. Ex hac urbe.

Animus tibi pendet. Incertus ac dubius es quid agas, an scilicet omittas illam pecuniam, an iter. Metaphora ducitur a libra seu trutina, quæ cum neutram in partem vergit, esse in æquilibrio dicitur.

Hoc ages. Hoc negotium absolves; repetes pretium pro Callidia debitum, potes interim proficisci.

Pedem. Subauditur, effero: non abeo in Cyprum.

Hac spe. Sperant me non habiturum spatium juris mei persequendi, & exigendæ pecuniæ, ob hoc iter quod mihi instat.

Timet. Hoc aversus & demissa voce dicit.

Injeci scrupulum. Scrupuli sunt minuti lapilli, qui inter ambulandum in calceos incidunt, ac pedem torquent; inde injicere scrupulum dicitur, qui alicui sollicitudinem & dubitationem affert; scrupulum

Ut in ipso articulo oppressit: emptæ mulieres
Complures, & item hinc alia, quæ porto Cyprum;
Nisi eo ad mercatum veniam, damnum maximum est;
Nunc si hoc omittam, actum agam: ubi illinc ediero.
Nihil est, refrixerit res, nunc demum venis?
Cur passus? ubi eras? ut sit satius perdere,
Quam aut hic nunc manere tam diu, aut tum persequi.

SY. Jamne enumerasti, quod ad te rediturum putes?

SA. Hoccine illo dignum est? hoccine incipere Æschinum?
Pr oppressionem ut hanc mihi eripere postulet?

SY. Labascit: unum hoc habeo: vide, si satis placet,
Potius quam venias in periculum, Sannio,
Serveśne, an perdas totum; dividuum face:

lum eximere, qui curâ liberat.

In ipso articulo. Ut me inopinum invadit ipso tempore, quo minime paratum esse me sensit. Pergit in metaphora; scrupulus enim in calceos incidens, pedum articulos oblædit. *Donat.* Propterea momentum temporis dicitur articulus, quia præteritum & futurum quasi conjungit, ut articuli partes pedum committunt, sive quia est minima pars temporis, ut articulus, membri pars minima.

Eo. In hanc insulam: est posita e regione Ciliciæ.

Hoc. Negotium cum Æschino.

Actum agam. Videbor velle rem confectam & transactam iterum ordiri; litem decisam rursum intendere; operam lusero.

Nihil est. Quod sperem tunc.

Cur passus? Tantam moram: cur maturius debitum non reposcebas? fingit hæc dici sibi pecuniam reposcenti.

Tum persequi. Cum rediero.

Jamne... Num satis deliberasti, quid lucri cum Æschino, quid damni facturus sis.

Labascit. Nutat, jam mihi assensurus est. Hoc veluti secum dicit.

Si satis placet. Num tibi sit omnino placiturum quod dicam.

Dividuum face. Divide sum-

Minas decem corradet aliunde. *SA.* hei mihi;
Etiam de ſorte nunc venio in dubium miſer!
Pudet nihil, omnes dentes labefecit mihi,
Præterea colaphis tuber eſt totum caput,
Etiam inſuper defendet? nuſquam abeo. *SY.* ut lubet.
Nunquid vis, quin abeam? *SA.* immo hercle hoc quæſo, Syre,
Ut ut hæc ſunt facta, potius quam lites ſequar,
Meum mihi reddatur, ſaltem quanti empta eſt, Syre:
Scio non te uſum antehac amicitia mea,
Memorem me dices eſſe, & gratum. *SY.* ſedulo
Faciam: ſed Cteſiphonem video, lætus eſt,
Triumphat. *SA.* quid, quod te oro? *SY.* paulliſper mane.

ſummam in duas partes. Petis viginti minas, decem cape.

Corradet. Inveniet, extricabit.

De ſorte. Sors in re nummaria eſt ſumma pecuniæ cui fœnus & uſura accedit, v. g. viginti nunc minæ, quibus empta erat a mercatore Callidia, ultra quas ſperabat Sannio ſe aliquid habiturum.

Colaphis. Propter colaphos.

Tuber. Plenum tuberibus, vel totum tumidum inſtar unius ingentis tuberis.

Defrudet. Pro, defraudet. Partem debitæ mihi pecuniæ auferat per fraudem, pro 20. minus det tantum 10.

Nuſquam abeo. Renuncio tibi me in Cyprum non proficiſci.

Nunquid vis ... Nihilne habes præterea, quod mihi dicas; quoniam a te diſcedam.

Ut ut hæc ſunt facta. Quoquo modo hæc ſunt facta: miſſa facio quæ in me per vim & nefas admiſit: ſint illa ſane facta, ſed meum mihi reddat, &c.

Meum. Sortem 20. minas totas; & non tantum 10.

Memorem. Memor eſt qui beneficii meminit, gratus qui vicem etiam reddit.

Quid? quod te oro. Quid? o Syre nonne efficies id quod te oro?

SCENA QUARTA.

CTESIPHO, SYRUS.

Gratulatur sibi & fratrem laudat Ctesipho.

C. ABs quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas:
Verum enimvero id demum juvat, si, quem æquum est facere, is bene facit.
O frater, quid ego nunc te laudem? satis certe scio,
Numquam ita magnifice quidquam dicam, id virtus quin superet tua:
Itaque unam hanc rem me habere præter alios præcipuam arbitror.
Fratrem homini nemini esse primarum artium magis principem.
S. O Ctesipho. C. o Syre, Æschinus ubi est? S. ellum, te expectat domi. C. hem.
S. Quid est? C. quid sit? illius opera Syre nunc vivo: festivum caput!
Qui omnia sibi post putarit esse præ meo commodo,
Maledicta, famam, meum amorem, & peccatum in se transtulit.
Nihil pote supra: sed quidnam foris crepuit? S. mane, ipse exit foras,

Abs quivis. A quolibet.
Juvat. Cordi est: suavissimum est tuum beneficium.
Fratrem, &c. Quod nemo alius habeat fratrem magis excellentem in summis quibusque artibus, hoc est, dotibus, & virtutibus.
Ellum. Ecce illum.
Quid sit. Quæris quid sit? ignoras quid agatur?
In se transtulit. Omne periculum in se suscepit.
Nihil pote. Nihil fieri aut dici potest supra hoc fratris beneficium.
Foris crepuit. In antiquis ædificiis fores aperiebantur in publicum, quare exituri, fores ab intus manu pulsabant, quo caverent ii qui foris erant, ne a foribus repente in viam protrusis læderentur.

SCE-

SCENA QUINTA.

ÆSCHINUS, CTESIPHO, SYRUS, SANNIO.

Gratulantur ſibi mutuo Æſchinus, & Cteſipho. Samnioni pretium ſolvitur.

M. UBi eſt ille ſacrilegus? *SA.* men' quærite
nunquidnam effert? occidi!
Nil video. *Æ.* ehem, opportune, te ipſum quæ-
rito: quid ſit, Cteſipho?
In tuto eſt omnis res: emitte vero triſtitiam
tuam.
C. Ego iſtam facile vero omitto; quî quidem
te habeam fratrem,
O mi Æſchine! o mi germane: ah vereor co-
ram in os te laudare amplius,
Ne id aſſentandi magis, quam quod habeam
gratum, facere exiſtimes.
Æ. Age inepte, quaſi nunc non norimus nos in-
ter nos, Cteſipho:
Sed hoc mihi dolet, nos pene ſero ſciſſe, & pe-
ne in eum locum
Rediiſſe, ut ſi omnes cuperent, nihil tibi poſ-
ſent auxiliarier.

Ille. Sannio.

Effert? Nunquid pecuniæ ſecum portat?

Nil video. Pecuniæ.

Te ipſum. O Cteſipho.

Quid ſit? Scis ne, quo res tua loco ſit? quid agitur, qui vales?

In os. Coram aliis te præſentem laudare.

Aſſentandi. Subaudi, cauſſa: græca locutio per Ellipſim.

Age inepte, &c. Ridicule ac pueriliter facis, qui tantopere laudes beneficium a fratre, cui tam notus & carus es, collatum.

Sciſſe. Ubi eſſet Callidia, & a te optari uxorem.

Rediiſſe. Rem omnem adductam eſſe in tam grave periculum.

C. Pudebat. Æ. ah, ſtultitia eſt iſthæc, non pudor, tam ob parvulam
Rem pene ex patria: turpe dictu: Deos quæſo ut iſthæc prohibeant.
C. Peccavi. Æ. quid ait tandem nobis Sannio? SY. jam mitis eſt.
Æ. Ego ad forum ibo, ut hunc abſolvam: tu intro ad illam Cteſipho.
SA. Syre inſta. SY. eamus, namque hic properat in Cyprum. SA. ne tam quidem.
Quamvis etiam maneo otioſus hic. SY. reddetur, ne time.
SA. At ut omne reddat. SY. omne reddet, tace modo, ac ſequere hac. SA. ſequor.
C. Heus, heus Syre. SY. hem, quid eſt? C. obſecro hercle hominem iſtum impuriſſimum
Quamprimum abſolvitote, ne, ſi magis irritatus fiet,
Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tunc perpetuo perierim.
SY. Non fiet, bono animo eſto, tu præſtolare domi interim.

Pudebat. Te admonere & rogare, ut illam mihi raperes.

Ex patria. . . . Subaudi, te profugere voluiſſe, præ mœrore quod illam non poſſes ducere uxorem, quod pecunia careres.

Peccavi. Qui id conſilii ceperim fugiendi, ſcilicet, qui te prius non rogaverim.

Mitis eſt. Ex debacchante ſcilicet & auſtero.

Abſolvam. Expediam, dimittam; ut ſolvam quod illi debetur. In foro erant menſarii & fœneratores, unde filii familias nummos capiebant, inſciis ſæpe parentibus.

Inſta. Ut pretium accipiam, urge.

Eamus. Ad forum, ut cito numeremus pecuniam Sannioni, urget enim illum iter.

Ne tam quidem. Non tam propero tamen, quam dicis.

Quamvis. Quantumvis, quamdiu tibi licuerit, expectabo & hic otioſus manebo.

Aliqua. Aliqua ratione & via.

Permanet. Rumor iſte deferatur.

Præſtolare. Mane & expecta nos domi, Cteſipho, dum

Et lectulos jube sterni nobis, & parari cetera :
Ego jam transacta re convertam me domum cum opsonio.
C. Ita quæso; quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem.

dum ego & Æschinus imus ad forum.
Lectulos. Quibus ad mensam accumbamus.
Transacta re. Cum isto Sannione.
Convertam. E foro revertar domum.
Opsonio, Lautis dapibus.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

SOSTRATA, CANTHARA.

Sostrata filiæ suæ Pamphilæ, quam duxerat clam Æschinus, metuit, & ab Æschino prælatam illi Callidiam suspicatur.

S. OBsecro mea tu nutrix, quid nunc fiet?
C. quid fiet, rogas?
Recte Ædepol spero. S. solæ sumus Æschinus autem hic non adest.
C. Pol is quidem jam hic aderit, nam numquam unum intermittit diem,
Quin semper venia.... S. solus mearum miseriarum est remedium.
C. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est, hera.

Mea tu. Vox blandientis.
Ædepol. Per ædem Pollucis.
E re nata. Si quidem res illa fortuito contigit : *res nata*, dicitur casus aliquis repentinus & præter expectationem.
Eam. Pamphilam.

Quando clam nupſit, quod eam ille duxit potiſſimum,
Talis, tali genere, atque animo, natus es tanta familia:
S. Ita Pol eſt, ut dicis: ſalvus nobis, Deos quæſo, ut ſiet.

Talis. Tam honeſtus. *Ille*. Æſchinus.

SCENA SECUNDA.

GETA, SOSTRATA, CANTHARA.

Geta narrat Soſtratæ abductam ab Æſchino Callidiam: conſulunt inter ſe quid facto ſit opus, & Hegionem de re tota quamprimum monere ſtatuunt.

S. NUnc illud eſt, quod ſi omnes omnia ſua conſilia conferant,
Atque huic malo ſalutem quærant, auxilii nihil afferant,
Quod mihique, heræque filiæque, herili eſt: væ miſero mihi!
Tot res repente circumvallant, unde emergi non poteſt;

Illud eſt: Eo ſtatu res noſtræ ſunt, vel ejuſmodi contigit malum &c. Eſt autem abrupta oratio: primus enim verſus cum tertio jungi debet: nunc illud eſt malum, quod mihi, & heræ, ejuſque filiæ eſt, quod ſi omnes, &c. Iſtud autem, *quod*, pronomen eſſe malim quam adverbium; erit porro in accuſandi caſu, & ſubaudiendum erit aliquod verbum, a quo regatur, licet id quod ſcriptum eſt, nempe *auxilii nihil afferant*, dandi caſum poſtulet. Ea Syntaxeos perturbatio vehementiori motui apta eſt, & a rethoribus dicitur ἀναχολούθον.

Conferunt. In unum colligant.

Circumvallant. Ut rupes abruptæ: vel potius, ut hoſtes denſati: iis in anguſtiis verſor.

Unde. Ex quibus.

Emergi. Impertonaliter. Emer-

Vis egeſtas, injuſtitia, ſolitudo, inſtantia.
Hoccine ſæculum? o ſcelera! o genera ſacrilega! o hominem impium!
S. Me miſeram, quidnam eſt, quod ſic videa timidum, & properantem Geram?
G. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum miſericordia
Repreſſit, neque reflexit, neque quod partus inſtabat prope.
Quam toties ſe ducturum erat pollicitus. *S.* non intelligo
Satis, quia loquatur. *C.* propius obſecro accedamus Soſtrata. *G.* ah,
Me miſerum! vix ſum compos animi! ita ardeo iracundia:
Nihil eſt, quod malim, quam illam totam familiam dari mihi obviam,
Ut iram hanc in eos evomam omnem; dum ægritudo hæc eſt recens:
Satis mihi id habeam ſupplicii, dum illos ulciſcar modo.
Seni animam primum extinguerem ipſi, qui illud produxit ſcelus;
Tum autem Syrum impulſorem, vah, quibus illum lacerarem modis!
Sublimem medium arriperem, & capite primum in terram ſtatuerem,

Emergit qui ex aqua enatat, qui evolvitur periculo.

Hoccine ſæculum? Adeone ſceleratos eſſe homines id ætatis?

Neque illum. Ea vox *illum* abundat. Sic apud Virgilium: *nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra.*

Repreſſit. Deterruit, ne aliam uxorem ſumeret.

Reflexit? Ad officium, & fidem revocavit.

Familiam. Æſchini.

Satis mihi, &c. Contentus forem eorum ſupplicio & lætus...

Seni. Demeæ, Æſchini patri.

Produxit. Edidit in lucem.

Scelus. Filium adeo ſceleratum.

Sublimem. Alte ſublatum.

Statuerem. Illi conſtituto

Ut cerebro diſpergat viam,
Adoleſcenti ipſi eriperent oculos, poſt hæc præcipitem darem.
Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & proſternerem.
Sed ceſſo heram hoc malo impertiri propere? *S.* Revocemus. Geta.
G. Hem, quiſquis es, ſine me .... *S.* ego ſum Soſtrata. *G.* ubi ea eſt? te ipſam quærito,
Te expecto: oppido opportune te obtuliſti mihi obviam,
Hera. *S.* quid eſt? quid trepidas? *G.* hei mihi! *S.* quid feſtinas mi Geta?
Animum recipe. *G.* prorſus. *S.* quid iſthuc prorſus ergo eſt? *G.* perimus.
Actum eſt. *S.* eloquere obſecro quid ſit. *G.* jam. *S.* quid jam, Geta?
G. Æſchinus. *S.* quid ergo is? .... *G.* alienus eſt a noſtra familia. *S.* hem,
Perii: quare? *G.* amare occepit aliam. *S.* væ miſere mihi!
G. Neque id occulte fert, a mercatore ipſius eripuit palam.
S. Satin' hoc certe? .... *G.* certe, hiſce oculis egomet vidi, Soſtrata. *S.* ah,

pedibus in cælum verſis, caput ad pavimentum confringerem.

Adoleſcenti. Æſchino.

Ruerem. Proruerem.

Agerem. Proſequerer, premerem.

Ceſſo. Cunctor: quin ſtatim hoc malum heræ meæ renuncio?

Sine me. Subaudi, abire: ira vehementius ſuccenſus, non ſatis videns, ſic heram Geta non agnoſcit.

Animum recipe. Et collige a metu. Legere malit Turnebus, *animam recipe*, id eſt reſpira libere per otium, anhelitum vehementiorem comprime.

Prorſus. Subaudi, Periimus.

Quid iſthuc, &c. Quid tibi vis autem cum tua iſta voce, prorſus.

Actum eſt. Proprie de lite dicitur, ubi jam lata ſententia eſt, transfertur ad res alias, ubi nihil ſpei ſupereſt.

Satin' hoc certe? Subaudi, dicis, comperiſti.

Ita.

Me miseram! quid credas jam? at cui credas? nostrum Æschinum,
Nostram vitam omnium, in quo nostræ spes, omnesque opes sitæ
Erant; qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum diem,
Qui se in sui gremio positurum puerum dicebat patris,
Ita obsecraturum, ut liceret hanc uxorem ducere . . .
C. Hera, lacrymas mitte, ac potius, quod ad hanc rem opus est, porro consule:
Patiamurne, an narremus cuipiam? *C.* au, au? mi homo, sanusne es?
An hoc proferendum tibi usque esse videtur? *C.* mihi quidem non placet
Jam primum, illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat:
Nunc si hoc palam proferimus, ille inficias ibit, sic scio:
Tua fama, et gnatæ vita in dubium veniet; tum si maxime
Fateatur, cum amet aliam, non est utile hanc illi dari:
Quapropter quoquo pacto celato est opus. *S.* ah, minime gentium.
Non faciam. *C.* quid agis? *S.* proferam. *C.* hem, mea Sostrata, vide quam rem agas.
S. Pejore res loco non potest esse, quam in qua nunc sita est.
Primum indotata est, tum præterea, quæ secunda ei dos erat,

Ita. Deinde, porro.
Inficias ibit. Negabit, nempe fidem se dedisse Pamphilæ.
In dubium. In periculum.
Si maxime. Quamvis.
Quoquo pacto. Omnibus rite perpensis, quocumque modo res cadat.
Indotata. Non habeo dotem quam illi donare possim.
Quæ secunda ei dos. Illi sua virginitas quasi dos altera erat.

Periit, pro virgine dari nuptum non potest: reliquum est,
Si inficias ibit, testis mecum est annulus, quem amiserat.
Postremo, quando ego conscia mihi sum, a me culpam esse hanc procul,
Neque pretium, neque rem ullam intercessisse illa aut me indignam, Geta, experiar
G. Quid istuc? accedo, ut melius dicas. S. tu quantum potes
Abi, atque Hegioni cognato hujus rem omnem narrato ordine.
Nam is nostro Simulo fuit summus, & nos coluit maxime.
G. Nam hercle alias nemo respicit nos. S. propera: tu, mea Canthara,
Curre, obstetricem accerse, ut cum opus sit, ne in mora nobis siet.

Quem amiserat. Et quem Pamphila sustulerat clam.

Pretium. Neque me, neque Pamphilam accepisse pecuniam ab Æschino. Si enim virgo, aut ejus mater pretium accepisset, non cogebatur legibus adolescens eam uxorem ducere.

Intercessisse. Accidisse, nihil factum esse quod illi aut mihi exprobrari possit.

Experiar. Jure & legibus agam apud Judices, cogam Æschinum stare promissis, & Pamphilam ducere.

Accedo. Aures admoveo propius, ut ex te audiam consilium aliud isto melius & nobis.

Hujus. Pamphilæ.

Simulo. Meo marito.

Summus. Amicissimus.

Respicit. Adjuvat, curat.

SCE

SCENA TERTIA.

DEMEA.

Demea rure in urbem veniens, & aliquid de Cteſiphone ſuſpicans mali in Syrum incidit.

D. DIſperii. Cteſiphonem audivi filium
Una adfuiſſe in raptione cum Æſchino.
Id miſero reſtat mihi mali, ſi illum poteſt,
Qui alicujus rei eſt, etiam eum ad nequitiam adducere.
Ubi ego illum quæram? credo abductum in ganeum
Aliquo; perſuaſit ille impurus, ſat ſcio.
Sed eccum Syrum ire video: hinc ſcibo jam ubi ſiet;
Atque hercle hic de grege illo eſt, ſi me ſenſerit
Eum quæritare, nunquam dicet carnufex:
Non oſtendam me id velle.

In raptione. Cum a Sannione abduceretur Callidia.

Id miſero ... Id malorum meorum cumulus & ſumma erit, ſi Æſchinus illum, id eſt, Cteſiphonem, qui eſt alicui adhuc rei, ſubaudi, utilis, qui adhuc frugi eſt, perdere male poſſit.

Ganeum. Vilem popinam.

Impurus. Æſchinus flagitioſus.

Scibo. Antique, pro ſciam.

De grege illo. Sodalium & ſervorum Æſchini.

Id me velle. Nempe quæritare Cteſiphonem & ea de re eſſe ſollicitum.

SCENA QUARTA.

DEMEA, SYRUS.

Demea facete illuditur a Syro, & rus abigitur.

S. OMnem rem modo ſeni,
Quo pacto ſe haberet, enarramus ordine.
Nihil quidquam vidi lætius. *D.* pro Jupiter!
Hominis ſtultitiam! *S.* collaudavit filium
Mihi, qui dediſſem conſilium, egit gratias.
D. Diſrumpor. *S.* argentum adnumeravit illico:
Dedit præterea in ſumptum dimidium minæ;
Id diſtributum ſane ex ſententia. *D.* hem,
Huic mandes, ſi quid recte curatum velis:
S. Hem Demea, haud aſpexeram te: quid agitur?
D. Quid agatur? veſtram nequeo mirari ſatis
Rationem. *S.* eſt hercle inepta, ne dicam dolo; atque
Abſurda. Piſces ceteros purga, Dromo:
Congrum iſtum maxumum in aqua ſinito ludere
Paullíſper, ubi ego venero, exoſſabitur,
Prius nolo. *D.* hæccine flagitia? *S.* mihi quidem non placent,

Seni. Micioni.

Nihil lætius. Neminem eo lætiorem.

Filium. Æſchinum.

Argentum. Pro Callidia.

Minæ. Vide act. II. ſcen. I.

Diſtributum. Inter meae ſoda es meos famulos Micionis.

Ex ſententia. Ut maxime optabam: noſtro commodo, & arbitrio.

Huic mandes. En hominem idoneum exequendi quibuslibet mandatis: ironia.

Rationem. Vivendi & agendi modum.

Ne dicam dolo. Ut ſincere & ſine dolo loquar, ut vere dicam.

Purga. Extractis inteſtinis. Fingitur aliquid operis agere Syrus in culina cum famulis, interim dum alloquitur Demeam.

Prius. Nolo illi oſſa detrahi, antequam venero.

Sal-

Et clamo ſæpe. Salſamenta hæc, Stephanio,
Fac macerentur pulchre. *D.* Di veſtram fidem?
Utrum ſtudione id ſibi habet, an laudi putat
Fore, ſi perdiderit gnatum? væ miſero mihi,
Videre videor jam diem illum, cum hinc egens
Profugiat aliquo militatum. *S.* o Demea,
Iſthuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt
Videre, ſed etiam illa, quæ futura ſunt,
Proſpicere *D.* quid? iſthæc jam penes vos pſaltria eſt?
S. Ellam intus. *D.* eho, an domi eſt habiturus? *S.* credo, ut eſt
Dementia: *D.* hæccine fieri? *S.* inepta lenitas
Patris & facilitas prava. *D.* fratris me quidem
Pudet, pigetque. *S.* nimium inter vos Demea,
(Ac non, quia ades præſens, dico hoc) pernimium intereſt:
Tu, quantus quantus, nihil niſi ſapientia es:
Ille ſomnium: ſineres vero illum tuum
Facere hæc? *D.* ſinerem illum? an non ſex totis menſibus
Prius olfeciſſem, quam ille quidquam cœperet?
S. Vigilantiam tuam tu mihi narras? *D.* ſic ſiet

Salſamenta. Carnes ſalſæ: ſale aut muria conditæ.

Macerentur. Molliantur in aqua, & ſalem amittant.

Studio habet. Facere dedita opera ſtudet.

Profugiet. Æſchinus.

Pene vos. Domi veſtræ.

Ellam. Ecce illam, non oſtendit præſentem, ſed ſignificat in remotione cubiculo eſſe & interiori.

Pudet pigetque. Pudet in his quæ turpiter facit: piget in his quæ cum Æſchini damno ac malo. Pudet quod turpe eſt: piget quod dolet. *Donat*.

Ut eſt. Tanta eſt.

Quantus quantus. A capite ad calcem.

Somnium. Eſt homo pauci ac nihili, nihil habens ſolidæ probitatis, ut ſomnium nihil habet veritatis & rei. Legunt aliqui, ille omnium, ſubaudiendo, ſtultiſſimus, inconſultiſſimus eſt.

Tuum. Cteſiphonem quem alis ruri tecum.

Olfeciſſem. Perſentiſcerem, prævidiſſem.

Cœperet. Antique dictum, pro, inciperet.

Narras? Subaudi ego vero jam diu illam pernovi.

Sic fiet. Id modo cupio ut talis eſſe Cteſipho pergat, qualis nunc eſt.

Modo, ut nunc eſt, quæſo. *S.* ut quiſque ſuum
vult eſſe, ita eſt.
D. Quid eum? vidiſtine hodie? *S.* tuumne filium?
(Abigam hunc rus) jam dudum aliquid ruri
agere arbitror.
D. Satin' ſcis ibi eum eſſe? *S.* oh, quem egomet
produxi. *D.* optume eſt.
Metui; ne hæreret hic. *S.* atque iratum admodum:
D. Quid autem? *S.* adortus jurgio fratrem apud
forum
De pſaltria iſthac. *D.* ain' vero? *S.* vah, nihil
reticuit:
Nam, ut numerabatur ſorte argentum, intervenit
Homo de improviſo: cœpit clamare, Æſchine,
Hæccine flagitia facere te? hæc te admittere
Indigna genere noſtro? *D.* oh, lacrumo gaudio.
S. Non tu hoc argentum perdis, ſed vitam tuam.
D. Salvos ſit, ſpero: eſt ſimilis majorum ſuum.
S. hui!
D. Syre, præceptorum plenus iſtorum ille. *S.* Phy,
Domi habuit, unde diſceret. *D.* fit ſedulo;
Nihil prætermitto, conſuefacio, denique

Suum. Filium.

Abigam. Hoc verſus a Demea & minus clare dicitur.

Jam dudum, &c. Cteſiphonem puto operis aliquid ruri jam dudum facere. Hoc dicit clare, & ut audiat Demea.

Produxi. Illum rus porro duxi.

Hæreret. Moraretur diutius.

Iratum. Subaudi, dimiſi, vel vidi.

Homo. Cteſipho. *Intervenit* autem eſt, medio in negotio quaſi ex inſidiis ſupervenit.

Salvos. Salvus, ſuperſtes diu ſit.

Suum. Suorum.

Hui. Quaſi admiretur ipſe quæ audit.

Præceptorum. Iſtorum, quæ audiſti illum dicentem fratri, cum eum adortus jurgio eſt.

Phy. Ain'tu vero? omnino.

Unde; A quo: te ſcilicet magiſtrum habuit, & exemplum.

Fit ſedulo. Docetur a me Cteſipho domi ſedulo.

Hoc

Inſpicere, tanquam in ſpeculum, vitas omnium
Jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi:
Hoc facito. *S.* recte ſane. *D.* hoc fugito. *S.* callide.
D. Hoc laudi eſt. *S.* iſthæc res eſt. *D.* hoc vitio datur.
S. Probiſſime. *D.* porro autem... *S.* non hercle otium eſt
Nunc mihi auſcultandi: piſces ex ſententia
Nactus ſum, hi mihi ne corrumpantur, cautio eſt.
Nam id nobis tam flagitium eſt, quam illa, Demea,
Non facere vobis, quæ modo dixti, &, quod queo,
Conſervos ad eumdem illis præcipio modum.
Hoc falſum eſt, hoc aduſtum eſt, hoc lautum eſt parum,
Illud recte; iterum ſic memento: ſedulo
Moneo, quæ poſſum pro mea ſapientia
Poſtremo tanquam in ſpeculum, in patinas, Demea,
Inſpicere jubeo, & moneo quid facto uſus ſit.
Inepta hæc eſſe, nos quæ facimus, ſentio;
Verum quid facias? ut homo eſt, ita morem geras.

Hoc facito. Hanc rem fac, iſtam fuge, hoc fit cum laude, &c.

Iſthæc res eſt. Hoc ipſum eſt nempe filio dicendum a patre.

Ex ſententia. Quales optabam.

Cautio eſt. Cavendum eſt.

Parum lautum.... Male conditum.

Memento. Subaudi, facere. Alloquitur unum aliquem e conſervis & coquis, quem docere ſe ait, ut Demea filium: perridicule.

Uſus. Opus.

Inepta hæc. Noſtram hic apud Micionem vivendi rationem.

Ut homo eſt. Ut eſt indoles Micionis, ita illi parendum.

Nunquid vis? D. mentem vobis meliorem dari.
S. Tu rus hinc ibis. D. recte. S. nam quid tu hic agas,
Ubi, si quid bene præcipias, nemo obtemperet?
D. Ego vero hinc abeo, quando is, quamobrem huc veneram,
Rus abiit: illum curo unum, ille ad me attinet.
Quando ita vult frater, de isthoc ipse viderit.
Sed quis illic est, quem procul video? estne hic Hegio
Tribulis noster? si satis cerno, is hercle est, vah, homo,
Amicus nobis jam inde a puero: Dii boni,
Næ illiusmodi jam nobis magnam civium
Penuria est, homo antiqua virtute, ac fide,
Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.
Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias
Restare video! vah, vivere etiam nunc liber.
Opperiar hominem hic, ut salutem, & colloquar.

Vis. Nunquid vis mihi aliud imperare, dicere?

Quamobrem. Cujus causa.

Isthoc. Æschino.

Tribulis. Ex eadem nobiscum tribu. Populus Athenienſis diſtributus erat in tribus 12. pro menſium numero, rurſum unaquæque tribus in triginta partes, quas genera vocabant, pro numero dierum cujuſque menſis.

Illiuſmodi. Talium.

Antiqua. Antiquitas, ut ait Cicero, *proxime ad Deos accedit*, & omnia fieri tempore deteriora creduntur; unde antiqui mores, ſunt boni probatique mores.

Haud cito. Non facile. Non is eſt a quo aliqua pernicies Reipublicæ oriatur.

Hujus generis. Stirpis & naturæ, hominum talium.

SCENA QUINTA.

HEGIO, GETA, DEMEA.

Certior fit Demea per Hegionem de Pamphila in uxorem dè Æſchino accepta.

H. PRoh Dii immortales, facinus indignum, Geta,
Quid narras? *G.* ſic eſt factum. *H.* ex illane familia
Tam illiberale facinus eſſe ortum? o Æſchine,
Pol haud paternum iſthuc dediſti. *D.* videlicet
De pſaltria hæc audivit; id illi nunc dolet
Alieno, pater id nihili pendit: hei mihi!
Utinam hic prope adeſſet alicubi, atque audiret hæc
H. Ni facient quæ illos æquum eſt, haud ſic auferent.
G. In te ſpes omnis Hegio nobis ſita eſt:
Te ſolum habemus, tu es patronus, tu pater?
Ille tibi moriens nos commendavit ſenex:
Si deſeris tu, periimus. *H.* cave dixeris,

Sic eſt factum. Æſchinus Pamphila relicta duxit Callidiam; ita enim putabant, ignorans Callidiam Cteſiphoni raptam & datam.

Pol. Per Pollucem.

Haud paternum. Subaudi, facinus.

Dediſti. Feciſti.... non ita fuiſti a patre inſtitutus: non ex moribus paternis hoc hauſiſti.

De pſaltria. Demea nondum ab Hegione & Geta agnitus, quia in remotiori adhuc theatri parte erat, audiens illos ingemiſcere, putat eam eſſe cauſſam, quod audierint raptam eſſe ab Æſchino pſaltriam.

Alieno. Non affini, aut propinquo.

Pater. Micio, qui Æſchinum adoptaverat.

Adeſſet. Micio.

Æquum eſt. Subaudi, facere: niſi Æſchinus Pamphilam, uti promiſit, uxorem ducat.

Auferent. Ferent impune.

Ille ſenex. Simulus, Pamphilæ pater demortuus.

Cave dixeris. Cave putes vos a me deſerendos.

Poſ-

Neque faciam, neque me satis pie posse arbitror,
D. Adibo: salvete Hegionem plurimum
Jubeo. *H.* te quærebam ipsum; salve Demea.
D. Quid autem? *H.* major filius tuus Æschinus,
Quem fratri adoptandum dedisti, neque boni,
Neque liberalis functus officium est viri.
D. Quid istuc? *H.* nostrum amicum noras Simulum,
Atque æqualem? *D.* quidni? *H.* filiam ejus virginem
Decepit. *D.* hem! *H.* mane, nondum audisti, Demea,
Quod est gravissimum. *D.* an quidquam est etiam amplius?
H. Vero amplius: nam hoc quidem ferundum aliquo modo est.
Venit ipsus ultro deinde ad matrem virginis,
Fidem dans, juraus se illam ductuum domum,
Lacrumans, orans: ignotum est, tacitum est, creditum est.
Ille bonus vir nobis psaltriam (si Dis placet)
Paravit, quicum vivat; illam deferit.
D. Pro certon' tu istnæc dicis? *H.* mater virginis
In medio est, ipsa virgo, res ipsa; hic Geta
Præterea, ut captus est fervorum, non malus,
Neque iners, alit illas; solus omnem familiam

Posse. Subaudi, vos deserere.

Quid autem. Subaudi, rei est novæ; vel propter quid me quærebas?

Æqualem. Ejusdem ætatis ac temporis nobiscum.

Quidni? Quidni ego noverim? cur esset mihi ignotus ille? illum omnino novi.

Mane. Expecta.

Vero. Enim vero, utique.

Si Dis placet. Latina locutio, cum indignamur, & ironice dicitur, quia quod neque bonum, neque æquum est, Diis non placet.

Paravit. Comparavit, emit.

In medio. Nota est omnibus, conveniri & adiri facile potest. *In medio* res posita dicitur, quæ est facilis & obvia.

Res ipsa. Subaudi, est in medio, per se loquitur.

Ut captus est fervorum. Quantum esse probitatis in ser-

Sustentat : hunc abduce, vinci, quæ reni-
G. Immo herele extorque, nisi ita factum est, Demea.
Postremo non negabit, coram ipsum credo.
D. Puder : nec, quid agam, neque quid huic respondeam scio.
H. Illæc fidem nunc vestram implorat, Demea;
Quod vos jus cogit, id voluntate impetret.
Hæc primum ut fiant Deos quæso, ut vobis decet,
Sin aliter animus vester est, ego, Demea,
Summa vi hanc defendam, atque illum moretuum.
Cognatus mihi erat, una a pueris parvuli
Sumus educati, una semper militiæ, & domi
Fuimus, paupertatem una pertulimus gravem :
Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius, quam illas deseram.
Quid mihi respondes? D. fratrem conveniam, Hegio;
Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.
H. Sed Demea hoc tu facito, cum animo cogites.
Quam vos facillime agitis, quam estis maxime
Potentes, dites, fortunati, nobiles :

servis & illa conditione, potest.

Abduce. Domum duci-to.

Vinci. Constringe ; da in carcerem & quæstionem.

Extorque. Tormentis.

Nisi ita... Subaudi, non recuso necem.

Negabit. Æschinus.

Credo. Jube illum huc venire.

Illæc. Pamphila.

Voluntate. A vobis volentibus.

Hæc primum, &c. Ordo est, Primum quidem Deos rogo, ut hæc fiant cum ea æquitate, quæ vobis convenit.

Vobis decet. Dixit more Græco.

Hanc. Pamphilam.

Illum. Simulum.

Experiar. Intendam litem, judicio agam.

Facillime agitis. Laute atque honeste vivitis. *Ago, agito*, sæpe pro vivo sumitur : Turnebus legit *agitatis*.

No-

Tam maxime vos æquo animo æqua noſcere
Oportet, ſi vultis perhiberi probos.
D. Redito: fient, quæ fieri æquum eſt, omnia.
H. Decet te facere. Geta duc me intro ad Soſtratam.
D. Non me indicente hæc fiunt: utinam hoc ſit modo.
Defunctum; verum nimia illa licentia
Profecto evadet in aliquod magnum malum.
Ibo, ac requiram fratrem, ut in eum hæc evomam.

Noſcere. Pro, facere. Græca locutio.
Perhiberi. Exiſtimari, prædicari.
Redito. Abi; domum tuam & quieſce.
Indicente. Non antea denunciante. Sententia eſt: ea flagitia Æſchini non miror: non fuere mihi indicta & improviſa.
Defunctum. Utinam hic finis ſit malorum & ſcelerum: *defunctum*, hoc loco vel paſſiva ſignificatione, vel imperſonaliter, ut ajunt, ſumitur: utinam pejora non committantur ab Æſchino; utinam hic deſitum ſit.
Evadet. Erumpet, definet.
Evomam. Iracundiam & ſtomachum exonerem.

SCENA SEXTA.

HEGIO, SOSTRATA.

Soſtratam Hegio ſolatur.

H. BOno animo fac ſis Soſtrata, & iſtam, quod potes,
Fac conſolere; ergo Micionem, ſi apud forum eſt,
Conveniam, atque, ut res geſta eſt, narrabo ordine.
Si eſt, facturus ut ſit officium ſuum,

Iſtam. Pamphilam.
Quod. Quantum, quatenus.
Si eſt. Si accidit; ſi fieri poteſt, ut eum ad æquitatem compa-

Faciat: ſio aliter de hac re eſt ejus ſententia;
Reſpondeat mi, ut, quid agam, quamprimum
ſciam.

paratum inveniam. ne officio.
Faciat. Fungatur ſa- *Mi*. Mihi.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

CTESIPHO, SYRUS.

Dum Syrus Cteſiphonem ſollicitum quid patri reſponſurus ſit, pulcre docet, Demea ſupervenit.

C. AIn'patrem hinc abiiſſe rus? *S.* jam dudum.
C. dic ſodes. *S.* apud
Villam eſt; nunc cum maxime operis aliquid facere credo. *C.* utinam quidem:
Quod cum ſalute ejus fiat, ita ſe defatigarit velim,
Ut triduo hoc perpetuo prorſus e lecto nequeat ſurgere.
S. Ita fiat, & iſthoc ſi quid potis eſt rectius.
C. ita, nam hunc diem

Ain'. Aiſne? an certum eſt?
Sodes. Si audes, oro te.
Operis. Laboris ruſticani.
Utinam quidem. Subaudi, ita ſit.
Quod cum. Ea tamen lege ut valetudini ejus hic labor non noceat; laboret faxe, ſed ſalva valetudine.
Et iſthoc. Fiat etiam ſi quid melius iſta re evenire poteſt: iis verbis vel longiorem morbum, vel mortem Demeæ precatur, quaſi utiliorem futuram Cteſiphoni, quam laborem aut morbum; hoc autem cum dicit, avertit ſe a Cteſiphone, qui ſi rem clarè audiret, ſervum corripere deberet; quamquam ut

im-

Miſere nimis cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitia degere.

Et illud rus nulla alia cauſſa tam male odi, niſi quia

Prope eſt: quod ſi abeſſet longius,

Prius nox oppreſſiſſet illic, quam huc reverti poſſet iterum.

Nunc, ubi me illic non videbit, jam huc recurret, ſat ſcio:

Rogabit me, ubi fuerim; quem ego hodie toto non vidi die.

Quod dicam? *S.* nihilne in mentem? *C.* nunquam quidquam. *S.* tanto nequior:

Cliens, amicus, hoſpes nemo eſt vobis? *C.* ſunt, quid poſtea?

S. Hiſce operam ut data ſit. *C.* quæ non data ſit, non poteſt fieri. *S.* poteſt.

C. Interdiu, ſed ſi hic pernocto, cauſſæ quid dicam Syre?

S. Vah, quam vellem etiam noctu amicis operam, mos eſſet dari.

improbum filium non valde amarit.

Miſere. Enixe, efflictim.

Rus. Villam Demeæ.

Oppreſſiſſet. Prius occupaſſet nox Demeam in villa.

Quem ego. Si quidem ego illum non vidi.

In mentem? Subaudi venit.

Nunquam. Non.

Tanto nequior. Latina locutio; ſit id ſonans, factum male; vel, næ tu homo es inconſultus, & parum aſtutus; contra eſt, tanto melior.

Cliens. Clientes erant in populo Romano, cives tenuiores, qui ſe in fidem potentiorum & patrocinium tradebant, eoſque ut filii colebant, aſſectabantur, &c.

Quid poſtea? Quid hoc ad rem pertinet?

Hiſce, &c. Ut dicas te illis operam dediſſe, id eſt, laborem aliquem eorum cauſſa in urbe ſumpſiſſe, aliquid operæ & beneficii illis præſtitiſſe, dic factum eſſe ut his data ſit opera.

Fieri. Dici hoc non poteſt.

Interdiu. Sane, inquit Cteſipho, poſſet id a me dici, me interdiu, hoc eſt per diem, illis operam dediſſe; at ſi hic per noctem totam maneo, &c.

Quin

Quin tu otioſus es : ego illius ſenſum pulchre calleo :
Cum fervit maxume, tam placidum, quam ovem reddo. *C.* quomodo ?
S. Laudárier te audit libenter : facio te apud illum Deum :
Virtute narro. *C.* meas ? *S.* tuas : homini illico lacrumæ cadunt,
Quaſi puero, gaudio : hem tibi autem . . . .
C. quidnam eſt ? *S.* LUPUS IN FABULA.
C. Pater eſt ? *S.* ipſus eſt. *C.* Syre quid agimus ?
S. fuge modo intro, ego videro.
C. Si quid rogabit, nuſquam tu me : audiſtin' ?
S. potin' ut deſinas ?

Quin tu, &c. Atqui ſecurus tamen eſto, & vacuus metu.

Illius, &c. Novi egregie indolem Demea.

Fervit. Fervet, irascitur.

Facio te Deum. Te inſtar Dei cujuſdam laudo ; ad ſuperos te laudibus meis extollo.

Gaudio. Præ gaudio.

Hem tibi. Subaudi, adeſt.

Lupus in fabula. Adeſt ille ipſe de quo loquimur. Et hic fabula pro narratione ponitur. Si lupus videat aliquem prior, dicitur illi vocem eripere ; unde Virg. *vox quoque Mœrim jam fugit ipſa, lupi Mœrim videre priores* : ſic ubi quiſpiam, de quo non ita commode loquebamur, intervenit, facit ut abrumpamus ſermonem & velut obmuteſcamus, quaſi ſi lupus nos prior vidiſſet.

Videro. Pro, videbo, & conſulam quid facto ſit opus.

Tu me. Subaudi, dicito vidiſſe.

Potin'..... Poteſne tacere ? quin tu plura deſinis.

SCENA SECUNDA.

DEMEA, CTESIPHO, SYRUS.

Demea filium Ctesiphonem quærebat, illum Syrus belle ludificatur, & procul in extremum urbem abigit.

D. NÆ ego homo sum infelix? primum fratrem nusquam invenio gentium:
Præterea autem, dum illum quæro, a villa mercenarium
Vidi, is filium negat esse ruri, nec quid agam scio.
C. Syre. S. quid ais? C. men'quærit? S. Verum. P. perii. S. quin tu animo bono es.
D. Quid hoc malum infelicitatis? nequeo satis decernere,
Nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis:
Primus sentio mala nostra, primus rescisco omnia,
Primus porro obnuncio: ægre solus, si quid sit, fero.

Gentium. Genitivus hic additur elegantia causſa, ut alii, locorum, rerum, &c.

A villa. Subaudi, venientem.

Mercenarium. Hominem qui mercede opus facit, maxime rem.

Nec quid agam scio. An fratrem, an filium magis quæram? utrum in urbe maneam, an rus eam.

Verum. Verum est: ita est.

Malum. Ea vox, qua si esset adverbium, ponitur ad dolorem, detestationemque significandam.

Decernere. Statuere.

Ferundis. Nempe ferendis miseriis.

Rescisco. Rescisere, & rescire, non est iterum scire: sed factum aliquod occultius, aut inopinatum, insperatumve cognoscere.

Obnuncio. Obnunciat, qui malam rem nunciat, & proprie obnunciare dicuntur augures qui aliquid mali ominis viderint. *Donat.*

Pri-

S. Rideo hunc: primum ait se scire, is solus nescit omnia.

D. Nunc redeo, si forte frater redierit, viso, C. Syre

Obsecro, vide ne ille hoc prorsus se irruat. S. etiam taces?

Ego cavebo. C. numquam hercle hodie ego istuc committam tibi.

Nam me in cellam aliquam concludam, id tutissimum est.

S. Age, tamen ego hunc amovebo. D. sed ecquem sceleratum Syrum.

S. Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest:

Scire equidem volo, quot mihi sint domini: quæ hæc est miseria?

D. Quid ille gannit? quid vult? quid ais bone vir? hem, est frater domi?

S. Quid (malum) bono vir mihi narras? equidem perii. D. quid tibi est?

Primum. In accusandi casu est.

Se irruat. Irrumpat neutrum verbum quasi activum posuit.

Etiam taces? Nondumne taces?

Isthuc. Istud: nunquam tuæ curæ & astutiæ committam hoc negotium, hanc curam cavendi, ne huc intro pater se inferat.

Cellam. Cubiculum angustum: proprie est locus clausus, ubi servantur & celantur esculenta & poculenta.

Age. Ut libet.

Durare. Diutius manere: hoc verbum perferendis malis convenit. *Donat*. & sumitur a re fullonia quod pannus coactus & compressus durescat. Huc intelliges Plauti responsum in Asinaria. *Non queo durare?* Pa. *Si non didicisti fulloniam non est mirandum*.

Si sic fit. Si res ita geritur: si tam male mulctantur servi.

Gannit. Mussitat, narrat: *gannire* proprie vulpium est quiritantium.

Quid mihi narras. Quid me ita compellas familiariter, & quasi per jocum, dum virum bonum me nominas, qui pene sum enectus verberibus: vel, simpliciter reperit eadem verba, quæ Demea dixerat: tu bone vir, quid a me petis? abi, sis in malam rem.

Usque.

S. Ropitas? Ctesipho me pugnis miserum, & istam psaltriam
Usque occidit. *D.* hem, quid narras? *S.* hem, vide ut discidit labrum.
D. Quamobrem? *S.* me impulsore hanc emptam esse ait. *D.* non tu eum.
Rus hinc modo produxe ajebas? *S.* factum, verum venit post insaniens:
Nihil pepercit: non puduisse verberare hominem senem,
Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis?
D. Laudo, Ctesipho: patrissas; abi, virum te judico.
S. Laudas, ne ille continebit posthac, si sapiet, manus.
D. Fortiter. *S.* perquam; quia miseram mulierem & me servulum,
Qui referire non audebam, vicit; hui perfortiter!
D. Non potuit melius: idem sensit quod ego, te esse huic rei caput.
Sed estne frater intus? *S.* non est. *D.* ubi illum quæram, cogito.
S. Scio ubi sit, verum hodie numquam monstrabo. *D.* hem, quid ais?

Usque. Pene; *occidit* autem est, mulctavit, contulit, cecidit.

Produxe. Pro produxisse: ita vixet, pro vixisset; apud Virg. extinxem, pro extinxissem, &c. Nonne dixisti mihi modo te illum rus euntem porro duxisse & prosecutum esse?

Factum. Ita factum est a me, ut dixi tibi.

Non puduisse. Adeone illum fuisse barbarum ut eum non puduerit.

Tantillum. Tam exiguum, olim puerulum.

Patrissas. Patrios mores habes, patrem imitaris.

Abi. Laudantis est: non quod præsentem alloquatur: bene est, judico te fortem & bonum virum esse, hoc qui feceris.

Fortiter. Fecit fortiter Ctesipho, qui te sit mulctaverit.

Perquam. Sane fecit perquam fortiter: ironia.

Non potuit melius. Subaudi, fieri.

Huic rei. Raptioni Callidiæ.

Caput. Caussam, originem.

Di-

S. Ita. *D.* diminuetur tibi quidem jam cerebrum.
S. at nomen nescio
Illius hominis, sed locum novi ubi sit. *D.* dic ergo locum.
S. Nostin' porticum apud macellum hanc deorsum. *D.* quidni novcrim?
S. Præterito hac recta platea sursum: ubi eo veneris,
Clivos deorsum versum est; hac te præcipitato? postea
Est ad hanc manum sacellum; ibi angiportum propter est.
D. Quonam? *S.* illic, ubi etiam caprificus magna est, nostin'? *D.* novi. *S.* hac perogito.
D. Id quidem angiportum non est pervium. *S.* verum; hercle, vah?
Censen' hominem me esse? erravi: in porticum rursum redi.

Diminuetur. In minutas partes confringetur.

Illius hominis. Puta, fabri aut opificis, apud quem est Micio.

Hanc deorsum. Quæ est in via paullum declivi.

Quidni novcrim? Enim vero illam porticum novi. Cur eam non nossem?

Præterito. Ito præter hanc porticum sic, ut recta ascendas sursum per plateam, id est, ut partem vici & plateæ superiorem teneas, non declivem alteram.

Clivos. Clivus est deorsum vergens.

Hac. Per hunc clivum descende præceps, propere.

Hanc manum. Quænam sit, læva an dextra, gestu indicat.

Antipertum. Angusta via, ita dicta quod per eam nihil agi, ac duci possit in portus: vel, ut ait Donatus, quod sit angusta semita inter domos, nam domos antiqui portus appellabant. Vicus autem non pervius, sive clausus ab una parte, fundula dicitur, a fundo puta vasis, putei; qui fundus exitu caret.

Propter est. Prope est.

Quonam. Subaudi, in loco.

Caprificus. Ficus silvestris.

Verum. Ita est, per Herculem, ut dicis.

Censen'. Censesne? opinor intelligis me esse hominem, adeoque errori obnoxium. Vult Donatus istud *censesne*? negantis esse.

Sane hac multo proprius ibis, & minor eſt erratio:

Scin' Cratini hujus ditis ædes? D. ſcio. S. ubi eas præterieris,

Ad ſiniſtram hac recta platea: ubi ad Dianæ veneris,

Ito ad dextram, prius quam ad portam venias, apud ipſum lacum

Eſt piſtrilla, & ex adverſum eſt fabrica, ubi eſt. D. quid ibi facit?

S. Lectulos in ſole ligneis pedibus faciundos dedit.

D. Ubi potetis vos? bene ſane: ſed ceſſo ad eum pergere?

S. I ſane, ego te exercebo hodie, ut dignus es, ſilicernium.

eſſe: putaſne me eſſe hominem? certe non ſum, niſi corpore: parum ingenioſus & intelligens ſum, adeoque facile fuit errare me.

Propius. Brevius.

Platea. Subaudi, perge, ito.

Dianæ. Subaudi, ædem ſacram.

Lacum. Aquæ receptaculum in urbe prope portam civitatis, ubi potantur equi, abluuntur lintra, &c.

Piſtrilla. Exiguum piſtrinum quaſi piſtrinula: dicebant enim antiqui piſtrina pro piſtrinum.

Ex adverſum. Contra, e regione.

Fabrica. Officina Fabri lignarii.

In ſole. Quibus ad menſam accumbatur in ſole, in loco aprico.

Ligneis. Ex ilice.

Silicernium. Senex decrepite: hoc autem aversus & tacitus dicit. Erat proprie *ſilicernium* cœna, quæ inferebatur Diis manibus, quod eam ſilentes, hoc eſt, mortui & umbræ cernerent, & haberent, vel quod qui eam parabant & offerebant, ſilentes tantum ipſam cernerent, nihilque ex ea contigerent. Senex dicitur ſilicernium quia brevi moriturus cum ſit, ſpectat ipſum hæc cœna feralis proxime: vel ita vocatur, quia brevi ſilentibus, hoc eſt, mortuis, cernendus ſit: vel denique, quia ſilicem, hoc eſt, Sarcophagum & tumulum ſpectat: alii a ſilice, factum volunt ſilicernum, hoc eſt ſilicem, ut a nocte nocturnum, a menſe menſtruum; hinc prandium ſilicernum, quod fieret circa ſilicem ſeu tumulum.

Æschinus odiose cessat, & prandium corrumpitur :
Ctesipho autem latitat alicubi : ego jam prospiciam mihi.
Nam jam adibo, atque unumquodque, quod quidem erit bellissimum,
Carpam, & cyathos sorbillans paullatim hunc producam diem.

lum mortui, dictum esse silicernium.

Odiose. Molestè, incommode.

Cessat. Mors trahit.

Adibo. Ingrediar locum ubi paratum est prandium.

Cyathos sorbillans. Pocula alia ex aliis leniter sorbens.

Producam. Transigam usque ad extremum.

SCENA TERTIA.

MICIO; HEGIO.

Rogat Micionem Hegio, ut Sostratam adeat & consoletur : annuis Micio.

M. EGO in hac re nihil reperio, quamobrem
lauder tantopere, Hegio,
Meum officium facio, quod peccatum a nobis ortum est, corrigo,
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant

Ego. Suspicatur Muretus hanc scenam esse primam Actus v. quia vacuum est theatrum, abeunte Demeâ quæsitum fratrem ; Syro potatum : sed cum in hoc ipso temporis articulo supervenient Micio & Hegio ex alia parte theatri, etsi remotiore, ac loquantur antea quam Demea discesserit, licet eos audire vel dispicere nequeat ; potest videri theatrum non esse vacuum, quod plerisque aliis in locis & scenis usuvenit.

A nobis. Flagitium quod a nostra domo, ab Æschino filio meo adoptivo est profectum.

Sibi fieri injuriam, ultro si quam facere ipsi, expostulant,
Et ultro accusant: id quia non est a me factum, agis gratias.
H. Ah, mi inime: nunquam te aliter, atque es, in animum induxi meum.
Sed quæso, ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio;
Atque isthæc eadem, quæ mihi dixti, tute dicas mulieri:
Suspicionem hanc propter fratrem ejus esse, & illam psaltriam.
M. Si ita æquum censes, aut si ita opus est facto, eamus. *H.* bene facis;
Nam & illi animum jam revelabis, quæ dolore, ac miseria
Tabescit, & tuo officio fueris functus; sed si aliter putas,
Egomet narrabo quæ mihi dixti. *M.* immo ego ibo. *H.* bene facis:
OMNES, QUIBUS RES SUNT minus secundæ, magis sunt nescio quomodo
Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt magis:
Propter suam impotentiam se semper credunt negligi.

Ultro, &c. Qui se læsos putant, si queraris de injuria tibi ab iis illata; immo qui alios primi accusant, ego talis nondum, & recte factum a te puto, qui ultro expostules de illata injuria, adeoque nihil mihi debes, si hoc in bonam partem accipiam.

Te aliter. Subaudi, esse: alium te esse atque es, nunquam duxi.

Suspicionem hanc. Quæ illam augit, dum putat suam filiam Pamphilam ab Æschino relictam esse, hanc suspicionem, inquam, esse falsam, quia ista psaltria est rapta non propter ipsum Æschinum, sed propter ejus fratrem.

Ad contumeliam. Quasi fierent in ipsorum contumeliam.

Impotentiam. Imbecillitatem, inopiam.

Pur-

Quapropter te ipsum purgare ipsis coram, placabilius est.

M. Et recte & verum dicis. *H.* sequere me ergo hac intro. *M.* maxume.

Purgare. Suspicionem diluere. *Placabilius*. Accommodatius ad eam placandam.

SCENA QUARTA.

ÆSCHINUS.

Dolet injectam Sostratæ suspicionem esse, quasi Pamphilum deserere voluerit.

Æ. DISCRUCIOR animi: hoccine de improviso mali mihi objici
Tantum, ut neque quid me faciam, neque quid agam, certum siet?
Membra metu debilia sunt; animus timore obstupuit: pectore
Consistere nihil consilii quidquam potest: vah quomodo
Me ex hac turba expediam? tanta nunc suspicio de me incidit,
Neque ea immerito: Sostrata credit, mihi me hanc emisse psaltriam:
Anus indicium id fecit mihi.
Nam ut hinc forte exierat, ubi eam vidi, illico
Accedo, rogito, Pamphila quid agat; jam partus adfiet:
Eone obstetricem accersat: illa exclamat, abi, abi, jam Æschine,

Animi. Subaudi, causa, vel curis, doloribus animi.
Consistere. Certum esse ac deliberatum.
Turba. Negotio.
Anus. Vetula Sostratæ ancilla.
Indicium id. Indicavit mihi Sostratam hoc suspicari.
Adfiet. Instet. An brevi paritura sit.

Satis diu verba dedisti nobis, sat adhuc tua frustrata est fides.

Hem, quid isthuc, obsecro, inquam est? valeas, habeas illam, quæ placet.

Sensi illico id illam suspicari: sed me repressi tamen,

Ne quid de fratre garrulæ illi dicerem, ac fieret palam.

Nunc quid faciam? dicam ne fratris esse hanc? quod minime est opus

Usquam efferri: age, mitto; fieri potis est, ut ne qua exeat:

Ipsum id metuo ut credant; tot concurrunt verisimilia:

Egomet rapui: ipse egomet solvi argentum, ad me abducta est domum:

Hæc adeo mea culpa fateor fieri, non me hanc rem patri.

Ut ut erat, gesta, indicasse! exorassem, ut eam ducerem domum.

Dedisti verba. Verba dare, est fallere, promissis non stare.

Hem. Hæc dicit Æschinus vetulæ.

Valeas. Vetulæ verba sunt: facesse o Æschine: vel, bene sit tibi: ironia.

Illam. Callidiam, hanc enim Sostrata suspicabatur ab Æschino raptam & prælatam Pamphilæ filiæ suæ.

Repressi. Nolui arcanum omne aperire isti vetulæ loquaci.

Efferri. Palam fieri.

Age mitto, &c. Sed esto sane, fieri possit ut id non exeat; id est, permaneat, pervulgetur; metuo tamen ne non mihi credant Sostrata, & Hegio, si dixerim me non mihi, sed fratri Callidiam rapuisse, adeo multa conveniunt verisimilia; cur existimer illam voluisse mihi rapere ipsi.

Ad me domum. Meam domum est abducta e Sannionis domo.

Hanc rem. Meas cum Pamphila nuptias.

Patri. Micioni.

Ut ut erat gesta. Sive bene, sive male.

Indicasse. Infinitivus adhibetur in motu gravicri; subaudiendum, nonne me oportuit, decebat indicasse?

Ducerem domum. Uxorem haberem palam: uxores ducebantur virorum domum cum facibus & pompa.

Ces-

Ceſſatum uſque adhuc eſt ; nunc jam porro Æſchine expergiſcere.

Nunc hoc primum eſt ; ad illas ibo , ut purgem me , accedam ad fores.

Perii , horreſco ſemper , ubi fores pulſare haſce occipio miſer.

Heus , heus , Æſchinus ego ſum , aperite aliquis actutum oſtium.

Prodit neſcio quis ; concedam hue.

Ceſſatum eſt. Nempe a me , haſtenus ſilui & cunctatus ſum rem omnem aperire Micioni.

Hoc primum eſt. Illud primo loco agendum eſt.

Purgem. Excuſem , crimen amoliar.

Fores. Soſtratæ.

Aperite aliquis. Aliquis vim pluralem habet , inquit *Donat*. quia non eſt aliquis niſi de multis.

SCENA QUINTA.

MICIO , ÆSCHINUS.

Æſchinus Micioni aperit ſuas cum Pamphilo , quas haſtenus eum celarat , nuptias.

M. ITA ut dixi , Soſtrata ,
Facito : ego Æſchinum conveniam , ut quomodo acta hæc ſint , ſciat.
Sed quis oſtium hoc pulſavit ? Æ. pater hercle eſt , perii , M. Æſchine.
Æ. Quid huic hic negotii eſt ? M. tunc has pepulisti fores?
Tacet : cur non ludo hunc aliquantiſper ? melius eſt ,

Ut dixi. Multa intus locutus fuerat ; nunc jubet ut vel ſecuræ ſint , vel adorment nuptias. *Donat*.

Non ludo. Non inani timore percello , animi cauſſa , & exagito : dicit hoc ſecum , & clam.

Quandoquidem hoc nunquam mihi ipse voluit credere.
Nil mihi respondes? Æ. non equidem istas, quod sciam.
M. Itane? nam mirabat quid hic negotii esset tibi.
Frubuit: salva res est. Æ. dic sodes, pater.
Tibi vero quid isthic est rei? M. nihil mihi quidem:
Amicus quidam me a foro abduxit modo
Huc advocatum sibi. Æ. quid? M. ego dicam tibi.
Habitant hic quædam mulieres pauperculæ,
Opinor has non nosse te, & certo scio:
Neque enim diu huc commigrarunt. Æ. quid tum postea?
M. Virgo est cum matre. Æ. perge. M. hæc virgo orba est patre:
Hic meus amicus illi genere est proximus:
Huic leges cogunt nubere hanc. Æ. petii. M quid est?
Æ. Nihil. recte: perge. M. is venit, ut secum avehat:
Nam habitat Mileti. Æ. hem! virginem ut secum advehat?
M. Sic est. Æ. Miletum usque obsecro? M. ita. Æ. animo male est.

Hoc. Arcanum, clandestinas nuptias.
Credere. Aperire, & mihi confidere.
Istas. Subaudi, pulsavi fores.
A foro. Platea.
Advocatum. Non significat hic causidicum, sed eum qui ad opem alicui in negotio ferendam ab illo vocatur, & rogatur, ut vel sua tantum præsentia, vel suffragatione reum adjuvet.
Diu. Pridem.
Virgo. Pamphilam intelligit.
Leges. Lex erat Athenis a Solone lata, ut virginem orbam parentibus duceret is qui esset illi proximus genere, aut ei dotem daret.
Avehat. Pamphilam.
Mileti. Est urbs Asiæ minoris in Caria.
Obsecro. Mirantis & interrogantis est.
Animo male est. Discrucior, vel, linquor animo.

Cen-

Quid ipsæ? quid ajunt? *M.* quid istas censes?
nihil enim
Commenta mater est, esse ex alio viro
Nescio quo puerum natum, neque eum nominat?
Priorem esse illum, non oportere huic dari.
Æ. Eho nonne hæc justa tibi videntur postea?
M. Non. *Æ.* obsecro, non? an illam hinc abducet, pater?
M. Quidni illam abducat? *Æ.* factum a vobis duriter,
Immisericorditerque; atque etiam, si est, patèr
Dicendum magis aperte, illiberaliter.
M. Quamobrem? *Æ.* rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi misero, qui illi consuevit prius,
(Qui infelix, haud scio, an illam misere nunc amat)
Cum hanc sibi videbit præsens præsenti eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum, pater!
M. Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?
Cui, quando nupsit? auctor his rebus quis est?
Cur duxit alienam? *Æ.* an sedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus huc
Illinc veniret, expectantem? hæc mi pater

Censes? Subaudi, dicere.

Nihil enim. Subaudi, dicunt.

Commenta est. Excogitavit hanc fabulam ut diceret; &c.

Priorem. Potiorem; præferendum.

Huic dari. Pamphilam uxorem non esse dandam huic, qui genere est proximus, sed illi, unde filium prius Virgo suscepit, ita pugnat mater.

Illi consuevit. Pro uxore illam hactenus habuit.

Haud scio an. Procul dubio, utique.

Istuc. Istud dicis?

Quis despondit? Quis illi ignoto Pamphilam uxorem promisit?

Cui? Quis ille est, qui vocatur, cui data uxor esse dicitur.

Auctor. Is dicitur, cujus nomine & fide res aliqua transigitur, qui eam ratam & firmam facit, cujus eventum præstat.

Sedere. Innuptam esse.

Grandem. Ætate provectam.

Te dicere æquum fuit, & id defendere.
M. Ridicule: adverſumne illum cauſſam dicerem,
Cui veneram advocatus? ſed quid, Æſchine,
Noſtra, aut quid nobis cum illis? abeamus; quid eſt?
Quid lacrumas? *Æ.* pater, obſecro, auſculta. *M.* Æſchine audivi omnia,
Et ſcio, nam te amo; quo magis, quæ agis, curæ ſunt mihi.
Æ. Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater,
Ut me hoc delictum admiſiſſe inme id mihi vehementer dolet,
Et me tui pudet. *M.* Credo hercle, nam ingenium novi tuum
Liberale: ſed vereor ne indiligens nimium ſies.
In qua civitate tandem te arbitrare vivere?
Clam patre tuo pro uxore habuiſti virginem:
Jam id peccatum primum magnum: at poſtquam id evenit, cedo,
Nunquid circumſpexti? aut nunquid tute proſpexti tibi?
Quid fieret? qua fieret? ſi te ipſum mihi puduit dicere,
Qua reſciſcerem? hæc dum dubitas, menſes abierunt decem.

Noſtra? Subaudi, refert?

Promerentem. Merentem amari.

Tui pudet. Pudore afficior tui cauſſa & gratia; pudet me in conſpectum tuum venire.

Circumſpexti. Circumſpexiſti: in omnem partem oculos circumtuliſti, ut videres quid eſſet in ea re mali, periculi, & remedii.

Quid fieret. Quid faciendum tibi eſſet, qua ratione faciendum, quid cautionis & remedii, quo pacto afferendum.

Qua reſciſcerem. Qua via & ratione iſtud ab alio quopiam acciperem, ſi quidem te ipſum pudebat mihi dicere. Nihil horum conſideraſti.

Hæc dum dubitas. Dum hæres incertus ac dubius quid agas, dum cunctaris huic malo mederi.

Pro-

Prodidisti & te, & illam miseram, & guatum,
quod quidem in te fuit.
Quid? credebas, dormienti hæc tibi confecturos
Deos?
Et illam, sine tua opera, iri deductum domum?
Nolim ceterarum rerum te socordem eodem
modo.
Bono animo es, duces uxorem hanc. Æ. hem!
M. bono animo es, inquam. Æ. Pater,
Obsecro num ludis tu nunc me? M. ego te?
quamobrem? Æ. nescio:
Nisi, quis tam misere hoc esse cupio verum,
eo vereor magis.
M. Abi domum, ac Deos comprecare, ut uxo-
rem aceersas: abi.
Æ. Quid: jamne uxorem? M. jam. M. jam?
M. jam quantum potest. Æ. Di me, pater,
Omnes oderint, ni magis te, quam oculus nunc
amo meos.
M. Quid? quam illam? Æ. æque. M. perbeni-
gne. Æ. quid? ille ubi est Milesius?
M. Abiit; periit; navem ascendit: sed cur ces-
sas? Æ. abi pater:
Tu potius Deos comprecare, nam tibi eos certe
scio,
Quo vir melior multo es, quam ego, obtempe-
raturos magis.
M. ego eo intro; ut, quæ opus sunt, parentur;
tu fac, ut dixi, si sapis.

Prodidisti. Decepisti, in periculum adduxisti.

Gnatum. Natum ex ea infantem.

Confecturos. Deos istis malis provisurus: te cessante, nihil agente.

Vereor. Ne non verum sit. Est autem ordo: nescio an me laudas, & eo magis vereor ne me ludas; quo magis cupio rem ita esse, uti dicis.

Jam quantum potest. Quam fieri poterit celerrime.

Quam illam. Num amas me magis quam illam, nempe Pamphilam

Æque. Atque illam.

Periit. Evanuit, quid illo factum fuerit ignoratur: ita, rem a se fuisse fictam, indicat.

Ut dixi. Esto deinceps cautior & sapientior.

Æ. Quid hoc eſt negoti? hoc eſt patrem eſſe, aut hoc eſt filium eſſe?
Si frater, aut ſodalis eſſet, qui magis morem gereret?
Hic non amandus? hiceine non geſtandus in ſinu eſt? hem!
Itaque adeo magnam mihi injecit ſua commoditate curam,
Ne forte imprudens faciam, quod nolit: ſciens cavebo.
Sed ceſſo ire intro, ne mora meis nuptiis ego-met ſiem.

Hoc eſt filium eſſe. Quis filius me fortunatior eſt? quis pater iſto melior?
Geſtandus in ſinu. Locutio latina: ex animo diligendus.
Itaque, &c. Fecit Micio iſta ſua benignitate in me, ut vehementer id curem & caveam, ne quid imprudens faxim, quod ipſi diſplicere poſſit: prudens certe & ſciens nihil ejuſmodi faciam.

SCENA SEXTA.

DEMEA.

Demea defatigatus curſitando per urbem, ut fratrem quæreret, eo non invento domum ipſius redit, ut, quem abeſſe putat, expectet.

D. DEfeſſus ſum ambulando: ut, Syre, tecum tua
Monſtratione magnus perdat Jupiter.
Perrepravi uſque omne oppidum, ad portam, ad lacum,
Quo non? neque illic fabrica ulla erat, neque fratrem homo

Ut te. Subaudi, precor, velim.
Monſtratione. Monſtraverat, ſive indicaverat Syrus in ſcena ſecunda, ubi moraretur Micio: locum vide.
Fabricam. Officina fabri

Vidiſſe ſe ajebat quiſquam : nunc vero domi
Certum obſidere eſt uſque, donec redierit.

bri lignarii.
Obſidere. Perſtare velut in obſidione & excubiis.
Uſque. Tamdiu.

SCENA SEPTIMA.

MICIO, DEMEA.

Fuit Demea ob Æſchini flagitium : Micio fratrem conatur placare mira lenitate.

M. IBo, illis dicam nullam eſſe in nobis moram.
D. Sed eccum ipſum : te jam dudum quæro, Micio.
M. Quidnam ? *D.* fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adoleſcentis. *M.* ecce autem. *D.* nova, Capitalia. *M.* ohe, jam .... *D.* ah ! neſcis qui vir. *M.* ſcio.
D. Ah ſtulte, tu de pſaltria me ſomnias. Agere, hoc peccatum eſt in virginem civem. *D.* ſcio.
D. Ohe, ſcis, & parere ? *M.* quid ni patiar ? ſit. *D.* dic mihi,

Illis. Soſtratæ, Pamphilæ, dicam per me non ſtare quominus Pamphilæ cum Æſchino nuptiæ celebrentur.
Quidnam. Propter quid autem ?
Illius. Æſchini.
Ecce autem. Subaudi, occipiunt furgia, incipit litigare.
Capitalia. Capite & extremo ſupplicio plectenda.
Ohe, jam .... Satis eſt, deſine, particulæ hæc, *ohe*, finem rei notat.
Qui vir. Quam flagitioſus adoleſcens ſit Æſchinus. Hoc verbum *vir*, ad laudem fere accipitur, & in bonam partem : ſumitur itaque hic ironice.
Hoc. De quo tecum ago, quod modo queror, ab eo commiſſum eſt in civem, non in pſaltriam ignotam & mancipium.

In-

Non clamas? non insanis? *M.* non. *D.* malim quidem.
Puer natus est. *M.* Di bene vortant .... *D.* virgo nihil habet.
M. Audivi. *D.* & ducenda indotata est? *M.* scilicet.
D. Quid nunc futurum est? *M.* id enim, quod res ipsa fert?
Illinc huc transferetur virgo. *D.* o Jupiter!
Isthoccine pacto oportet? *M.* quid faciam amplius?
D. Quid facias, rogitas? si non re ipsa tibi istuc dolet,
Simulare certe est hominis. *M.* quin jam virginem
Despondi; res composita est, fiunt nuptiæ;
Dempsi metum omnem: hæc magis sunt hominis. *D.* cetera
Placet tibi factum Micio? *M.* non: si queam
Mutare, NUNC, CUM non queo, æquo animo fero.
ITA VITA EST HOMINUM, quasi, cum ludas tesseris:
Si illud, quod est maxume opus jam, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
D. Corrector! nempe tua arte viginti minæ
Pro psaltria periere: quæ, quantum potest,
Aliquo abjicienda est, si non pretio, at gratiis.
M. Neque est, neque illam sane studeo vendere.

Insanis. Debaccharis.
Malim quidem. Subaudi: male perire, quam hæc pati.
Fert. Monet; nempe id fiet quod est faciendum, res ipsa loquitur.
Illinc. E domo matris.
Huc. In nostram.
Oportet. Subaudi, fieri.
Ipsa re. Propter flagitii gravitatem.
Simulare. Dolorem.
Hominis. Probi & prudentis.
Non. Non placet; velim, si possem, facere, ut factum non esset: si esset integrum, vellem esse infectum.
Non cadit. Non jactum est.
Corrector! Præclarum emendatorem!
Viginti minæ. Vide actum superiorem.
Si non pretio. Si non potest evici ita ut alicui vendatur pretio.
Gratiis. Gratuito.
Neque est. Subaudi ejus.

D. Quid igitur facies? *M.* domi erit. *D.* pro Divum fidem!
Psaltria, & materfamilias una in domo?
M. Cur non? *D.* sanumne te credis esse. *M.* equidem arbitror.
D. Ita me Di ament, ut video ego tuam ineptiam;
Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
M. Cur non? *D.* & nova nupta eadem hæc discet? *M.* scilicet.
D. Tu inter eas restim ductam saltabis. *M.* probe!
Et tu nobiscum una, si opus sit. *D.* hei mihi!
Non te hæc pudent? *M.* jam vero omitte, Demea,
Tuam isthanc iracundiam, atque ita, uti decet,
Hilarem, ac lubentem fac te in nati nuptiis.
Ego hos conveniam; post huc redeo. *D.* o Jupiter!
Hanccine vitam? hoscine mores? hunc dementiam?
Uxor sine dote veniet, intus psaltria est,
Domus sumptuosa, adolescens luxu perditus,
Senex delirans: ipsa, si cupiat, Salus.
Servare prorsus non potest hanc familiam.

ficienda, vendenda.

Materfamilias. Mulier pudica & honesto juncta matrimonio significatur, quasi familiæ mater: familias genitivus est priscus.

Facturum. Subaudi, hoc, nempe te illa domi tuæ servaturum.

Quicum. Cum qua.

Nova nupta. Pamphila.

Restim ductans. Romani ita saltabant interdum, ut præsultor, & chori princeps funem teneret manu, tum ceteri ab illo: natum hoc ludi genus refert Donatus ab eo fune, quo equus ligneus a Græcis fabricatus in Trojana mœnia introductus est.

Una. Subaudi, saltabis, funem tenebis.

Lubentem. Vox ista conviviis apta est: unde Aul. Gellius lubentias, vocat conviviorum lautitias, & ad bibendum invitationes l. 15. 2.

Hos. Æschinum, Sostratam, Hegionem.

Salus. Dea incolumitatis & sanitatis præses, cui dicatum Romæ templum.

SCENA OCTAVA.

SYRUS, DEMEA.

Syrus bene potus ac pransus a domo Æschini prodit, atque a Demea deprehenditur.

S. Æ Depol, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum;
Abi: sed postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare huc libitum est. D. illud sis vide
Exemplum disciplinæ. S. ecce autem hic adest senex
Noster; quid fit? quid tu es tristis? D. oh scelus!
S. Eho, jam tu verba fundis hic, sapientia:
D. Tun'si mens esses? .... S. Dis quidem esses, Demea,
Ac tuam rem constabilisses. D. exemplum omnibus
Curarem ut esses. S. quamobrem? quid feci? D. rogas?
In ipsa turba, atque in peccato maxumo,
Quod vix sedatum satis est, potasti scelus,
Quasi re bene gesta. S. Sane nollem huc exitum.

Ædepol. Per ædem seu templum Pollucis.

Syrisce. Se ipsum alloquitur, voce diminuta, ut blandientes solent.

Munus. Ironia, bene potasti.

Abi. Vox etiam blandientis, id sonans, bene est; gratulor.

Prodeambulare. Prodire & spatiari ante fores.

Sis. Si vis; expletiva particula rogitantis est, & ferme verbo postponitur, videsis, referis, idest, si placet, vide; rogo te ut referas, videas &c.

Disciplinæ. Modestiæ, temperantiæ, domus bene moratæ.

Quid fit. Hæc vocula se invicem salutabant vulgo.

Verba. Sententias.

Sapientia. Quasi si esses ipsa sapientia.

Tun'. Tune. Subaudi, hæc faceres, ita fatur esses, ita flagitiosus.

Dis. Dives, sumitur interdum pro Deo divitiarum Pluto, & Plutone, Dis, Ditis.

Rem. Opes, fortunas, familiam tuam florentem in perpetuum reddidisses.

Exitum. Impersonale vocis passivæ: nollem huc prodisse; huc a me prodeambulatum doleo.

SCE-

SCENA NONA.

DROMO, SYRUS, DEMEA.

Demea Cteſiphonem appellari audiens a Dromone, fores irrumpit, ac potantem cum Callidia Cteſiphonem offendit.

D. HEus Syre, rogat te Cteſipho ut redeas.
S. abi.
D. Quid Cteſiphonem hic narrat? S. nihil. D. eho, carnifex,
Eſt Cteſipho intus? S. non eſt. D. cur hic nominat?
S. Eſt alius quidam paraſitaſter parvulus.
Noſtin'? D. jam ſcibo. S. quid agis, quo abis? D. mitte me.
S. Noli inquam. D. non manum abſtines, maſtigia?
An tibi mavis cerebrum diſpergi hic? S. abiit.
Ædepol commiſſatorem haud ſane commodum,
Præſertim Cteſiphoni: quid ego nunc agam?
Niſi, dum hæ fileſcunt turbæ, interea in angulum
Aliquo abeam, atque edormiſcam hoc villi, ſic agam.

Narrat. Nominat.
Nihil. Nihil eſt rei.
Eſt alius. Ejuſdem nempe nominis.
Paraſitaſter. Exiguus paraſitus. Erant autem paraſiti, qui alienas menſas conſectabantur, & idcirco multa indigna & faciebant & ferebant.
Mitte. Sine ire.
Maſtigia. Plagis dignus, ductum verbum a μάστιξ, voce græca, quæ flagellum ſignificat, ita fere vocabantur fervi nequam.
Abiit. Ingreſſus eſt, mihi e manibus evaſit.
Commiſſatorem. Convivam, compotatorem.
Edormiſcam. Dormiendo decoquam.
Hoc villi. Hoc vinum quod potavi edormiſcam, & digeram meam crapulam: *villum* autem vox diminutiva pro exiguo, & malo vino, quaſi vinulum.

ACTUS

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

MICIO, DEMEA.

Adierat Micio domum Sostratæ, inde rediens cum illa, deprehendit in foribus domus suæ Demeam, qui cum comessantem intus Ctesiphonem vidisset, amens & impos animi egressus erat foras.

M. PArata a nobis sunt, ut dixti, Sostrata:
Ubi vis, quisnam a me pepulit tam graviter fores?
D. Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem? aut querar?
O cælum, o terra, o maria Neptuni! *M.* hem tibi,
Rescivit omnem rem: id nunc clamat: ilicet
Paratæ lites, succurrendum est. *D.* eccum adest
Communi corruptela nostrum liberum.
M. Tandem reptime iracundiam, atque ad te redi.
D. Repressi, redii, mitto maledicta omnia:
Rem ipsam putemus; dictum inter nos hoc fuit,

Parata. Subaudi, omnia.

Ubi vis. Quando voles. Subaudi, fient nuptiæ. Orationem autem ne solveret impedivit conspectus Demeæ, foras exeuntis cum furore.

A me. Ex mea domo exiens.

Adest. Micionem indicat.

Succurrendum est. Nempe Ctesiphoni: vel occurrendum est malo.

Putemus. Expendamus, æstimemus.

Ex te adeo eſt ortum, ne tu curares meum,
Neve ego tuum, reſponde. *M.* factum eſt, non nego.
D. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis uxorem Micio? nam qui minus
Mihi idem jus æquum eſt eſſe, quam mecum eſt tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
M. Non æquum dicis. *D.* non? *M.* nam vetus verbum hoc quidem eſt,
COMMUNIA eſſe amicorum inter ſe omnia.
D. Facete, nunc demum iſthæc nata oratio eſt.
M. Auſculta paucis, niſi moleſtum eſt, Demea.
Principio ſi id te mordet, ſumptum filii
Quem faciunt, quæſo facito hæc tecum cogites:
Tu illos duos olim pro te tollebas tua,
Quod ſatis putabas tua bona ambobus fore,
Et me tuam uxorem credidiſti ſcilicet
Ductarum: eamdem illam rationem antiquam obtine:
Conſerva, quare, parce, fac quampluſimum
Illis relinquas, gloriam tu iſtam obtine,

Eſt ortum. Tu primum id ut fieret poſtulaſti.

Curemus, &c. Cur emis pſaltriam, quam Creſiphonides uxorem?

Nam qui minus . . . Ordo eſt: nam qui, id eſt, cur minus æquum eſt idem jus eſſe mihi tecum, quam mecum tibi? ſententia hæc: cur idem juris tecum non habeo, ac tu mecum? æquo jure agamus: tu Æſchinum ſolum cura, ego Creſiphonem ſolum.

Communia. Adeoque poſſumus utrique utrumque curare.

Facete, nunc, &c. Lepidam reſponſionem; nunc demum hoc dicis.

Sumptum quem . . . Pro ſumptus, quem faciunt, vel, quem ſumptum faciunt: ita Virgil. *Urbem quam ſtatuo veſtra eſt.*

Pro re. Pro tuis opibus, quantam ferebant tuæ fortunæ.

Tollebas. Educabas: veteres natos pueros humi deponebant, mox ſi educare ſtatuerent, eoſdem tollebant ab humo.

Eamdem, &c. Perge facere, ut hactenus feciſti.

Mea.

Mea, quæ præter ſpem evenere, utantur ſine
De ſumma nihil decedet: quod hinc acceſſerit,
Id de lucro putato eſſe: omnia hæc ſi voles
Id animo vere cogitare, Demea:
Et mihi, & tibi, & illis dempſeris moleſtiam.
D. Mitto rem: conſuetudinem ipſorum....
M. mane.
Scio, iſthuc ibam: multa in homine, Demea,
Signa inſunt; ex quibus conjectura facile fit,
Duo cum idem faciunt, ſæpe ut poſſis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet;
Non quod diſſimilis res ſit, ſed quod is, qui facit:
Quæ ego eſſe in illis video, ut confidam fore ita;
Ut volumus: video eos ſapere, intelligere, in loco
Vereri, inter ſe amare; ſcire eſt liberum
Ingenium, atque animum; quovis illos tu die

Mea. Eſt hoc pronomen in accuſativo plurali: dicebant enim, utor aliquid: hoc autem ſibi vult Micio: patere ut meis opibus utantur, quas non debebant ſperare; ſi enim uxorem duxiſſem, veniſſent mea bona ad uxorem, & liberos meos, & illis tui liberi caruiſſent, quibus jam fruuntur tamen.

De ſumma. Abs te illis relinquenda, de tuis bonis.

Decedet. Detrahetur, minuetur.

Hinc. Ex me; quod illis dedero.

Acceſſerit. Pecuniæ & bonorum venerit.

Mitto rem. De bonis ſollicitus non ſum.

Conſuetudinem. Mores: ſubaudi, expendamus.

Iſthuc ibam. De ipſorum moribus eram dicturus.

Qui facit. Subaudi, ſit diſſimilis: eamdem rem duo faciunt non eadem præditi indole: unde alter illam ſine periculo & impune, alter cum noxa, & detrimento facit.

Quæ ego, &c. Video in illis hæc eſſe ſigna, e quibus conjici poſſit ipſis licere facere, quod aliis non item liceret.

Fere ita. Tales exituros aliquando, quales cupimus.

In loco. Ubi res poſtulat: cum decet.

Vereri. Erubeſcere, pudore affici.

Scire eſt. Licet ex iis cognoſcere.

Liberum. Liberale, honeſtum.

Re-

Reducas: at enim me tuas, ne ab re sint tamen
Omissiores paullo: o noster Demea,
Ad omnia alia ætate sapimus rectius:
SOLUM UNUM hoc vitium affert senectus hominibus,
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est:
Quod illos sat ætas acuet. *D.* ne nimium modo
Bonæ tuæ illæ nos rationes, Micio,
Et tuus iste animus æquus subvertat. *M.* tace,
Non fiet: mitte jam isthæc; da te hodie mihi,
Exporge frontem. *D.* scilicet, ita tempus fert,
Faciundum est: ceterum rus cum filio
Cum primo lucu ibo hinc. *M.* immo de nocte censeo:
Hodie modo hilarum fac te. *D.* & istam psaltriam
Una illuc mecum hinc abstraham. *M.* pugnaveris.
Eo pacto prorsum illi alligatis filium.
Modo tacito, ut illam serves. *D.* ego istuc videro:
Atque ibi, savillæ plena, fumi, ac pollinis

Reducas. Nempe ad officium & viam virtutis.

Ab re omissiores. Negligentiores in quærendis opibus: ne minus studeant rei familiari augendæ.

Ætate. Senectutis beneficio.

Ad rem. Ad opes conquirendas.

Quod. Ad quam rem & attentionem in re faciendæ.

Acuet. Docebit, instigabit.

Ne nimium modo. Cave modo, ne nimium, &c.

Æquus. Mitis, indulgens.

Subvertat. Eos perdat.

Da te mihi. Remitte paullulum de tua ista severitate in meam gratiam. Mihi obsequere, & gratificare.

Exporge. Exporrige, exhilara.

Lucu. Antique, pro luce; nempe, cras summo mane abibo.

Illuc. Rus.

Pugnaveris. Pugnabis, id est, non sine pugna & labore illam abstrahes hinc: rem magnam feceris, si &c. vel, viceris, concedo.

Illic. Ea ratione rusticum filium facillime detinebis, si psaltriam ruri eum habere patiaris.

Modo. Tantummodo.

Ibi. In villa, illic. Ordo est, atque laxo, sive perficiam, ut illuc plena sit fumi & pollinis coquendo & molendo.

Pollinis. Farinæ tenuioris.

Ter-

Coquendo fit faxo, & molendo; præter hæc,
Meridie ipso faciam ut stipulam colligat;
Tam excoctam reddam, atque atram, quam carbo est. *M.* placet:
Nunc mihi videre sapere, atque equidem filium
Tum etiam cogas, ut formam illius prædicet.
D. Derides? fortunatus, qui illhoc animo fies:
Ego sentio. *M.* ah pergis ne ne? *D.* jam jam desino.
M. I ergo intro & cui opus est, ei rei hunc sumamus diem.

Ego sentio. Ego sentio te esse infelicissimum: id autem absolvere non potuit interpellante Micione.

Pergis ne? Jurgari.

Ei rei. Nempe ad celebrandas Æschini nuptias.

SCENA SECUNDA.

DEMEA.

Demea pene a Micione victus incipit mitescere.

D. NUnquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, usus, semper aliquid adportet novi;
Aliquid moneat; ut illa, quæ te scire credas, nescias;
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies:
Quod mihi nunc evenit: nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc,
Prope jam excurso spatio, mitto: id quamobrem? re ipsa reperi,

Subducta. Nemo tam bene putatam & comparatam vitæ degendæ rationem habuit; ducere, ait *Donat.* est digitis computare, sed palam; subducere, clam & secum.

Nescias. Nescire & hactenus ignorasse videaris.

Prima. Carissima, optima.

Excurso spatio. Vita confecta in summa senectute.

Mitto. Repudio; condemno.

Id quamobrem? Cur autem de-

FACILITATE NIHIL homini esse molius, neque clementia,
Id esse verum, ex me, atque ex fratre, cuivis facile est noscere;
Ille suam semper egit vitam in otio, in conviviis;
Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus;
Sibi vixit, sibi sumptum fecit; omnes benedicunt, amant.
Ego ille agrestis, sævus, tristis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem; quam ibi miseriam vidi! nati filii,
Alia cura; porro autem, dum studeo, illis ut quam plurimum
Facerem, contrivi in quærendo vitam, atque ætatem meam:
Nunc exacta ætate, hoc fundi pro labore ab his fero,
Odium: ille alter sine labore patria potitur commoda,
Illum amant; me fugitant: illi credunt consilia omnia,
Illum diligunt, apud illum sunt ambo; ego desertus sum;
Illum ut vivat, optant, meam autem mortem expectant scilicet,

desero illam vitam duriorem? quia nempe reperii, &c.

Facilitate. Comitate, indulgentia, benignitate.

Os. Neminem coram offendere in os: subaudi, solitus est.

Sibi vixit. Suo more: arbitratu, commodo.

Facerem. Subaudi, lucri, pecuniæ compararem plurimum.

Fructi. Antique, pro, fructus.

Ille alter. Micio fruitur omnibus commodis, quæ patres e liberis possunt percipere.

Potitur commoda. Potior cum accus. antique ponebatur, ut fruor, utor, &c.

Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos
Paullo sumpto: miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.
Age, age, nunc experiamur contra hæc, quod ego possiem
Blande dicere, aut benigne facere; quando hue provocat.
Ego quoque a meis me amari & magni pendi postulo:
Si id sit dando, atque obsequendo, non posteriores feram.
Deerit? id mea minime refert, qui sum natu maximus.

Eductos. Educatos.

Suos. Sibi addictos & amantes.

Paullo. Exiguo.

Huc provocat. Me ad istam lenitatem & hilaritatem invitat.

Posteriores feram. Non ero inferior fratre. Primas, secundas, postremas ferre, subaudi, partes: sumptum a fabularum actoribus, inter quos præcipui, primas agere dicuntur, alii secundas, tertias, &c.

Deerit. Subaudi, pecunia: opes hinc meæ minuentur.

Maximus. Adeoque morti vicinior, & qui pauciori bus egeam.

SCE-

SCENA TERTIA.

SYRUS, DEMEA.

Subeunte domum Micione, subsiterat ante fores Demeæ, secum ea, quæ audierat a fratre, reputans; hunc Micio rogat per Syrum, ne abeat longius; novam humanitatem induit Demea.

S. HEus Demea, rogat frater ne abeas longius.
D. Quis homo? o Syre noster, salve, quid sit? quid agitur?
S. Recte. *D.* optime est: jam nunc hæc tria primum addidi
Præter naturam, o noster, quid sit? quid agitur?
Servum haud illiberalem præbes te, & tibi
Lubens bene faxim. *S.* gratiam habeo. *D.* æquum, Syre.
Hoc verum est, & ipsa re experiere propediem.

Hæc. Tria verba, nempe, o noster, quid sit, quid agitur? gratulatur sibi de tam nova sua urbanitate.

Hoc verum est. Cave putes me jocari: serio loquor.

SCENA QUARTA.

GETA, DEMEA.

Ibat ad Micionem Geta cum Soſtrata, incidunt in Demeam, qui novam affabilitatem præſefert, ac Getam præter ingenium laudat.

G. HEra ego huc ad hos proviſo, quam mox virginem
Accerſant: ſed eccum Demeam, ſalvus ſies:
D. Oh, qui vocare? G. Geta. D. Geta, hominem maximi
Pretii eſſe hodie te judicavi animo meo:
Nam is mihi eſt profecto ſervus ſpectatus ſatis,
Cui dominus curæ eſt, ita ut tibi ſenſi, Geta;
Et tibi ob eam rem, ſi quid uſus venerit,
Lubens bene faxim: meditor eſſe affabilis,
Et bene procedit. G. bonus es, cum hæc exiſtimas.
D. Paullatim plebem primulum facio meam.

Heræ. Soſtratam alloquitur.

Ad hos proviſo... Procedo ad ipſos, nempe Micionem & Æſchinum, ut viſam quando velint virginem, nempe Pamphilam adduci.

Quam mox. Adverbium eſt, cito, mature.

Spectatus. Spectatæ & expertæ probitatis.

Si quid... Si quid evenerit, opus fuerit; ſi qua ſe occaſio dederit.

Meditor.... Dicit hoc ſubmiſſa voce, & ſibi nova ſua humanitate gratulatur.

Exiſtimas. Credis de me, loqueris: *exiſtimo*, ſæpe ſumitur pro dico.

Primulum. Primum, primo loco: per *plebem* ſervos intelligit: populus honoratior eſt plebe; plebs, infimi civium.

Facio meam. Mihi concilio, demereor affabilitate mea.

SCENA QUINTA.

ÆSCINUS, DEMEA, SYRUS, GETA.

Demea Æschini uxorem, ipsis parietibus dirutis, ut via sit commodior, adduci domum jubet.

Æ. OCcidunt me, equidem, dum nimis sanctas nuptias
Student facere: in apparando consumunt diem.
D. Quid agitur Æschine? Æ. hem pater mi, tu hic eras?
D. Tuus hercle vero & animo, & natura pater,
Qui te amat plusquam hosce oculos: sed cur non domum
Uxorem accersis? Æ. cupio: verum hoc mihi moræ est
Tibicina, & hymenæum qui cantent. D. eho:
Vin' tu huic seni auscultare? Æ. quid? D. missa hac face.
Hymenæum, turbam, lampadas, tibicinas;
Atque hanc in orto maceriam jube dirui,
Quantum potest; hac transfer, unam fac domum
Transduce & matrem, & familiam omnem ad nos. Æ. placet.
Pater lepidissime. D. euge, jam lepidus vocor.

Sanctas. Sollemnes, religiose apparatas.

Tibicina. Subaudi, remoratur: tibicinam expecto & homines qui cantent hymenæum; erat hymnus nuptialis ab Hymenæo nuptiarum Deo sic dictus.

Huic seni. Mihi seni.

Lampadas. Ducebatur uxor in mariti domum præeuntibus facibus quinque: illas ferebant pueri patrimi & matrimi, id est, qui patrem & matrem haberent superstites.

Maceriam. Varro esse dicit parietem e lapidibus sine cœmento.

Quantum potest. Quanta vi & celeritate fieri potest maxima.

Hac. Per hanc viam, per maceriam dirutam.

Transfer. Domum ducito.

Transduce. Transportari jube.

Fratri ædes fient perviæ, turbam domum
Adducet, sumptum, admittet; multa: quamea?
Ego lepidus ineo gratiam: jube nunc jam
Dinumeret illi Babylo viginti minas.
Syre, cessas ire, ac facere? S. quid ergo? D. dirue:
Tu, illas, abi, & traduce. G. Di tibi, Demea,
Bene faciant, cum te video nostræ familiæ
Tam ex animo factum velle. D. dignos arbitror.
Quid tu ais? Æ. sic opinor. D. multo rectius est,
Quam illam puerperam nunc duci huc per viam
Ægrotam. Æ. nihil enim vidi melius mi pater.
D. Sic soleo: sed eccum, Micio egreditur foras.

Pervia. Apertæ & patentes.

Adducet. Micio frater.

Multa. Hæc omnia multi sunt impendii, ac sumptus, vel alia multa faciet.

Quid mea? Subaudi, refert, interest?

Ineo gratiam. Mihi interim animos illorum concilio, in gratiam eo, amicos mihi comparo.

Illi. Sannioni, unde fuerat empta psaltria. Etsi autem in scena 4. Actus 3. jam illi Sannioni persolutæ dicantur illæ 20. minæ, tamen id oblitus fuisse Demea dici potest, vel cum hoc ab Syro in memorata scena narraretur, non satis attendisse.

Babylo. Argentarius quidam.

Ex animo. Libenter, tam grato animo.

Factum. Subaudi, bene. Di tibi bene faxint, cum te video nostræ familiæ tam liberaliter velle benefactum, tam sponte gratificari.

Puerperam. Mulierem quæ modo peperit puerum.

Nihil melius. Nullum vidi patrem te commodiorem & meliorem.

SCE-

SCENA SEXTA,

MICIO, DEMEA, ÆSCHINUS.

Demea immodica liberalitate priſtinam parcitatis labem conatur eluere.

M. JUbet frater? ubi is eſt? tunc jubes hoc, Demea?
D. Ego vero jubeo, & in hac re, & aliis omnibus
Quam maxime unam facere nos hanc familiam Colere, adjuvare, adjungere. *Æ.* ita quæſo pater.
M. Haud aliter cenſeo. *D.* immo hercle ita nobis decet.
Primum hujus uxoris eſt mater. *M.* eſt: quid poſtea?
D. Proba, & modeſta. *M.* ita ajunt. *D.* natu grandior.
M. Scio. *D.* Parere jam diu per annos hæc non poteſt:
Nec qui eam reſpiciat, quiſquam eſt, ſola eſt. *M.* quam hic rem agit?
D. Hanc te æquum eſt ducere, & operam, ut fiat, dare.
M. Me ducere autem? *D.* te. *M.* me? *D.* te inquam. *M.* ineptis. *D.* ſi tu ſis homo,
Hic faciet. *Æ.* mi pater. *M.* quid tu huic, aſine, auſcultas? *D.* nihil agis:

Jubes frater? Audierat a Syro diruendam eſſe maceriam; admirans petit, an id porro jubeat Demea.

Colere. Obſervare & amare nos invicem.

Adjungere. Demereri.

Primum. In primis, præ ceteris.

Hujus. Soſtratam decet apud nos eſſe, quia eſt mater uxoris hujus, nempe Æſchini, eſt mater Pamphilæ.

Per annos. Propter ſenectutem.

Reſpiciat. Adjuvet.

Te. O Micio.

Ducere. Uxorem accipere.

Et te. O Æſchine.

Ineptis. Deſipis.

Si tu, &c. O Æſchine

Fieri aliter non poteſt. *M.* deliras. *Æ.* ſine, te exorem, mi pater.

M. Inſanis? aufer. *D.* age, da veniam filio. *M.* ſarin' ſanus es? ego

Novus maritus anno demum quinto & ſexageſimo

Fiam, atque anum decrepitam ducamus idne eſtis auctores mihi?

Æ. Fac: promiſi ego illis. *M.* promiſti autem? de te largitor puer,

D. Age, quid? ſi quid te majus oret? *M.* quaſi hoc non ſit maximum.

D. Age, da veniam. *Æ.* ne gravare. *D.* fac, promitte. *M.* non omittis?

Æ. Non, niſi exorem. *M.* vis eſt hæc quidem. *D.* age prolixe Micio.

M. Et ſi hoc mihi pravum, ineptum, abſurdum, atque alienum a vita mea

Videatur, ſi vos tantopere iſthuc vultis, fiat. *Æ.* bene facis,

Merito te amo. *D.* verum, quid ego dicam? hoc conſit quod volo.

Quid nunc quod reſtat? Hegio his eſt cognatus proximus,

Affinis nobis, pauper; bene nos aliquid facere illi decet.

M. Quid facere? *D.* agelli hic ſub urbe eſt paullulum, quod locitas foras:

---

generoſe ac fortiter id aggrederis, Micio id faciet: hoc ipſi perſuadebis.

Aufer. Subaudi, te; abi, apage, vel aufer manum qua mihi blandiris.

Da veniam. Annue quod petit.

Largitor. Largire: promitte liberaliter tua, non aliena.

Si quid. Subaudi, nonne faceres, quanto magis facias, quod eſt factu facillimum & minimum.

Da veniam. Sine, te exorari.

Age prolixe. Age, liberaliter facito.

Conſit. Conficitur quod volo, nempe ut Soſtrata ſit uxor Micionis: quid ego jam faciendum proponam? quid reſtat ad cumulum liberalitatis?

Affinis nobis. Uxoris cognati, marito affines ſunt. *Donat*.

Sub urbe. Prope urbem.

Foras. Alicui ignoto, & alic-

Huic demus, qui fruatur. *M.* paullum id autem?
D. si multum fiet,
Faciendum est: pro patre huic est, bonus est, noster est, recte datur.
Postremo non meum illud verbum facio, quod tu Micio
Bene, & sapienter dixti dudum; vitium commune omnium est,
QUOD NIMIUM ad rem in senecta attenti sumus; hanc maculam nos decet
Effugere: dictum est vere, & re ipsa fieri oportet, Micio.
M. Quid isthuc? dabitur, quandoquidem hic vult. *Æ.* Mi pater.
D. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore & animo. *M.* Gaudeo.
D. SUO SIBI HUNC gladio jugulo.

alieno locas.

Fruatur. Id est, fructum capiat, non proprietate ponatur. *Donat*.

Paullum id autem? An vero ager ille tam exiguus est, quam dicis.

Si malum est. Quamvis multum agri sit, illi tamen cavendum.

Pro parte huic est. Vice patris est nurui nostræ: Pamphila hunc patris in loco habet.

Meum illud facio. Tanquam a me ortam sententiam non sequor & adhibeo, sed a te: potest etiam ita interpungi: non meum illud verbum: subaudiendo, est: facio quod ut dixisti bene & sapienter; legunt aliqui non incommode: *postremo nunc meum illud verbum facio*: usurpo mihi sententiam a te dictam, & ut vivendi normam deinceps habebo.

Suo sibi . . . Istud *sibi*, abundat & a veteribus elegantiæ cujusdam caussa addebatur. Ita Plaut. *suo sibi servit patri*. Porro sententia versiculi est hæc: in Micionem fratrem meum pugno. lenitate & liberalitate, quam ille virtutem maxime amat ac profitetur ut suam, suis eum dictis capio: retorqueo in ipsum ea quæ in me dixit. Metaphora ducitur a militibus, qui suis ipsorum telis aliquando in pugna conficiuntur.

SCENA SEPTIMA.

SYRUS, DEMEA, MICIO, ÆSCHINUS.

Demea liberalis & commodus esse pergit, Syrum libertate donandum curat, ejusque uxorem, &c. denique quo consilio ea fecerit, docet.

S. FActum est, quod justi, Demea.
D. Frugi homo es: ædepol hodie mea quidem sententia
Judico, Syrum fieri æquum liberum. *M.* isthunc liberum?
Quodnam ob factum? *D.* multa. *S.* o noster Demea, ædepol vir bonus es.
Ego istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo:
Docui, monui, bene præcepi semper quæ potui omnia.
D. Res apparet: & quidem porro: opsonare, lautius
Cibos condire, apparare de die convivium:
Non mediocris hominis hæc sunt officia. *S.* o lepidum caput!
D. Postremo, hodie in psaltria ista emunda hic adjutor fuit:

Justi. Jussisti. Diruta est maceria.
Frugi. Bonæ frugis, vir bonus.
Æquum, *&c.* Æquum esse ut fiat liber.
Multa. Ob multa facta.
Et quidem porro. Et quidem clare.
Opsonare. . . Cibos exquisitos emere.
De die. Interdiu; media die: solebant veteres sobrii cibum sumere dumtaxat vesperi, aut si quid prandierent, leve hoc & exiguum erat.
Mediocris. Parum ingenioſi, pigri, tardi.
Hæc. Opsonare, apparare convivium.

Hic curavit : prodesse æquum est, alii meliores erunt :
Denique hic vult fieri. *M.* vin' tu hoc fieri ? *Æ.* cupio. *M.* si quidem
Tu vis, Syre, eho accede huc ad me : liber esto. *S.* bene facis :
Omnibus gratiam habeo, & seorsum tibi præterea, Demea.
D. Gaudeo. *Æ.* & ego. *S.* credo : utinam hoc perpetuum fiat gaudium,
Phrygiam ut uxorem meam una mecum videam liberam.
D. Optimam quidem mulierem. *S.* & quidem tuo nepoti, hujus filio,
Hodie primam mammam dedit hæc. *D.* hercle vero, serio :
Si quidem prima dedit, haud dubium, quin emitti æquum fiet.
M. Ob eam rem ? *D.* ob eam : postremo a me argentum, quanti est, sumito
S. Di tibi, Demea, ore omnes semper omnia optata afferant.
M. Syre, processisti hodie pulchre. *D.* siquidem porro Micio
Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paullulum præ manu

Alii : Alii servi isto beneficio, quo Syrus donabitur, fient diligentiores ad munus sibi fungendum ; nempe idem spectantes.

Hic vult. Æschinus.

Liber esto. Cum libertatem servo dabant, solebant eum percutere alapa, vel manu prehensum circumagere & emittere.

Seorsum. Privatim, præcipue, nominatim.

Perpetuum. Stabile ac proprium.

Hercle, vero, serio. Tria sunt adverbia idem affirmantia.

Emitti. Liberum pronuntiari sollemni more.

Quanti est. Quanto pretio valet Phrygia.

Processisti. Rem bene gessisti, liberum uxore factus es.

Paullulum. Pecuniæ.

Præ manu. In manu.

Dederis, unde utatur: reddet tibi cito. *M.* isthoc vilius.

Æ. Frugi homo est. *S.* reddam hercle, da modo. *Æ.* age, pater. *M.* post consulam.

D. Faciet. *S.* o vir optime. *Æ.* o mi pater festivissime!

M. Quid istuc? quæ res tam repente mores mutavit tuos?

Quod prolubium? quæ istæc subita est largitas? *D.* dicam tibi;

Ut id ostenderem, quod te isti facilem, & festivum putant,

Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo & bono,

Sed ex assentando, indulgendo, & largiendo, Micio.

Nunc adeo si ob eam rem vobis mea vita invisa est, Æschine,

Quia non ista prorsus injusta omnia omnino obsequor;

Missa facio, effundite, emite, facite quod vobis lubet.

Sed si id vultis potius, quæ vos propter adolescentiam

Minus videtis, magis impense cupitis, consultis parum,

Hæc reprehendere & corrigere me, & obsecundare in loco,

Unde utatur. Ex quo argento aliquid conficiat lucri.

Isthoc vilius. Syrus iste est vilior & nequior isto ficeco, vel pulvisculo, adeoque non reddet.

Post consulam. Videro.

Prolubium. Promptus & lubens animus ad largiendum, ab impersonali, lubet, prolubet: legunt alii *proluvium* a profluendo, & accipiunt pro effusa liberalitate & quasi diluvio prodigalitatis.

Vera vita. Vera ratione, ex æquitate & virtute, quæ regulæ sunt bene vivendi.

Missa facio. Nempe ista omnia, omitto curam omnem vestri. legunt aliqui, *missos facio.*

Obsecundare. Obsequi & indulgere, ubi decet.

Esse

Ecce me, qui id faciam vobis. *Æ.* tibi pater permittimus;
Plus ſcis, quid facto opus eſt, ſed de fratre quid fiet? *D.* ſino.
Habeat; in iſthac finem faciat. *Æ.* iſtuc recte
Plaudite.

Ecce me. Habetis me paratum ad hæc facienda.

Habeat. Callidiam uxorem ducat.

Finem faciat. Aliam ne amet. Putant aliqui deeſſe ſcenam ultimam, qua ſignificetur eſſe agnita Callidia Hegionis filia, ſed ejus patrem Hegionem eſſe ex nullo tabulæ hujus loco apparet, quod indicatum tamen, ex arte, oportuerat, ut fio in Andria: ſatis igitur eſt, ſi Demea ex mera liberalitate quamvis ignotam mulierculam Cteſiphoni condonet.

FINIS.

P. TERENTII PHORMIO.

ARGUMENTUM.

CHremes, & Demipho Athenienſes, fratres erant: Demiphoni filius erat nomine Antipho: Chremes cum e Nauſiſtrata uxore Athenienſi filium Phædriam haberet, aliam uxorem duxerat in Lemno, Ægri maris inſula, que identidem commeabat, ac ne res pervulgaretur, Stilphenem ſe in Lemno vocari jſſerat. Ex hac altera uxore cum filiam nomine Phanium ſuſcepiſſet, poſtquam ea decimum quintum ætatis annum attigiſſet, egit cum fratre ſuo Demiphone, ut Antiphoni ipſius Demiphonis filio uxor duceretur, moxque cum matre Athenas a Lemno adduceretur, clam Nauſiſtrata prieri Chremetis conjuge. Eam ob rem in Lemnum iter aggreditur Chremes; verum cum in itinere ob morbum, aut alia de cauſſa diutius moraretur, illa ejus uxor altera e Lemno venit Athenas, ubi cum eum ſub nomine Stilphonis omnibus innoto fruſtra quæſiviſſet, dolore & morbo victa moritur, ejus filiam Phanium matris funus procurantem videt Antipho, Demiphonis filius, & clam, adjuvante paraſito quodam Phormione, uxorem ducit. Reverſus e Lemno Chremes, itemque Demipho a Cilicia, quo neceſſarium iter illi proxime fuerat, ubi rem audiunt, ægre ferunt & eo uſque conantur iſtas nuptias disjungere, dum tandem Chremes filiam ſuam Phanium agnoſcit, quæ Antiphoni nupſiſſet, quod ipſum ambo peroptabant. Sed ecce tibi aliud malum: Phædria Chremetis e Nauſiſtrata filius pſaltriam quandam uxorem acceperat inſcio patre, ejuſdem Phormionis opera: fuit

sit Chremes, sed precibus tamen & minis Nausistratæ, quæ illius alterum conjugium a Phormione didicerat, mitigatus, Phædriæ veniam dat.

Scena Athenis.

PERSONÆ.

DEMIPHO. } Fratres
CHREMES. } Athenienses.
ANTIPHO, Demiphonis filius.
NAUSISTRATA, uxor Chremetis prior.
PHÆDRIA, filius Chremetis e Nausistrata.
RHANIUM, filia Chremetis e Nausistrata.
PHANIUM, filia Chremetis ex altera ejus uxore Lemnia, persona muta.
SOPHRONA, Phanii matris.
PAMPHILA, uxor Phædriæ, civis agnita, persona muta.
PHORMIO, Parasitus.
DORIO, mercator mancipiorum.
GETA, servus Demiphonis.
DAVUS, servus.
DORCIUM, ancilla.
CHARINUS, } Amici
HEGIO, } Demi-
CRITO, } phonis.

P. Te-

P. TERENTII PHORMIO.

ACTA LUDIS ROMANIS, L. POSTUMIO Albino, L. Cornel. Merula Ædilib. Cur. Egere L. Ambivius Turpio, L. Attilius Prænestinus. Modos fecit Flaccus Claudii, Tibiis imparib. Tota Græca, Apollodori Epidicazomenos. Facta quarto, Cn. Fannio, M. Valerio Messala. Conss.

Phormio. Ista comedia tota inscribitur a Phormione una ex ejus personis præcipuis, cujus sunt in illa partes, si non dignitate, at certe in agendis ac miscendis rebus, primæ.

Ludis Romanis. Erant illi Romæ antiquissimi; Jovi, Junoni & Minervæ fiebant; magni vocabantur ob antiquitatem, sumptum, & celebritatem.

Egerunt. Actores præcipui fuere.

Tibiis imparibus, &c. Nempe una dextera, & altera sinistra, qui *modus Phrygius* dicebatur, mixtus ex acuto & gravi sono. Dextra enim tibia, ita dicta quia dextera oris parte inflabatur, unico foramine, eoque apertiori utebatur, unde gravior existebat sonus: sinistra tibia, duplici: unde sonus acutior. Si duæ dextræ tibiæ inflarentur, *modus Lydius* erat: si duæ sinistræ, *Sarranus* sive *Tyrius*, & tunc paribus tibiis modi illi fieri dicebantur. Vide Andriam.

Tota græca, &c. E græco Poeta Apollodoro tota in latinum sermonem conversa; & Græce inscripta, ἐπιδικαζόμενος, quæ vox Græca eum significat, qui in judicio cum altero contendit; ita vocabat Antiphonem Apollodorus, quia illi fictam litem intendit Phormio, ut eum cogat Phanium uxorem ducere; vel, eum qui jure aliquid obtinet ipsi adjudicatum; & talis est Phormio, secundum quem fertur sententia.

C. Fannio, &c. Anno ab Urbe condita 393. ante Christum 159.

PRO-

PROLOGUS.

Poetæ cujuſdam, a quo fuerat laceſſitus Terentius, maledictis breviter reſpondet; deinde attentionem a ſpectatoribus poſtulat.

Poſtquam Poeta vetus poetam non poteſt
Retrahere a ſtudio, & tranſdere hominem
in otium;
Maledictis deterrere, ne ſcribat, parat:
Qui ita dictitat, quas antea fecit fabulas,
Tenui eſſe oratione, & ſcriptura levi:
Quia nuſquam ſcripſit inſanum adoleſcentulum
Cervam videre fugere, & ſectari canes,
Et eam plorare, orare ut ſubveniat ſibi.
Quod ſi intelligeret, cum ſtetit olim nova,
Actoris opera magis ſtetiſſe, quam ſua;
Minus multo audacter, quam nunc lædit, læderet;
Et magis placerent, quas feciſſet fabulas.
Nunc ſi quis eſt, qui hoc dicat, aut ſic cogitet,
Vetus ſi poeta non laceſſiſſet prior,
Nullum invenire prologum potuiſſet novus,

Poeta vetus. Aliquis invidus & æmulus Terentii. Lucium Lavinium hunc fuiſſe volunt.

Poetam. Terentium.

Tranſdere. Traducere: efficere ut ceſſet a ſcribendis comœdiis, & in otio quieſcat.

Scriptura. Stylo, genere ſcribendi.

Quia nuſquam. Hoc ab aliqua iſtius veteris poetæ Comœdia ſumit, & ut inſulſum ac puerile Terentius irridet: inducebat ille adoleſcentem ex amore inſanientem, qui videre ſibi videretur cervam, canibus inſequentibus, plorantem & auxilium adoleſcentis orantem.

Quod ſi &c. Si poeta ille conſideraret probatam fuiſſe olim ſuam fabulam recentem, propter optimos actores, &c.

Olim cum ſtetit. Cum olim ejus (nempe veteris poetæ) comœdia benigne a populo accepta fuit, & probata: quando prima vice acta *ſtare* fabula dicitur quæ placet; *cadere*, quæ exploditur.

Actoris opera, &c. Id ma-

Quem diceret; niſi haberet, cui malediceret:
Is ſibi reſponſum hoc habeat; in medio omnibus
Palmam eſſe poſitam, qui artem tractant muſicam.
Ille ad famem hunc ab ſtudio ſtuduit rejicere:
Hic reſpondere voluit, non lacceſſere.
Benedictis ſi certaſſet, audiſſet bene:
Quod ab ipſo allatum eſt, id ſibi eſſe relatum putet.
De illo jam finem faciam dicendi mihi,
Peccandi cum ipſe de ſe finem non facit.
Nunc quid velim, animum attendite; apporto novam
Æpidicazomenon quam vocant comœdiam
Græci, Latini Phormionem nominant:
Quia primas partes qui aget; is erit Phormio
Paraſitus, per quem res agetur maxime.
Voluntas veſtra ſi ad poetam acceſſerit,
Date operam, adeſte æquo animo per ſilentium:
Ne ſimili utamur fortuna, atque uſi ſumus,
Cum per tumultum noſter grex motus loco eſt:
Quem actoris virtus nobis reſtituit locum,
Bonitaſque veſtra adjutans, atque æquanimitas.

magis factum eſſe, quia optimi erant actores, quam quod ipſa comœdia bona & bene ſcripta eſſet.

In medio, &c. Gloriam poeſeos omnibus ex æquo propoſitam eſſe; omnes ad eam a pirare poſſe. Muſicam appellat artem poeticam, quia Muſæ illi præſunt, vel quia numeris certis & pedibus, ut muſica, continetur.

Ad famem. Ad inopiam redigere abducendo illum a ſtudio & poeſi.

Audiſſet bene. Dicta illa fuiſſent bona.

Quod. Quæ maledicta.

Cum ipſe. Quamvis.

Voluntas. Benignitas, favor.

Date operam: Sedulo attendite.

Per tumultum. Qui contigerat, cum ſpectatores de ſedibus diſceptarent: aut aliam, ut fit, ejuſmodi rixam moviſſent: id autem contigit cum exhiberetur Hecyra, & iſta Phormio forſaſſe, quæ ſæpius fuit facta.

Grex. Actorum turma.

Motus loco eſt. Theatrum deſerere coactus eſt, in quod tamen rediit, eorumdem actorum aut unius ex illis præcipua conſtantia, & veſtra bonitate adjuvante.

ACTUS

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DAVUS.

Davus pecuniam Getæ debitam afferens de servorum conditione misera conqueritur.

D. AMicus summus meus, & popularis Geta
Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula
Jam pridem apud me reliquum pauxillulum
Nummorum; id ut conficerem: confeci; affero.
Nam herilem filium ejus duxisse audio
Uxorem, ei credo munus hoc corraditur.
Quam inique comparatum est, hi qui minus habent,
Ut semper aliquid addant divitioribus:
Quod ille unciatim vix demensо de suo,

Popularis. Ejusdem populi, oppidi, pagi.

Ratiuncula. Exigua pecuniæ summa illi a me debita.

Id ut conficerem. Ut aliunde sibi hanc summam reperirem, subaudi, rogans.

Herilem. Filium ejus heri seu Domini: nempe Antiphonem Demiphonis filium. Is enim, absente patre, fictam sibi litem a Phormione intendi passus Phanium ducere cogebatur, vide Act. 1. Sc. 2.

Uxorem. Phanium.

Ei. Ut detur Phanio.

Corraditur. A Geta vix colligitur.

Demensо. De quotidiano cibo, de mensura frumenti sibi per singulos menses ab hero dari solita... Servi quaternos modios frumenti accipiebant in mensem: *demensum* a demetior: ita Plautus demensum cibum appellat.

De-

Suum defraudans genium, comparsit miser,
Id illa universum abripiet, haud existimans
Quanto labore partum: porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro alio autem, ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt, omne hoc mater auferet:
Puer caussa erit mittundi: sed videon' Getam?

Defraudans genium. De victu quotidiano aliquid detrahens, necessitati & naturæ subducens. Genius apud veteres erat vel anima cujusque hominis, vel Deus quidam vitæ singulorum præses, qui cum ipsis gigneretur una & moreretur, quem voluptate & iis omnibus, quibus alitur vita & fovetur, gaudere maxime putabant; hinc *indulgere genio* est dulcia carpere, sectari voluptates: contra vero, *genium defraudare*, parce vesci ac duriter.

Comparsit. A compareo; multa parsimonia collegit' parcendo conservavit.

Haud existimans. Nullam habens rationem: non considerans.

Ferietur. Quasi novo vulnere.

Initiabunt. Initiare proprie est consecrare: pueros, cum ablactabantur, consecrari mos erat Deabus tribus: uni quæ cibo præerat, Eduliæ; alteri quæ potui, Poticæ; tertiæ, quæ cunis, Cubæ. Aliis etiam mysteriis & numinibus, alio tempore & ætate, initiabantur.

SCENA SECUNDA.

GETA, DAVUS.

Davus effert Geta quam debebat pecuniam, mox; ut fit, inter se fabulantes de Phædria & Anaphone, quæ ab auditoribus sciri erat opus, pulchre narrant.

G. SI quis me quæret rufus.... D. presto est, desine. G. oh!

Si quis, &c. Exiens foras Geta servum aliquem morantem alloquitur: Si quis rufus pulsabit has fores, & me quæret, dices illi... Non perficit orationem,

At ego obviam conabar tibi Dave. *D.* accipe, hem:
Lectum eſt, conveniet numerus, quantum debui.
G. Amo te, & non neglexiſſe habeo gratiam.
D. Præſertim ut nunc ſunt mores; adeo res rediit;
Si quis quid reddit, magna habenda eſt gratia.
Sed quid tu es triſtis? *G.* egone? neſcis quo in metu, &
Quanto in periculo ſim. *D.* quid iſthuc eſt? *G.* ſcies,
Modo ut tacere poſſis. *D.* abi ſis inſciens:
Cujus tu fidem in pecunia perſpexeris,
Verere verba ei credere? ubi quid mihi lucri eſt
Te fallere? *G.* ergo auſculta. *D.* hanc operam tibi dico.
G. Senis noſtri, Dave, fratrem majorem Chremem.
Noſtine? *D.* quidni? *G.* quid? ejus gnatum Phædriam?
D. Tanquam te. *C.* evenit ſenibus ambobus ſimul,
Iter illi in Lemnum ut eſſet, noſtro in Ciliciam

nem, quia illum ipſum, a quo quærebatur, rurſum, nempe Davum, ſubeuntem videt.

Conabar. Ire incipiebam, meditabar.

Lectum eſt. Subaudi, argentum: probatum & ſpectatum.

Conveniet. Congruet ſummæ debitæ: tantum eſt, quantum debeo.

Adeo. Eo ventum eſt improbitatis.

Abi ſis. Næ tu homo es ineptus, & parum conſideratus.

Ubi. Deinde; tum hoc loco, in ea re.

Hanc, &c. Id ago, tibi auſculto.

Quidni? Quaſi vero illum non noſſem.

Senibus. Ut eſſet iter ambobus ſenibus.

Illi. Nempe Chremi.

Lemnum. Eſt inſula maris Ægei, Vulcano ſacra; nunc Stalimene vulgo dicitur.

Noſtro. Demiphoni.

Ciliciam. Eſt regio Aſiæ minoris e regione Cypri & Ægypti.

Pel-

Ad hospitem antiquum : is senem per epistolas
Pellexit, modo non montes auri pollicens.
D. Cui tanta erat res, & supererat? *G.* desinas :
Sic est ingenium. *D.* oh, regem me esse oportuit!
G. Abeuntes ambo hinc tum senes, me filiis
Relinquunt quasi magistrum. *D.* o Geta, provinciam
Cepisti duram. *G.* mihi usu venit, hoc scio :
Memini relinqui me, Deo irato meo :
Cœpi adversari primo : quid verbis opus est?
Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.
D. Venere in mente isthæc mihi, nam quæ inscitia est
Adversum stimulum calces? *G.* cœpi his omnia

Pellexit. Impulit ad iter in Ciliciam suscipiendum.

Modo non. Ferme, propemodum.

Montes auri. Proverbium & hyperbole est de iis qui immensa promittunt, spesque amplissimas ostentant, a Persarum arrogantia ducta, qui propter auri venas in Perside frequentes, aureos montes jactabant. Plaut. Stic. *Neque ille sibi mercat Persarum montes qui esse aurei perhibentur*.

Cui tanta, &c. Sententia est, qui fieri potuit ut lucri spe proposita Demipho iter illud difficile obiret, qui tam dives esset? ... An Domino tuo pollicebatur hæc, cui tanta erat res. *Donat*.

Regem. Divitem instar regis, hoc ait: certe ego, si dives, si rex essem, non id facerem quod Demipho, pecuniæ causa tantum laborem non sumerem.

Filiis. Phædriæ & Antiphonis.

Provinciam. Munus, officium.

Usu venit. Ut ut est, ita contigit.

Deo irato meo. Deum unicuique suum quemdam veteres putabant esse, qui bonæ ipsorum aut malæ fortunæ esset auctor; Genium appellabant.

Adversari. Resistere adolescentum cupiditatibus.

Fidelis. Qui me jusserat adolescentes observare, & in officio continere; fidus est amicus, inquit *Donat*. fidelis servus.

Perdidi. Humeros loris & vulneribus perditos & contusos habeo.

Venere .... Prævidebam hæc tibi eventura, te ab adolescentibus male mulctandum: est enim hominis imprudentis iis repugnare quos vincere nequeas, eos pro-

Facere, obsequi quæ vellent. *D.* Sciſti uti foro.
G. Noſter mali nihil quidquam primo: hic Phædria
Continuo quamdam nactus eſt puellulam
Citharistriam, hanc amare cœpit perdite.
Ea serviebat mangoni impurissimo:
Neque, quod daretur quidquam: id curarant patres.
Reſtabat aliud nihil, niſi oculos paſcere,
Sectari, in ludum ducere, & reducere:
Nos otioſi operam dabamus Phædriæ.
In quo hæc diſcebat ludo, ex adverſum ei loco
Tonſtrina erat quædam; hic ſolebamus fere
Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.
Interea dum ſedemus illic, intervenit
Adoleſcens quidam lacrumans: nos mirarier:
Rogamus, quid ſit: Nunquam æque, inquit, ac modo

provocare qui laceſſiti noceant: hoc ſignificant ea voces, *Adverſum ſtimulum calces*, ſubaudi, jactare: ducta metaphora eſt a bobus, quos agricolæ, dum arant, ſtimulis, hoc eſt, lignis ferro acuto præfixis urgent a tergo & fodiunt: quod ſi quando boves calcibus jactari repugnent adverſus ſtimulum, gravius læduntur & punguntur. Vel ab equis, qui cum calcaribus ſtimulati calcitrant, gravius urgentur.

Sciſti uti foro. Tempori ſervire: te rebus accommodare. Sumptum eſt proverbium a mercatoribus, qui ad vendendas ſuas merces conſulunt forum ſeu macellum, eas tanti vendunt, quanti venduntur in foro, &c.

Noſter. Antipho heri mei filius....

Mali nihil. Subaudi, agere, moliri.

Mangoni. Mercatori mancipiorum.

Quod daretur. Subaudi, erat, ſuppetebat, nihil habebant pecuniæ, quod mercatori darent ad emendam puellam.

Sectari. Comitari.

Id curarant. Ne quid haberent pecuniæ, ne illa prave uterentur.

Ludo. Locum ubi diſcebat fidibus canere: omnis locus exercitii, ludus apud Latinos vocatur, & ſchola apud Græcos.

Operam dabamus. Ego & Antipho aſſidebamus, comitabamur, juvabamus Phædriæ.

Inde. Ex ludo.

Domum. Suam.

Mi-

Paupertas mihi onus visum est & miserum, & grave.
Modo quamdam vidi virginem hic vicinia
Miseram, suam matrem lamentari mortuam.
Et sita erat ex adverso, neque illi benevolens,
Neque notus, neque cognatus extra unam aniculam,
Quisquam aderat, qui adjutaret funus; miseritum est:
Virgo ipsa facie egregia; quid verbis opus est?
Commorat omnes nos: ibi continuo Antipho,
Vultisne eamus visere? alius: censeo,
Eamus, duc nos sodes: imus, venimus,
Videmus: virgo pulchra, & quo magis diceres,
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem:
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida:
Lacrumæ, vestitus turpis; ut, ni vis boni
In ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent.
Ille, qui illam amabat fidicinam, tantummodo,
Satis, inquit, scita est: noster veto .... D. jam scio:

Mihi onus visum est ... Nunquam antea æque ac nunc intellexi quam grave esset hominibus paupertas onus.

Hic vicinia. In hac vicinia. Adverbia loci ponuntur interdum cum genitivo, ea lege, ubi gentium, &c.

Ea. Matris illius mortuæ cadaver erat ex adverso virginis, ante os, in conspectu positum, vel, ipsa Virgo mihi ex adverso erat posita, ut facile posset aspici.

Miseritum est. Ejus misertus sum.

Alius. Unus quidam, ex iis qui aderant, ait, censeo eamus.

Passus. Temere dispersus.

Horrida. Incompta, neglecta.

Ni vis boni, &c. Ut hæc omnia sufficerent ad formam extinguendam, nisi ea præstans foret *vis boni*, copia pulchritudinis, & præstantia.

Ille. Phædria.

Scita. Venusta.

Noster. Antipho.

Scin'

Amare cœpit. *G.* Scin' quam? quo evadat, vide:
Postridie ad unum recta pergit; obsecrat;
Videndi ut faciat copiam: illa enim negat:
Neque eum æquum ait facere, illam civem esse Atticam,
Bonam, bonis prognatam: si uxorem velit,
Lege id licere facere; sin aliter, negat.
Noster, quid ageret; nescire, & illam ducere
Capiebat, & metuebat absentem patrem.
D. Non, si rediisset pater, ei veniam daret?
G. Illene indotatam virginem, atque ignobilem
Daret illi? nunquam faceret. *D.* quid sit denique?
G. Quid fiat? est parasitus quidam Phormio,
Homo confidens, qui ... (illum Dii omnes perduint)
D. Quid is fecit? *D.* hoc consilium, quod dicam, dedit.
Lex est, ut orbæ, qui sint genere proximi,
His nubant, & illos ducere eadem hæc lex jubet.
Ego te cognatum dicam, & tibi scribam dicam:
Paternum amicum me assimilabo virginis;
Ad judices veniemus; qui fuerit pater,
Quæ mater, qui cognata tibi sit, omnia hæc
Confingam, quod erit mihi bonum, atque commodum.

Scin' quam. Sciſne quantum.

Quo evadat. Quo eum cupiditas abripiat, quo perveniat.

Bonam, &c. Honestam, & honesto loco natam.

Nescire. Id est, nesciebat.

Veniam. Ductæ uxoris se insciо, & absente, vel ejus ducendæ facultatem.

Quid fiat. Subaudi, rogas.

Qui illum. Vel illud *qui* refertur ad ea quæ sequuntur, qui hoc consilium dedit: vel ponitur pro utinam.

Perduint. Perdant.

Ut orbæ. Ordo est, ut orbæ, id est feminæ parentibus orbatæ iis nubant qui sunt genere proximi.

Nubant. Nubit femina: ducit vir.

Scribam dicam. Litem intendam, græca phrasi δίκην γράφεσθαι. *Dicam*, est actio qua pugnamus cum aliquo in judicio.

Qui cognata. Quo pacto.

Quod erit... Quatenus mihi

Cum tu horum nihil refelles, vincam ſcilicet.
Pater aderit: mihi paratæ lites, quid mea?
Illa quidem noſtra erit. *D.* jocularem audaciam.
G. Perſuaſit homini: factum eſt, ventum eſt, vincimur.
Duxit. *D.* quid narrat? *G.* hoc, quod audis. *D.* o Geta.
Quid te futurum eſt? *G.* neſcio hercle: unum hoc ſcio,
Quod fors feret, feremus æquo animo. *D.* placet;
Hem iſthuc viri eſt officium. *G.* in me omnis ſpes eſt mihi.
D. Laudo. *G.* ad peccatorem abeam, credo, qui mihi
Sic oret: Nunc amitte quæſo hunc, ceterum
Poſthac ſi quidquam .... nihil precor: tantummodo
Non addat: ubi ego hinc abiero, vel occidito.
D. Quid ille pedagogus, qui cithariſtriam? ....
Quid rei gerit? *G.* ſic, tenuiter. *D.* non multum habet,
Quod det, fortaſſe? *G.* immo nihil, niſi ſpem meram.

---

bi & meæ cauſſæ utile eſſe videbitur.

Pater aderit. Redibit pater tuus Demipho, ſat ſcio, & mihi litem intendet, ſed hoc parum curo, modo habeas uxorem illam.

Mea! Subaudi, refert.

Jocularem. Quæ joco & fabulæ ſimilior ſit, quam rei geſtæ.

Homini. Antiphoni.

Ventum eſt. In jus.

Iſthuc: Fortiter quæ accidunt ferre.

Ad peccatorem, &c. Egone confugerem ad aliquem deprecatorem qui pro me ſic herum oraret: parce illi quæſo nunc: ſi quid poſtea peccaverit, non dea precabor quin pœnas det: modo etiam iſte deprecator hoc non addat; per me licet eum etiam occidas, ubi ego a te diſceſſero.

Amitte. Dimitte, abire imultum patere.

Pædagogus ille. De Phædria loquitur, qui inſtar pædagogi & moderatoris citharistriam in ludum ducebat ac reducebat.

Sic. Geſtu adjuvandum hoc, & nutu, quo ſignifi-

ce-

D. Pater ejus rediit, an non? *G.* nondum.
D. quid? senem
Quoad expectatis vestrum? *G.* non certum scio:
Sed epistolam ab eo allatam esse audio: modo,
Et ad portitores esse delatam: hanc petam.
D. Nunquid Geta aliud me vis? *G.* ut bene sit tibi.
Puer heus: nemon' huc prodit? cape, da hoc Dorcio.

cetur lente rem procedere, frigere hoc negotium.

Pater. Chremes.

Allatam. Ab eo, nempe Demiphone, scriptam, & datam ferendam Athenas.

Portitores. Sunt homines in portubus a principe positi, ut vectigal rerum inferendarum, & exportandarum accipiant.

Hanc petam. Eo ad portitores ut hanc epistolam ab iis petam.

Aliud. Præter argentum quod tibi attuli.

Puer. Aliquem e servulis qui intus sunt, inclamat.

Hoc. Argentum.

Dorcio. Nomen fœminæ: erat forte uxor Getæ.

SCENA TERTIA.

ANTIPHO, PHÆDRIA.

Conqueruntur de sua sorte adolescentes.

A. ADeon' rem rediisse, ut qui mihi consultum optime velit esse,
Phædria, patrem extimescam; ubi in mentem ejus adventi venit?
Quod ni fuissem incogitans, ita eum expectarem, ut par fuit.

Adeon'. Eone me deveniisse infelicitatis, o Phædria, ut extimescam patrem, qui mihi velit optime consultum, id est, qui me unice diligat, & omnia mihi bene evenire cupiat?

Adventi. Antiquo more, pro adventus.

Quid ni. Istud *quid* abundat, vel est atqui.

Incogitans. Imprudens.

Ut par fuit. Ut bonum filium decuit, qui patrem

P. Quid istuc est? *A.* rogitas, qui tam audacis facinoris mihi conscius sis?
Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset,
Neu me cupidum eo compulisset, quod mihi principium est mali.
Non potitus essem; fuisset tum illos mihi ægræ aliquot dies:
At non quotidiana cura hæc angeret animum. *P.* audio
A. Dum expecto, quam mox veniat, qui adimat hanc mihi consuetudinem.
P. Aliis, quia deest quod amant, ægre est; tibi, quia supereſt, dolet.
Amore abundas, Antipho.
Nam tua quidem hercle certo vita hæc expetenda, optandaque est.
Ita me Di bene ament, ut mihi liceat tam diu quod amo, frui.
Jam depacisci mortem cupio: tu conjicito cetera,
Quid ego ex hac inopia nunc capiam, & quid tu ex isthac copia.

quamprimum venire percupit.

Quod utinam. Vel istud *quod* inchoandæ tantum sententiæ hic, ut alias sæpe, servit; vel *id*, quæ vox proxime sequitur, abundat.

Utinam ne. Utinam non.

Non potius essem. Non duxissem illam Citharistriam.

Fuisset mihi ægre. Doluissem, in mœrore fuissem.

Dum expecto, &c. Nempe cura hæc, quæ me angit, dum expecto ejus adventum.

Adimat. Qui mihi eripiat illam uxorem.

Deest. Deficit, deest.

Abundas. Felix es in amore: habes id abunde quod amas.

Ita me., &c. Formula bene sibi precandi.

Ut mihi, &c. Ordo est, jam cupio mortem depacisci, id est, pactionem transigere & accipere conditionem hanc ut moriar, modo ut mihi liceat tamdiu, quamdiu tibi licuit, eo frui quod amo, eam uxorem ducere quam depereo.

Cetera. Relinquo tibi coniicienda cetera; nempe, quid ego *capiam* molestiæ, quanto in dolore curaque sim,

Ut ne addam, quod ſine ſumptu, ingenuam, liberalem nactus es:
Quod habes, ita ut voluiſti, uxorem, ſine mala fama; palam
Beatus: ni unum hoc deſit, animus qui modeſte iſthæc ferat.
Quod ſi tibi res ſit cum eo mercatore, quocum mihi eſt, tum ſentias:
Ita plerique ingenio ſumus omnes, noſtri noſmet pœnitet.
A. At tu mihi contra nunc videre fortunatus Phædria,
Cui deintegro eſt poteſtas etiam conſulendi, quid velis;
Retinere, amare, admittere: ego in eum incidi infelix locum,
Ut neque mihi ejus ſit amittendi, nec retinendi copia.
Sed quid hoc eſt? videon' ego Getam currentem advenire huc?
Is eſt ipſus: hei, timeo miſer, quam hic mihi nunc rem nunciet.

ſim, *ex hac inopia*; id eſt, difficultate ducendæ uxoris quam cupio: & quid tu commodi capias ex ea facilitate, qua uxorem tibi comparaſti.

Ut ne addam. Mitto dicere, &c.

Palam. Sine dubio.

Modeſte. Benigne, ſapienter & moderate.

Tum ſentias. Tum enimvero poſſes intelligere quam male mecum agatur; quam ſis beatus.

Ingenio. Indole: ita ſumus comparati.

Pœnitet. Noſtræ nos ſortis piget, laudamus alienam.

SCENA QUINTA.

GETA, ANTIPHO, PHÆDRIA.

Narrat Antiphoni Geta Patrem e Cilicia reducem adiſſe : fugit Antipho conſpectum patriæ. Remanent Phædria & Geta ad eum excipiendum & purgandum Antiphonem.

G. NUllus es Getà, niſi aliquod jam tibi conſilium celere repereris ;
Ita nunc imparatum ſubito tanta te impendent mala :
Quæ neque uti devitem ſcio, neque quomodo me inde extraham :
(Nam non poteſt celari noſtra diutius jam audacia :)
Quæ ſi non aſtu providentur, me, aut herum peſſumdabunt,
A. Quidnam ille commotus venit ? G. tum, temporis punctum mihi
Ad hanc rem eſt, herus adeſt. A. quid iſtud mali eſt ?
G. Quod cum audierit, quod ejus remedium inveniam iracundiæ ?
Loquarne ? intendam : taceam ? inſtigem ; purgem me ? laterem lavem.

Nullus es. Periiſti : actum eſt de te.

Celere. Neutrum vetus.

Te impendent. Antique, pro, tibi, in te pendent.

Uti. Quomodo.

Aſtu. Fraude, conſilio.

Quidnam. Propter quidnam, cur.

Temporis punctum. Tempus breviſſimum, momentum.

Quod cum audierit. Cum herus Demipho audierit Antiphonem filium uxorem duxiſſe.

Laterem lavem. Fruſtra laborem. Proverbium hinc ductum, quod later, id eſt, terra cocta & in lapidem durata colorem ab igne ſic ducat fere rubrum, interdum lividum & elui aqua non poſſit : unde *laterem lavare*, eſt operam perdere.

Ex-

Eheu me miſerum! cum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi:
Ejus me miſeret, ei nunc timeo, is nunc me retinet: nam abſque eo eſſet,
Recte ego mihi vidiſſem, & ſenis eſſem ultus iracundiam:
Aliquid convaſaſſem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes.
A. Quam hic fugam, aut furtum parat?
G. Sed ubi Antiphonem reperiam? aut quæ quærere inſiſtam via?
P. Te nominat. *A.* neſcio quod magnum hoc nuncio expecto malum.
P. Ah, ſanuſne es?
G. Domum ire pergam, ubi plurimum eſt. *P.* revocemus hominem. *A.* Sta illico. *G.* Hem!
Satis pro imperio, quiſquis es. *A.* Geta. *G.* ipſe eſt, quem volui obviam.
A. Cedo, quid portas, obſecro? atque id (ſi potes) verbo expedi.
G. Faciam. *A.* eloquere. *G.* modo apud portum. *A.* meumne? *G.* Intellexti? *A.* Occidi *P.* Hem!
A. Quid agam? *P.* quid ais? *G.* hujus patrem vidiſſe me, patruum tuum.
A. Nam quod ego huic nunc ſubito exitio remedium inveniam miſer?
Quod ſi eo meæ fortunæ redeunt, Phanium abs te ut diſtrahar;

Excruciat animi. Iſtum genitivum adhibebant veteres in perturbationibus ſignificandis; pendere animi, incertus animi...

Abſque eo eſſet. Niſi me retineret Antipho, ſi meum tantum periculum hoc eſſet, ac non illius etiam.

Vidiſſem. Conſuluiſſem, providiſſem.

Convaſaſſem. Aliquid furto rapuiſſem, & ſarcinulam confeciſſem meam.

Conjicerem in pedes. Fugerem.

Plurimum. Sæpe.

Pro imperio. Arrogantem & imperioſum in modum ſtare me jubes.

Apud portum. Subaudi, reperi.

Meumne. Patremne meum vidiſti?

Nulla eſt mihi vita expetenda. *G.* ergo iſthæc
cum ita ſint, Antipho,
Tanto magis te advigilare æquum eſt, fortes
fortuna adjuvat.
A. Non ſum apud me. *G.* atqui opus eſt nunc
cum maxime, ut ſis, Antipho;
Nam ſi te ſenſerit timidum pater eſſe, arbitra-
bitur
Commeruiſſe culpam. *P.* hoc verum eſt. *A.* non
poſſum immutarier.
G. Quid faceres ſi aliud quid gravius tibi nunc
faciendum foret?
A. Cum hoc non poſſum, illud minus poſſem.
G. hoc nihil eſt, Phædria: ilicet;
Quid conterimus operam fruſtra? quin abeo?
P. & quidem ego. *A.* obſecro.
Quid ſi aſſimulabo, ſatin' eſt? *G.* garris. *A.* vol-
tum contemplamini, hem,
Satin' ſic eſt? *G.* non. *A.* quid ſi ſic? *G.* prope-
modum. *A.* quid ſi ſic? *G.* ſat eſt.
Hem iſthuc ſerva, & verbum verbo, par pari
ut reſpondeas;

Nulla. Certum eſt mihi mori.

Apud me. Mei compos.

Ut ſis. Apud te.

Immutarier. Mutare indolem timidam.

Hoc. Immutari, metum excutere.

Illud. Facere aliquid audacter in graviore malo non poſſem, quod majus eſt quam metum deponere.

Hoc nihil eſt. Hoc, id eſt, hic Antipho *nihil eſt*; nullius eſt animi & conſilii: neutro genere per contemptum utebantur pro maſculino: vel *hoc*, id eſt, quod ille dicit, & cogitat, leviculum eſt ac meticuloſum; abeamus.

Ilicet. Adverbium hoc dicebatur judicibus per preconem, cum e conſilio dimittebantur, compoſitum ex ire & licet. Senſus igitur eſt, ire licet nobis, diſcedamus hinc.

Et quidem ego. Subaudi, abeo.

Obſecro. Rogat ut maneat.

Si aſſimulabo. Si ſimulo audacem, ſi confidentis vultum ſumam & ſpeciem.

Satin' eſt. Satiſne videor hoc vultu compoſitus ad audaciam & conſtantiam?

Serva. Ita compoſitus mane: & aſſimulatus, ut nunc es.

Ut reſpondeas. Subaudi,

Ne fuis te iratus ſævidicis dictis protelet. *A.* ſcio.
G. Vi coactum te eſſe invitum, lege, judicio: tenes?
Sed quis hic eſt ſenex, quem video in ultima platea? *A.* ipſus eſt,
Non poſſum adeſſe. *G.* ah, quid ais? quo abis, Antipho? mane,
Mane inquam. *A.* egomet me novi, & peccatum meum:
Vobis commendo Phanium, & vitam meam.
P. Geta quid nunc fiet? *G.* tu jam lites audies.
Ego plectar pendens, niſi quid me fefellerit.
Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id noſmetipſos facere oportet, Phædria.
P. Aufer mihi, oportet; quin tu quod faciam impera.
G. Meminiſtin' olim ut fuerit veſtra oratio,
In re incipiunda ad defendendam noxiam?
Juſtam illam cauſſam, facilem, vincibilem, optumam.
P. Memini. *G.* hem, nunc ipſa ea eſt opus, aut, ſi quid poteſt,

di, vide, fac.

Sævidicis. Sævis & atrocibus.

Protelet. Proturbet, exagitet, differat ac longe protrudat.

Coactum. Ut uxorem abſente patre duceres.

Lege, judicio. Vide ſcenam 2. hujus actus.

Ultima. Extrema.

Adeſſe. Diutius hic eſſe, ejus conſpectum ſuſtinere.

Plectar. Feriar, verberabor.

Pendens. Solebant alligare ſublimes ſervos, & ita loris cædere.

Facere. Ut minime timidi ſimus.

Aufer, &c. Noli dicere, oportet; ſed quid mihi faciendum ſit præcipe.

Veſtra oratio. Quibus rationibus uti decreviſtis tum cum id incepiſtis facinus, ut illud, ſi veniret Demipho, purgaretis ac defenderetis; ut noxiam, id eſt, culpam ac pœnam a vobis amoveretis? nempe ſtatueratis hoc dicere, Phanii cauſſam eſſe optimam, juſtam, quæ non poſſet non vinci a Phormione, &c.

Ea. Oratione, defenſione.

Si quid poteſt. Si quid eſſe poteſt ea melius.

Meliore, & callidiore. *P.* fiet ſedulo :
G. Nunc prior adito tu, ego in inſidiis hic ero
Succenturiatus, ſi quid deficies. *P.* age.

Adito. Occurre patri. *Succenturiatus*. Tibi ſubſtitutus, ut cum deficies, eriſque defatigatus, ego recens & integer prodeam. *Succenturiati*, proprie milites ii dicebantur, qui ad replendam centuriam, & ordinem parabantur, maxime in collocandis inſidiis, ut in locum fauciorum aut cæſorum ſubirent.

SCENA QUINTA.

[DEMIPHO, GETA, PHÆDRIA.

Adeſt Demipho, nuptias Antiphonis ægre admodum ferens; ſed Antiphonem abſentem Phædria ſuperveniens ac Geta defendunt. Demipho jubet ſibi adduci Phormionem.

D. ITane tandem uxorem duxit Antipho injuſſu meo ?
Nec meum imperium (age, mitto imperium) non ſimultatem meam
Revereri? ſaltem non pudere? o facinus audax; o Geta
Monitor. *G.* vix tandem. *D.* quid mihi dicent? aut quam cauſſam reperient ?

Mitto imperium. Non loquor de imperio & voluntate mea quam contempſit; non revereri, non extimuiſſe ſaltem ne me iratum haberet ac offenſum ? ſubaudi oportuit, nonne oportuit eum revereri, &c.

O Geta monitor. Hæccine ſunt præcepta & monita, quæ filio, abſente me, dediſti, Geta, cui eum commiſeram educandum ?

Vix tandem. Subaudi, me appellat, mei meminit : expectaverat enim Geta ut ſe primum omnium, ut huic rei caput, nominaret, dicit hoc & alia quæ ſequuntur multa,

Demiror. G. atqui reperi jam, aliud cura. D. annе hoc dicent mihi?
Invitus feci, lex coegit: audio, & fateor. G. places.
D. Verum scientem, tacitum, causſam tradere adversariis,
Etiamne id lex coegit? P. illud durum. G. ego expediam: sine.
D. Incertum est, quid agam, quia præter spem, atque incredibile hoc mihi obtigit.
Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.
Quamobrem omnes, cum secundæ res sunt, maxime
Meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnam ferant:
Pericla, damna, exilia peregre rediens semper cogitet,
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia esse hæc; fieri posse; ut ne quid animo sit novum?
Quidquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.
G. O Phædria, incredibile est, quanto herum anteo sapientia;
Meditata mihi sunt omnia mea incommoda: herus si redierit,

ta, nondum conspectus a sene, & demissa nocte.

Demiror. Nescio: nam admirationem ignorantia facit. *Donat*.

Reperi. Quod dicam.

Aliud cura. Ne sis sollicitus de nostra excusatione, parata est: alias res cura, o bone Demipho.

Places. Recte ais.

Scientem. Volentem & prudentem.

Causſam tradere. Ita negligenter se apud judices defendere, ut causſam adversariis obtinendam offerre videretur.

Instituere. Intendere, adhibere.

Peregre. Ex aliqua peregrinatione aliquis rediens.

Communia. Omnibus hominibus.

Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendæ compedes;
Opus ruri faciundum: horum nihil quidquam accidet animo novum:
Quidquid præter spem evenier, omne id deputabo in lucro.
Sed quid cessas hominem adire, & blando in principio alloqui?
D. Phædriam mei fratris video filium mihi ire obviam.
P. Mi patrue salve. *D.* salve: sed ubi est Antipho?
P. Salvum advenire ... *D.* credo: hoc responde mihi:
P. Valet, hic est: sed satin' omnia ex sententia?
D. Vellem quidem. *P.* quid istuc? *D.* rogitas, Phædria?
Bonas me absente hic confecistis nuptias.
P. Eho, an id succenses nunc illi? *G.* o artificem probum!
D. Egone illi non succensem? ipsum gestio dari
Mihi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat
Lenem patrem illum, factum me esse acerrimum.
P. Atqui nil fecit, patrue; quod succenseas.
D. Ecce autem similia omnia, omnes congruunt,
Unum cognoris, omnes noris. *P.* haud ita est.

Usque. Assidue.

Advenire. Subaudi, gaudeo.

Hoc responde. Quod petii, ubi est Antipho?

Hic est. Domi, non procul est.

Ex sententia. Ex animo, ut vis; subaudi: procedunt.

Artificem probum. Quam belle personam suam agit, o probum simulatorem!

Lenem ... Illum me qui olim eram lenis pater, nunc factum esse infensum & acerbum.

Similia omnia. Omnes sunt sibi invicem similes.

Congruunt. Habent communicata inter se consilia.

Hic.

D. Hic in noxia eſt; ille ad defendendam cauſſam adeſt:
Cum ille eſt, hic præſto eſt: tradunt operas mutuas.
G. Probe eorum facta imprudens depinxit ſenex.
D. Nam ni hæc ita eſſent, cum illo haud ſtares Phædria.
P. Si eſt, patrue, culpam ut Antipho in ſe admiſerit,
Ex qua re minus rei foret, aut famæ temperans,
Non cauſſam dico, quia, quod meritus eſt, ferat:
Sed ſi quis forte malitia fretus ſua,
Inſidias noſtræ fecit adoleſcentiæ,
Ac vicit; noſtrane ea culpa eſt, an judicum,
Qui ſæpe propter invidiam adimunt diviti,
Aut propter miſericordiam addunt pauperi?
G. Ni noſſem cauſſam, crederem vera hunc loqui.
D. An quiſquam judex eſt, qui poſſit noſcere
Tua juſta, ubi tute verbum non reſpondeas,
Ita ut ille fecit? *P.* functus adoleſcentuli eſt
Officium liberalis: poſtquam ad judices
Ventum eſt, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum obſtupefecit pudor.
G. Laudo hunc: ſed ceſſo adire quamprimum ſenem?
Here ſalve, ſalvum te adveniſſe gaudeo. *D.* oh

Hic. Antipho.
Noxia. Culpa.
Ille. Phædria.
Cum ille eſt. Cum Phædria eſt in noxia?
Tradunt. Sibi mutuo præſtare opem atque operam.
Imprudens. Inſciens: aliud agens.
Cum illo haud ſtares. Non defenderes Antiphonem.
Si eſt, &c. Si res ita ſe habet, ut, &c.
Ex qua re. Ex qua culpa quamobrem.
Minus foret temperans. Minus conſuleret ſuæ famæ aut pecuniæ.
Non cauſſam dico. Non excuſo illum, nihil pugno quin ....
Addunt. Opes divitibus ereptas.
Tua juſta. Jus tuum.
Cogitata. Quæ præparaverat.

Bone custos salve, columen vero familiæ,
Cui commendavi filium hinc abiens meum.
G. Jamdudum te omnes nos accusare audio
Immerito, & me omnium horum immeritissimo.
Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?
Servum hominem caussam orare leges non sinunt,
Neque testimonii ditio est. *D.* mitto omnia: adde
Isthuc, imprudens timuit adolescens, fino:
Tu servus: verum si cognata est maxime,
Non fuit necesse habere: sed, id quod lex jubet,
Dotem daretis; quæreret alium virum:
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
G. Non ratio, verum argentum deerat. *D.* sumeret
Alicunde. *G.* alicunde? nihil est dictu facilius.
D. Postremo, si nullo alio pacto, vel fœnore.
G. Hui, dixti pulchre, si quidem quisquam crederet,
Te vivo. *D.* non, non sic futurum est: non potest,

Tibi. Abundat: quid tibi voluisti, id est, quid voluisti me facere?

Ditio. Jus dicendi.

Tu servus. Audio quod dicis, te servum esse: subaudi, adeoque tibi non licuisse testimonium dicere, sit ita sane. Non videbantur Romanis servi satis idonei testes esse posse, quibus imperari scilicet poterat ut essent testes.

Si cognata est maxime. Quamvis omnino esset Antiphonis cognata & affinis, non erat necesse illam habere, & uxorem ducere, danda tantum illi, ex lege, dos erat, &c.

Daretis. Id est, dare debueratis.

Fœnore. Subaudi, debuit sumere pecuniam.

Crederet. Daret pecuniam fœnori.

Te vivo. Nolebant Romani filio, qui sub patris iure esset, credi pecuniam vivo patre, ne filius familias ære alieno oppressus, ut creditum redderet, vel necem patri machinaretur, vel aliunde pecuniam inhonestius quæreret.

Non potest. Subaudi, hoc ita esse.

Me-

Egone illam cum illo ut patiar nuptam unum diem ?
Nihil ſuave meritum eſt : hominem commonſtrarier
Mihi iſtum volo , aut , ubi habitet , demonſtrarier
G. Nempe Phormionem ? *D.* iſtum patronum mulieris.
G. Jam (ſaxo) hic aderit. *D.* Antipho ubi nunc eſt? *P.* foris.
D. Abi Phædria , eum require , atque adduce huc. *P.* eo
Recta via equidem illuc. *G.* nempe ad Pamphilam.
D. At ego Deos penates hinc ſalutatum domum
Devortar, inde ibo ad forum , atque aliquot mihi
Amicos advocabo , ad hanc rem qui adſient ,
Ut ne imparatus ſim, cum adveniat Phormio.

Meritum eſt. Antipho meritus non eſt ut ſuaviter tractaretur: *meritum* autem neutro genere ponitur pro meritus: ita de homine urbano dicimus, nihil eſt illo urbanius, pro, nemo eſt urbanior: legunt aliqui *merita' st*, pro, meritus eſt. Donatus ita explicat; nihil mihi mercedis ſuave eſt, ut ego illam cum illo nuptam feram. Itaque meritum, pro præmio & mercede hic ſumit, quaſi diceret Demipho, nulla mihi res tanti eſſe poteſt, nullum mihi tantum dari præmium, ut huc patiar.

Foris. Domi non eſt.

Recta via. Ironice: ibat enim, ut Getæ demiſſe innuit, ad Pamphilam.

Penates. Erant Dii familiæ unicuique, urbi & loco proprii, qui in penitiore domo & interiore colebantur ab redeuntibus aut abeuntibus.

Devortar. Digrediar.

Ad hanc rem. Ad Phormionem accuſandum.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

PHORMIO, GETA.

Adducitur Phormio ut factum defendat: comparat se ad pugnam cum Demiphone.

P. ITane patris ais conspectum veritum hinc abisse? G. admodum.
P. Phanium relictam solam? G. sic. P. & iratum senem?
G. Oppido. P. ad te summa solum Phormio rerum redit,
Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum: accingere.
G. Obsecro te. P. si rogabit . . . G. in te spes est. P. ecce re . . . .

Abisse. Antiphonem.

Oppido. Valde: omnino.

Ad te summa, &c. Tuum in caput negotium hoc & jurgium struitur. Vel: hujus negotii tota moles in te incumbit.

Tute hoc, &c. Tu ipse hoc opsonium intristi & confecisti, tibi comedendum est: Proverbium: ut fuisti ejus re auctor & caput, quidquid orietur ex ea periculi, in te redundabit, ferendum tibi erit. Auctor fuisti consilii deducenda puella, æquum est ut tuo periculo rem expedias. *Interere* autem *cibos*, est carnes minutatim concidere, & heluellis, allio &c. condire, quod genus cibi intritum, seu moretum vocant.

Obsecro te. Subaudi, ut nobis succurras: sed parum attendens Phormio ad ea quæ Geta dicit, secum alia meditatur, & quemadmodum demiphoni respondeat, exquirit, unde abrupta oratio est.

Si rogabit. Quid respondebo, inquit secum Phormio, si roget Demipho, quare Phanium sit cognata Antiphonis? tum ubi cogitavit aliquantisper dicit, *ecce re*, id est, ecce rem, ecce id quod respondebo.

Quid

Quid ſi reddet? ... *G.* tu impuliſti. *P.* ſic opinor. *G.* ſubveni.
P. Cedo ſenem: jam inſtructa ſunt mihi corde conſilia omnia
G. Quid ages? *P.* quid vis? niſi ut maneat Phanium, atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram derivem ſenis?
G. O vir fortis, atque amicus: verum hoc ſæpe Phormio
Vereor, ne iſthæc fortitudo in nervum erumpat denique. *P.* ah,
Non ita eſt; factum eſt periculum, jam pedum viſa eſt via.
Quot me cenſes homines jam diverberaſſe uſque ad necem
Hoſpites? tum cives? quo magis novi, tanto ſæpius.
Cedo dum, en umquam injuriarum audiſti mihi ſcriptam dicam?

Quid ſi reddet. At, inquit rurſum Phormio, ſi Demipho reſpondeat... non exponit quid ſit illud quod cogitat reſponſurum Demiphonem, *Verbum reddo, refero*: interdum ſumitur pro, reſpondeo: ſententia eſſe poteſt hæc: Quid ſi velit Demipho nobis Phanium reddere cum pecunia & dote, ut alii nubat, & ab Antiphone divellatur? quid faciemus?

Tu impuliſti. Ut fictam nobis litem intendi pateremur.

Sic opinor. Non reſpondet Getæ Phormio, ſed ſibi: ſic inquit, opinor bene reſpondebo: ita me expediam: ſic eſt.

Cedo ſenem. Jam ſiſte mihi Demiphonem, paratus ſum congredi.

In nervum erumpat. Ne tam valde arcum tuum contendas, ut ejus tandem nervum frangas; hoc eſt, ne cum tuis pulchris conſiliis tibi nobiſque exitio ſis. Alii ſic explicant, ne tota res nobis in carcerem denique recidat, ne in ergaſtulum conjiciamur. *Nervus* enim erat funis, quo rei conſtringebantur in carcere.

Factum eſt periculum, &c. Alia ſimilia multa ſum expertus: jam proſpexi quæ via incunda mihi ſit, ubi ponenda ſingula veſtigia.

Quo magis novi. Subaudi, hanc artem hominum diverberandorum, tanto id ſæpius feci, eo plures male mulctavi.

Cedo dum. Agedum.

Injuriarum. Scribere dicam

G. Quid istuc? P. quia non rete accipitri tenditur, neque milvio,
Qui malefaciunt nobis; illis, qui nihil faciunt, tenditur:
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.
Aliis aliunde est periclum, unde aliquid abradi potest:
Mihi sciunt nihil esse: dices, ducent damnatum domum:
Alere nolunt hominem edacem; & sapiunt mea quidem sententia,
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.

eam alicui alicujus criminis, est litem alicui intendere, accusare de aliquo crimine: an audivisti me in ius aliquando vocatum fuisse quod injuriam alicui feciſſem?

Quid isthuc? Quo pacto, unde istud?

Quia non rete, &c. Quia non retia tenduntur milvis & accipitribus, qui nobis nocent, ac sunt aves rapaces, sed illis avibus quæ nihil nobis faciunt mali: in his enim capiendis est fructus, id est, utilitas aliqua, operæ pretium, sed in milvo & aliis id genus avibus capiendis opera & labor frustra ponitur, non enim prosunt istæ aves ad cibum, & capi facile nequeunt.

Aliis, &c. Id est hominibus mihi dissimilibus, non unum periculum affertur, nempe divitibus, quibus est aliquid, quod auferatur.

Unde. A quibus.

Abradi. Eripi per injuriam aliquid potest.

Aliunde. Variis e locis, hinc atque inde: hanc enim vim habet junctum cum voce *aliis*. Sic aliis aliud placet; alii aliunde veniunt, alii aliunde periclitantur.

Nihil esse. Me inopem esse.

Ducent domum. Tanquam rem sibi addictam. Qui debitores solvendo non erant, ii addicebantur creditoribus, id est eorum potestati & arbitrio permittebantur, ut eos domi, tanquam in carcere, haberent, ea tamen lege, ut alerent eosdem, si vivere de suo illi non possent: quod etiam in aliis quibusdam criminibus & causis fiebat.

Maleficio. Injuria per me ipsis illata.

Beneficium. Ut me alant hominem edacem & inopem.

Ab

G. Non poteſt ſatis pro merito ab illo tibi referri gratia.
P. Immo enim nemo ſatis pro merito gratiam Regi refert.
Tene aſymbolum venire, unctum, atque lautum e balneis,
Otioſum ab animo; eum ille & cura, & ſumptu abſumitur;
Dum tibi ſit, quod placeat? ille ringitur, ut rideas;
Prior bibas, prior decumbas; cœna dubia apponitur?
G. Quid iſthuc verbi eſt? *P.* ubi tu dubites, quid ſumas potiſſimum.
Hæc, cum rationem ineas, quam ſint ſuavia, & quam cara ſint,
Ea qui præbet, non tu hunc habeas plane præſentem Deum?
G. Senex adeſt; vide quid agas: prima coitio eſt acerrima,
Si eam ſuſtinueris, poſtilla jam, ut lubet, ludas licet.

Ab illo. Antiphone.
Immo enim. Immo vero.
Regi. Homini diviti qui paraſitum alit. Parem gratiam Antiphoni referre nequeo.
Tene. Nonne hoc magnum beneficium eſt, quod tu paraſitus aſymbolus ad cœnam venias? *Symbola* eſt pecuniæ pars certa quæ a convivis datur in ſumptus cœnæ: *aſymbolus* ille eſt, qui non ſolvit ſuam illam ratam pecuniæ partem: pro quo alius ſolvit.
Unctum. Odorato oleo corpus ungebant qui balneo uſi erant.
Ille. Rex tuus, dives apud quem cœnas.
Ringitur. Angit ſe ac macerat tacitus: *ringi* dicuntur proprie canes latraturi, & irritati.
Decumbas. Accumbas menſæ.
Rationem ineas. Tecum reputes, conſideres: ordo eſt, cum expendas quam hæc ſint ſuavia.
Præſentem. Summum, propitiũ; qui enim præſẽtes ſunt maxime adjuvare poſſunt.
Senex. Demipho.
Coitio. Congreſſus & impetus: ſumptum a militia.
Poſtilla. Poſtea, poſtmodum: ceteri ludus potius erunt quam certamen.
Ludas licet. Poteris ſenem arbitratu tuo ludificari.

SCE-

SCENA SECUNDA.

DEMIPHO, GETA, PHORMIO, HEGIO, CRATINUS, CRITO.

Adeſt cum amicis Demipho Phormionem quærens, ille commodum occurrit, & ſtrenue cum Demiphone concertat.

D. AN umquam cuiquam contumelioſus
Udiſtis factam injuriam, quam hæc eſt mihi.
Adeſte quæſo. *G.* iratus eſt. *P.* quin tu hoc age, st.
Jam ego hunc agitabo: pro Deum immortalium,
Negat Phanium eſſe hanc ſibi cognatam Demipho?
Hanc Demipho negat eſſe cognatam? *G.* negat.
P. Neque ejus patrem ſe ſcire, qui fuerit? *G.* negat.
D. Ipſum eſſe opinor, de quo agebam, ſequimini.
P. Nec Stilphonem ipſum ſcire, qui fuerit? *G.* negat.
Quia egens relicta eſt miſera, ignoratur patens:
Negligitur ipſa: vide, avaritia quid facit.
G. Si herum inſimulabis avaritiæ, male audies.
D. O audaciam! etiam me ultro accuſatum advenit?

Adeſte quæſo. Amicos qui ſequebantur vocat.

Hoc age. Attende.

St. Iſta vocula ſilentium indicit.

Deum. Subaudi, fidem. Pugnat cum Geta Phormio quaſi nondum aſpexiſſet Demiphonem: Geta heri partes tueri ſe ſimulat.

Sequimini. Amicos advocatos alloquitur.

Stilphonem. Audierat hoc nomen a Phanio, ut videtur, Phormio ita enim vocari ſe finxerat Chremes in Lemno: vide argumentum.

Male audies. Audies a me

P. Nam jam adoleſcenti nihil eſt quod ſuccenſeam,
Si illum minus norat: quippe homo jam grandior,
Pauper, cui opera vita erat, ruri fere
Se continebat: ibi agrum de noſtro patre
Colendum habebat: ſæpe interea mihi ſenex
Narrabat, ſe hunc negligere cognatum ſuum.
At quem virum? quem ego viderim in vita, optumum.
G. Videas te, atque illum, ut narrat. *P.* abi in malam crucem.
Nam ut ita cum exiſtimaſſem, nunquam tam graves
Ob hanc inimicitias caperem in noſtram familiam,
Quam is aſpernatur nunc tam illiberaliter.
G. Pergin' here abſenti male loqui impuriſſime?
P. Dignum autem hoc illo eſt. *G.* ain' tandem carcer? *D.* Geta.
G. Bonorum extortor, legum contortor. *D.* Geta.

a me convicia.

Adoleſcenti. Antiphoni.

Illum. Parentem Phanii.

Opera. Labor: qui labore & manu victum quærebat.

Senex. Pater Phanii.

Hunc. Demiphonem: ſe negligi ab hoc Demiphone cognato ſuo.

At quem virum. Quam vir probus erat iſte Phanii pater!

Videas te. Nempe te atque illum effers laudibus falſis; id tibi ſollemne; neque tibi te vel Stilphonem illum laudanti habemus fidem: te ſerio atque illum expende, alios forte intelliges eſſe quam narras: videas quis ille fuerit qui tu ipſe ſis.

Is. Demipho.

Abſenti. Fingit ſe eum non vidiſſe, qui adeſt & audit. Faciebat amplitudo theatri, ut qui ſtabant in ejus extrema parte non cernerent eos, qui erant in alia extrema.

Dignum hoc. Iſtis gravioribus verbis & conviciis dignus eſt.

Carcer. Homo dignus carcere, ſcelerate.

Contortor. Qui legibus abureris, qui eas detorques in rem tuam per ſcelus.

Reſ-

P. Reſponde. *G.* quis homo eſt? ehem. *D.* tace. *G.* abſenti tibi
Te indignas, ſeque dignas contumelias
Nunquam ceſſavit dicere hodie. *D.* ohe, deſine.
Adoleſcens, primum abs te hoc bona venia expeto,
Si tibi placere potis eſt, mihi ut reſpondeas:
Quem amicum tuum ais fuiſſe iſtum, explana mihi;
Et qui cognatum me ſibi eſſe diceret.
P. Proinde expiſcare, quaſi non noſſes. *D.* noſſe? *P.* ita.
D. Ego me nego: tu, qui ais, redige in memoriam.
P. Eho, tu ſobrinum tuum non noras? *D.* enecas:
Die nomen. *P.* nomen? maxume. *D.* quid nunc taces?
P. Perii hercle, nomen perdidi. *D.* hem, quid ait? *P.* Geta.
Si meminiſti quod olim dictum eſt, ſubjice; hem,
Non dico; quaſi non noris, tentatum advenis.

Reſponde. Tacitus hoc dicit, & a Demiphone averſus.

Adoleſcens. Ita Phormionem appellat Demipho ſenex.

Si tibi. Si poteſt tibi eſſe gratum, niſi moleſtum tibi eſt mihi reſpondere.

Iſtum. Phanii patrem.

Et qui. Quomodo.

Proinde. Perinde id expiſcari, id eſt, a me reſcire dolo vis. *Expiſcari* proprie eſt ſcrutari locum ubi piſces latent. *Donat*.

Me nego. Subaudi, noſſe.

Qui ais. Qui affirmas, id facio ut meminerim.

Sobrinum. Sororis tuæ filium: vel, ut aliis placet conſobrini tui filium. Sunt autem *conſobrini* qui ex duabus ſororibus ſunt nati; ut *patrueles* qui ex duobus fratribus.

Enecas. Obtundis me iſtis ambagibus.

Maxime. Sane dicam, & facile.

Perii. Hoc tacitus ita dicit ut ne audiat Demipho.

Subjice. Suggere mihi nomen quod olim antea tibi dixi, rogat id clam Getam, cumque ille reſpondere cunctaretur, converſus Phormio ad Demiphonem,

D. Egone autem tento? G. Stilpho. P. atque adeo, quid mea?
Stilpho eſt. D. quem dixti? P. Stilphonem inquam noveras?
D. Neque ego illum noram, nec mihi cognatus fuit
Quiſquam iſthoc nomine. P. itane? non te horum pudet.
At ſi talentum rem reliquiſſet decem.
D. Dii tibi malefaciant. P. Primus eſſes memoriter
Progeniem veſtram uſque ab avo, atque atavo proferens,
D. Ita ut dicis: ego tum ſi adveniſſem, qui mihi
Cognata eſſet, dicerem; itidem tu face: cedo.
Qui eſt cognata? G. heus noſter, recte: heus tu cave.
P. Dilucide expedivi, quibus me oportuit
Judicibus: tum ſi id falſum fuerat, filius
Cur non refellit? D. filium narras mihi?
Cujus de ſtultitia dici, ut dignum eſt, non poteſt.
P. At tu, qui ſapiens es, magiſtratus adi,
Judicium de eadem cauſſa iterum ut reddam tibi

nem, ait, hem non dico, id eſt nolo tibi nomen dicere, quia id a me tentandi cauſſa quæritas, quod probe noſti: ſtatim Geta nomen ſubjicit; vocabatur, inquit, Silpho, idque demiſſa voce, jam clara Phormio pergit Demiphonem alloqui.

Atque adeo quid mea? Hoc eſt, & ſane quid curo de nomine, quid hoc mea refert? vel quid curo an ſcias nomen, an ignores; dicam tamen, Stilpho nomen ipſius erat.

Noveras. An non probe noveras.

Talentum. Talentorum *rem* hæreditatem: ſummam decem talentorum. Talentum unum valet libras noſtræ monetæ Gallicæ 2400.

Avo. Avus eſt patris vel matris pater.

Ita ut dicis. Eſto ſane ut dicis: ſi mihi talenta decem reliquiſſet pater Phanii, dicerem quomodo ipſa eſſet mea cognata: hoc idem fac, oſtende quo pacto mea cognata ſit.

Si adveniſſem. Si veniſſem tum, quando res iſta in judicium vocata eſt.

Heus noſter. O here noſter,

Quandoquidem ſolus regnas, & ſoli licet
Hic de eadem cauſſa bis judicium adipiſcier.
D. Etſi mihi facta injuria eſt, verumtamen
Potius quam lites ſecter, aut quam te audiam:
Itidem ut cognata ſi ſit, id quod lex jubet
Dotem dare, abduce hanc, minas quinque accipe.
P. Ha ha he, homo ſuavis! *D.* quid eſt? num iniquum poſtulo?
An ne hoc quidem adipiſcar ego, quod jus publicum eſt?
P. Itane tandem quæſo? civem ubi tu abuſus ſis,
Mercedem dare lex jubet ei, atque amittere?
An, ut ne quid civis turpe in ſe admitteret
Propter egeſtatem, proximo juſſa eſt dari,
Ut cum uno ætatem degeret, quod tu vetas?

ſter, heu mi Demipho *heus tu* o Phormio.

Regnas. Potens, & extra leges communes poſitus es: erat autem Regis nomen, maxime Athenis, invidioſum.

Adipiſcier. Obtinere. Eſt autem juris axioma ut cauſſa cum eſt acta & judicata ſemel, iterum ne agatur, ut ſtetur judicum ſententiis.

Itidem ut.... Perinde quaſi cognata eſſet.

Id quod, *&c.* Secundum id quod lex jubet, ſi quid id jubet lex dotem dare, ſi nolis ducere. Lex igitur non cogebat ut orba proximo nuberet, ſed ut vel nuberet, vel ab eo dotem acciperet ac nubere poſſet alteri: hoc, e duobus elegit Demipho.

Minas quinque. Doris nomine. Mina ſive Mna monetæ Græcæ ponderiſque genus fuit: continebat drachmas centum, Plinio teſte. Drachma quælibet reſpondet tribus aſſibus Turonenſibus cum ſemiſſe: unde Mna una valebit libras Gallicæ monetæ fere 17. cum aſſibus 10.

Homo ſuavis. Ne tu lepidus es.

Abuſus ſis. Ubi virgo in matrimonium tibi collata fuerit. *Abutor* cum accuſativo ponebatur.

Amittere. Dimittere, repudiare. Sententia eſt & ordo: itane vere lex jubet dare mercedem & dotem virgini civi, poſtquam eam duxeris? jubet dotem dare, aut ducere; quod ſi duxeris, retinere jubet, non repudiare temere.

An, ut, &c. Nonne mens hæc legis eſt, cum jubet virginem dari proximo,

D. Ita, proximo quidem: at nos, unde? aut quamobrem? *P.* ohe.
Actum (ajunt) ne agas. *D.* non agam? immo haud desinam,
Donec perfecero hoc. *P.* ineptis. *D.* sine modo.
P. Postremo tecum nihil rei nobis Demipho est:
Tuus est damnatus gnatus, non tu: nam tua
Præterierat jam ad ducendum ætas. *D.* omnia hæc
Illum putato, quæ ego nunc dico, dicere:
Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.
G. Iratus est. *P.* tute idem feceris melius.
D. Itane es paratus facere me adversum omnia?
Infelix! *P.* metuit hic nos, tametsi se sedulo
Dissimulat. *G.* bene habent tibi principia. *P.* quin, quod est
Ferendum, feras: tuis factis dignum feceris,
Ut amici inter nos simus. *D.* egone tuam expetam

mo, ne quid illa flagitii committat, si maneat innupta? Tu hanc legem utilissimam vis evertere.

Unde? Subaudi, cognati & proximi sumus.

Actum ne agas. Rem judicatam nefas est iterum ad judices deferre.

Perfecero. Ad extremum persequutus fuero, donec istas nuptias dirimam.

Ad ducendum. Senior eras quam ut ducere Phanium posses.

Illum. Meum filium.

Aut quidem... Aut si non mecum eadem dicit, sentitque, si mihi repugnat...

Tute idem... Tu potius ac rectius domo exeas, quam filium ejicias. *Donat.* Alii sic efferunt; *tute id?* tune id facias, prohibeas domo filium? *melius feceris*; non id facies, rectius tibi & illi consules. Potest eodem sensu explicari locus nulla re immutata, *tute idem*, tu ipse rem eamdem *melius feceris*, postea melius constitues, de hac re melius, ubi serio cogitaveris, statues.

Metuit nos. Hoc Getæ Phormio dicit clanculum.

Tuis dignum factis feceris. Feceris id quod te decet.

Hoc

Amicitiam? aut te visum, aut auditum velim?
P. Si concordabis cum illa, habebis, quæ tuam
D. Te oblectet, tibi habe. *P.* minue vero iram.
D. hoc age:
Satis jam verborum est: nisi tu properes mulierem
Abducere, ego illam ejiciam: dixi Phormio.
P. Si tu illam attigeris, secus quam dignum est liberam;
Dicam impingam tibi grandem: dixi Demipho.
Si quid opus fuerit, heus, domo me ... *D.* intelligo.

Hoc age. Animum adverte iis, quæ sum dicturus.
Dicam. Litem intendam.
Dixi. Hoc mihi certum ac deliberatum est. Sic erit.
Si quid... Hoc dicit ad Getam conversus.
Domo me. Subaudi, accersis, evocabis.

SCENA TERTIA.

DEMIPHO, HEGIO, CRATINUS, CRITO, GETA.

Advocatus Demipho amicos consulit super filii conjugio, & eorum responsis incertior quam antea redditur.

D. QUanta me cura, & sollicitudine afficit Gnatus, qui me, & se hisce impedivit nuptiis!
Neque mihi in conspectum prodit, ut saltem sciam,
Quid de hac re dicat, quidve sit sententiæ.
Abi tu, vise redieritne jam, an nondum, domum.

Th. Getam alloquitur.

Cra-

G. Eo. *D.* videtis quo in loco res hæc siet;
Quid ago? dic Hegio. *H.* ego? Cratinum censeo,
Si tibi videtur. *D.* dic Cratine. *CRA.* mene vis?
D. Te. *CRA.* ego quæ in rem tuam sint, ea velim facias: mihi
Sic hoc videtur: quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum, æquum est & bonum,
Et id impetrabis: dixi. *D.* dic nunc Hegio.
H. Ego sedulo hunc dixisse credo; verum ita est,
Quot homines, tot sententiæ, suus cuique mos.
Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse, & turpe inceptu est. *D.* die Grito.
CRI. Ego amplius deliberandum censeo:
Res magna est. *H.* nunquid nos vis? *D.* fecistis probe.
Incertior sum multo, quam dudum. *G.* venimus
Rediisse. *D.* frater est expectandus mihi is
Quod mihi dederit de hac re consilium, id exequar.
Percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.
G. At ego Antiphonem quæram, ut quæ acta hic sunt, sciat.

Cratinum censeo. Subaudi, priorem dicere, prius a te interrogandum.

Restituit in integrum. Rescindi, & in eum reponi statum, in quo erant antequam fierent, infecta & irrita declarari.

Dixi. Hæc mea sententia est.

Sedulo. Benevole, ità, ut sentiebat.

Incepta. actu. Turpe est factum, consilium.

Nos vis. An aliud a nobis postulas?

Quod. quandonam rediturus sit.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

ANTIPHO, GETA.

Antipho, quid actum a patre fuerat, e Geta cognoscit.

A. ENnimvero Antipho multis modis cum ist hoc anime es vituperandus?
Itane hunc abiisse, & vitam tuam tutandam aliis dedisse?
Alios tuam rem credidisti magis, quam te, animadversuros?
Nam, ut ut erant alia, illi certe, quæ nunc domi tuæ est, consuleres,
Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali,
Cujus nunc misera spes, opesque sunt in te uno omnes sitæ.
G. Equidem, here, nos jam dudum hic te absentem incusamus, qui abieris.
A. Te ipsum quærebam. *G.* sed ea caussa nihilo magis defecimus.
A. Loquere, obsecro, quonam in loco sunt res, & fortunæ meæ?
Nunquid patri subolet? *G.* nihil etiam. *A.* Ecquid spei porro est? *G.* nescio. *A.* ah.

Vitam . . . Tuam caussam Phormioni defendendam dedisse.

Animadversuros, Curaturos.

Ut ut erant alia. Quidquid de aliis rebus futurum esset, quidq id evenire tibi mali aut aliis potuisset.

Illi. Phanio.

Sed ea caussa, &c. Et quod abesses, non fuimus in agenda caussa segniores.

Subolet. In suspicionem venit, subodoratur nempe me cum Phormione concordare.

Nisi.

G. Niſi Phædria haud ceſſavit pro te eniti. A. nihil fecit novi?
G. Tum Phormio itidem in hac re, ut in aliis, ſtrenuum hominem præbuit.
A. Quid is fecit? G. confutavit verbis admodum iratum patrem.
A. Eu Phormio. G. ego quod potui porro. A. mi Geta, omnes vos amo.
G. Sic habent principia ſeſe, ut dico: adhuc tranquilla res eſt:
Manſuruſque patruum pater eſt, dum huc adveniat. A. quid eum? G. ut ajebat,
De ejus conſilio velle ſeſe facere, quod ad hanc rem attinet.
A. Quantus metus eſt mihi, venire huc ſalvum nunc patruum, Geta?
Nam per ejus unam (ut audio), aut vivam, aut moriar, ſententiam.
G. Phædria tibi adeſt. A. ubinam? G. eccum ab ſua palæſtra exit foras.

Niſi. Niſi quod, hoc unum ſcio Phædriam non ceſſaſſe.
Novi. Solet enim ubique mecum fatere.
Præbuit. Strenue tuam cauſſam egit.
Eu Phormio. εὖ, præclare feciſti. Hæc vocula εὖ, a Græcis ſumpta ſignificat. Euge, belle, commode.
Porro. Subaudi, feci.
Manſurus. Expectaturus.
Quid eum? Propter quid eum expectaturus eſt? quid eum vult?
Palæſtra. E ludo ubi cum citharistria verſari ſolet. Vide act. 2. ſc. 2.

SCENA SECUNDA.

PHÆDRIA, DORIO, ANTIPHO, GETA.

Phædria mercatorem orat, ut venditam militi citharistriam non tam cito illi abducendam tradat, se intra triduum nummos præ illa numeraturum.

P. DOrio, audi obsecro. *D.* non audio. *P.* parumper. *D.* quin omitte me.

P. Audi, quod dicam. *D.* at enim tædet jam audire eadem millies.

P. At nunc dicam, quod lubenter audias. *D.* loquere, audio.

P. Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? quo nunc abis?

D. Mirabar, si tu mihi quidquam afferres novi.

A Hei, metuo Dorionem, ne quid suo sunt capiti. *G.* idem ego metuo.

P. Non mihi credis? *D.* hariolare. *P.* sin fidem do? *D* fabulæ.

P. Fœneratum isthuc beneficium tibi pulchre dices. *D.* logi.

P. Crede mihi, gaudebis facto; verum hercle hoc est. *D.* somnium.

P. Experire, non est longum. *D.* Cantilenam eamdem canis.

P. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu *D.* garri modo.

Maneas. Expectes, non tradas militi Pamphilam abducendam.

Suo fuat capiti. Aliquid doli struat ac machinetur in summum exitum & periculum.

Hariolare Fata & inepta more hariolorum, seu divinorum jactas.

Fœneratum. Magno cum fœnore redditum, me conduplicaturum.

Logi. Græca vox, idem sonans ac fabulæ, mera verba das.

Non est longum. Diu non

P. Adeone ingenio te esse duro, atque inexorabili,
Ut neque misericordia, neque precibus molliri queas?
D. Adeone te esse incogitantem, atque imprudentem, Phædria,
Ut phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratis?
A. Miseritum est. **P.** hui! veris vincor. **G.** quam uterque est similis sui.
P. Neque Antipho alia cum occupatus esset sollicitudine,
Tum hoc esse mihi objectum malum! **A.** ah, quid istuc autem est, Phædria?
P. O fortunatissime Antipho. **A.** ego ne? **P.** cui, quod amas, domi est.
Nec cum hujusmodi unquam usuvenit ut conflictares malo.

non expectabis.

Phaleratis. Speciosis promissis, verborum fuco & pigmentis. *Phalera* sunt proprie equorum ornamenta.

Meam. Mulierem a me pretio emptam.

Ductes. Ducas uxorem.

Gratis. Gratis: inemptam.

Miseritum est. Miseret me Phædriæ.

Veris vincor. Vera dicit Dorio; nempe me verba dare.

Similis, &c. Quam uterque sibi consentit ipsi; mores suos habet; nam Dorio avarus & lucri tenax; Phædria in petendo & promittendo semper idem est, nimirum largus & constans.

Neque alia. Mene non potius fuisse isto implicatum negotio eo tempore quo Antipho alia quapiam levi sollicitudine distractus esset, & non hac gravissima, de nuptiis suis scilicet: ita *Donat.* Legunt alii, *atque alia*, hoc sensu: mene tam infelicem fuisse ut in eam inciderem calamitatem cum alia, id-est, sua quoque sollicitudine Antipho distineretur! qui si vacuus & otiosus esset, mihi facilius opem ferret.

Usuvenit. Contigit.

Conflictares. Depugnares.

Malo. Homine improbo, qualis est Dorio: vel, negotio & sollicitudine.

A. Mihine domi est? immo, quod ajunt, auribus teneo lupum:
Nam neque, quo amittam, a me invenio: neque, uti retineam, scio.
D. Ipsum isthuc mihi in hoc est. *A.* eja, ne parum duras fies.
Nunquid hic confecit? *P.* hiccine? quod homo inhumanissimus:
Pamphilam meam vendidit. *G.* quid? vendidit? *A.* ain' vendidit?
P. Vendidit. *D.* quam indignum facinus, ancillam ære emptam suo.
P. Nequeo exorare, ut maneat, & cum illo ut mutet fidem,
Triduum hoc, dum id, quod est promissum ab amicis, argentum aufero.

Auribus tenue lupum. Convenit in eos hoc proverbium, qui rem aliquam habent, quam neque velint dimittere, neque retinere possint. Lupum si quis teneat, vix retinere potest; habet enim aurem brevissimam, & perquam agilis ac volubilis est: nec tamen vult dimittere, quia sine periculo bellua tam ferox dimitti nequit.

Ipsum isthuc, &c. Idem illud mihi contigit in hoc negotio, vel in hoc Phædria, idest, cum Phædria, ut tu dicis te nescire quomodo retineas Phanium; ita ego nescio quo pacto retineam Pamphilam, quam mihi vult eripere Phædria, & ego retinere quidem velim, at vix possum tamen, ita me ille urget.

Ne parum... Dictum ironice; non te pudet tam durum esse: hoc dicit Dorioni: tum conversus ad Phædriam, ait: *Quid hic*, nempe Dorio, *confecit?* quid molitus est sceleris? hiccine, respondet Phædria, quærisne quid hic fecerit? fecit quod faceret homo inhumanissimus.

Quam indignum, &c. Ironia: enimvero scelus hoc est, si quis ancillam vendiderit, quam pecunia sua emerit?

Maneat. Expectet.

Cum illo. Milite, cui Dorio promiserat se venditurum Pamphilam, videns Phædriam pecunia carere. Mutare fidem cum aliquo, est eum fallere, non stare promissis; proprie vero hic, est pactionem rescindere: ut dicat militi, se nolle amplius ipsi vendere Pamphilam.

Triduum hoc. Per istos tres dies.

Aufero. Obtineo.

Ne

Si non tum dedero, unam præterea horam ne operatus ſies.

D. Obtundis: *A.* haud longum eſt id quod orat, Dorio; exoret, ſine.

Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.

D. Verba iſthæc ſunt. *A.* Pamphilamne hac urbe privari ſines?

Tum præterea horunc' amorem diſtrahi poterin' pati?

D. Neque ego, neque tu. *G.* Di tibi omnes id quod eſt dignum duint.

D. Ego te complures adverſum ingenium meum menſes tuli

Pollicitantem, & nihil ferentem, flentem: nunc contra omnia hæc,

Reperi, qui det, neque lacrumet: da locum melioribus.

A. Certe hercle, ſi ſatis commemini, tibi quidem olim eſt dies,

Quam ad dares huic, præſtituta. *P.* factum. *D.* num ego iſthuc nego?

Ne operatus ſies. Ne expectaveris. *Operior*, eſt, expecto.

Obtundis. Fictis promiſſis aures meas fruſtra verberas.

Exoret. Impetret.

Conduplicaverit. Beneficium hoc tibi reddet cum fœnore, alterum tantum reponet.

Horunc'. Horum hunc.

Poterin'? Poteriſne?

Neque ego. Dixerat Antipho: an patieris illo a ſe invicem diſtrahi? reſpondet ironice Dorio: ego vero id non patiar, emoriar præ dolore, itemque tu: ob eam reſponſionem illi Geta male precatur.

Quod eſt dignum. Subaudi, tibi dari.

Duint. Antique, pro dent.

Adverſum. Contra meam indolem & conſuetudinem.

Nunc contra... Nunc pro iſtis promiſſis & fletibus tuis reperi argentum.

Da locum. Cede ditiori, patere ut qui præſentem numerat pecuniam, tibi præferatur.

Olim. Paullo ante: alias.

Quam ad. Ad quem diem.

Dares. Pamphilam.

Huic. Phædriæ.

Factum. Ita eſt. Verum dicis.

A. Jamne ea præteriit? *D.* non, verum ei hæc anteceſſit. *A.* non pudet
Vanitatis? *D.* minime, dum ob rem. *G.* ſterquilinium. *P.* Dorio,
Itane tandem facere oportet? *D.* ſic ſum: ſi placeo utere.
A. Siccine hunc decipis? *D.* immo enim vero Antipho hic me decipit:
Nam hic me hujuſmodi ſciebat eſſe: ego hunc eſſe aliter, credidi,
Is me fefellit, ego iſti nihilo ſum aliter, ac fui.
Sed ut ut hæc ſunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi.
Miles ſe dare dixit; ſi mihi prior tu attuleris, Phædria,
Mea lege utar, ut prior ſit, qui prior ad dandum eſt. Vale.

Ei. Diei cum Phædria conſtitutæ.

Hæc. Qua emptorem cum præſenti pecunia reperit.

Antecſſit. Prius advenit: potior fuit.

Vanitatis. Vanæ & joculariæ reſponſionis, falſitatis, perfidiæ.

Ob rem. Ob lucrum, ſubaudi, fallam, mihi conſulam.

Sterquilinium. Homo impuriſſime!

Utere. Utere mea opera.

Hujuſmodi. Tali indole: lucri, quam fidei tenaciorem.

Ego iſtis, &c. Nullam illi cauſſam dedi, cur me alium putaret eſſe, ac revera ſum.

Hunc eſſe aliter. Alium eſſe, daturum pecuniam.

Ut ut hæc ſunt. Sed hæc ſane omittamus: ſint iſta ut voles.

Hoc. Quod ſum dicturus.

Dare. Daturum.

Lege. Conſuetudine & indole, quæ mihi una lex eſt.

SCENA TERTIA.

PHÆDRIA, ANTIPHO, GETA.

Orant Getam adolescentes, ut argentum Dorioni dandum alicunde tandem expiscetur.

P. QUid faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inveniam miser,
Cui minus nihilo est? quod, si hic potuisset nunc exorarier
Triduum hoc, promissum fuerat. *A.* itane hunc paliemur, Geta,
Fieri miserum, qui me dudum, ut dixti, adjuverit comiter?
Quin, cum opus est, beneficium rursum ei experimur reddere?
G. Scio equidem hoc esse æquum. *A.* age ergo, solus servare hunc potes.
G. Quid faciam? *A.* invenias argentum. *G.* cupio: sed id unde, edoce.
A. Pater adest hic. *G.* scio: sed quid tum? *A.* ah, dictum sapienti sat est.
G. Itane? *A.* ita. *G.* sane hercle pulchre suades etiam tu hinc abis?
Non triumpho, ex nuptiis tuis si nihil nanciscor mali,
Ni etiam nunc me hujus caussa quærere in malo jubeas crucem.

Triduum hoc. Ut expectaret per hoc triduum, argentum mihi ab amicis promissum fuerat.

Pater adest. A quo scilicet emungas.

Etiam tu ... Quin tune hinc abis? faceste procul cum isto tuo pulchro consilio: vel, subaudi, abis in malam rem & cruciatum; quod servus tamen modeste reticuit.

Non triumpho. Non belle mecum agitur.

Ni etiam, &c. Ordo est. Nisi etiam hujus caussa quæram crucem, ideſt, ultimum supplicium, *in malo*, ideſt, præter alia tot leviora mala

A. Verum hic dicit: *P.* quid? ego vobis Geta alienus sum? *G.* haud puto.
Sed parum ne est, quod omnibus nunc nobis succenset senex,
Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci?
P. Alius ab oculis meis illam in ignotum hinc abducet locum? hem,
Tum igitur, dum licet, dumque adsum, loquimini mecum, Antipho,
Contemplamini me. *A.* quamobrem? aut quidnam facturus? cedo.
P. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi,
Aut perire. *G.* Dì bene vertant, quod agas: pedetentim tamen.
A. Vide, si quid opis potes afferre hic. *G.* si quid? *A.* quære obsecro,
Nequid plus minusve faxit, quod nos post pigeat, Geta.
G. Quæro: salvus est, ut opinor: verum enim metuo malum.
A. Nola metuere, una tecum bona, malaque tolerabimus.

quæ partim imminent, partim jam premunt: vix effugere potero leviores pœnas, ob tuas, o Antipho, nuptias, an vis, ut in gravissimum etiam periculum me ultro conjiciam propter Phædriam?

Alienus. Hospes, ignotus, aspernandus.

Instigemus. Ad iracundiam concitemus, ita ut nulla supersit nobis ratio ejus placandi precibus nostris, cum erit opus.

Dum adsum. Extremum enim est, quod me videtis, quod vos alloquor.

Persequi. Illam usque sequi.

Dì, &c. Hoc ironice dicit: age sane, ito bona alite.

Pedetentim. . . . Cave ne quid agas præcipitanter & inconsiderate: lente festina.

Ne plus &c. Ne Phædria aliquid inconsiderate & per impotentiam faciat, cujus nos postea pœniteat. *Plus*, si, verbi gratia, se ferro interimat, *minus*, si se inedia confici patiatur.

Salvus. Inveni, inquit Geta, modum quo illum servem.

Malum. Ne quid ex ea re in

G. Quantum opus eſt tibi argenti? loquere.
P. ſolæ triginta minæ,
G. Triginta? hui, percara eſt, Phædria. *P.* iſthæc vero vilis eſt.
G. Age, age, inventas reddam. *P.* o lepidum caput!
G. Aufer te hinc. *P.* jam opus eſt. *G.* jam feres:
Sed opus eſt mihi Phormionem ad hanc rem adjutorem dari.
A. Præſto eſt: audaciſſime oneris quid vis impone, & feret;
Solus eſt homo amico amicus. *G.* eamus ergo ad eum ocyus.
P. Abi: dic, præſto ut ſit domi.
A. Nunquid eſt, quod opera mea vobis opus ſit? *G.* nihil; verum abi domum.
Et illam miſeram, quam ego nunc intus ſcio eſſe exanimatam metu,
Conſolare: ceſſas? *A.* nihil eſt, æque quod faciam lubens.
P. Qua via iſthuc facies? *G.* dicam in itinere, modo te hinc amove.

in me recidat mali & calamitatis.

Triginta minæ. Vide ſcenam 2. actus 2. ubi explicatum eſt quid ſit Mina.

Percara eſt. Phanium.

Vilis. Immo vero vili pretio venditur, tametſi tam caro vendatur, quæ ſcilicet multo eſt carior, neque ſatis magno emi poteſt.

Inventas reddam. Idem eſt ac inveniam: ſic *effectum dabo*, pro efficiam.

Jam opus eſt. Nunc indigeo iſta pecunia.

Feres. Habebis, dabitur a

Illam. Phanium.

Iſthuc facies. Pecuniam invenies.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

DEMIPHO, CHREMES.

Chremes narrat fratri de suo in Lemnum itinere, & ab eo vicissim de clandestinis Antiphonis nuptiis audit.

D. QUid? qua profectus caussa hinc es Lemnum, Chremes?
Adduxtine tecum filium? C. non. D. quid ita, non?
C. Postquam videt me ejus mater esse hic diutius,
Simul autem non manebat ætas virginis
Meam negligentiam: ipsam cum omni familia
Ad me profectam esse ajebant. D. quid illic tamdiu.
Quæso igitur commorabare, ubi id audiveras?
C. Pol me detinuit morbus. D. unde? aut qui? C. rogas, Chreme?
Senectus ipsa est morbus: sed veniſse eas
Salvas audivi ex nauta, qui illas vexerat.
D. Quid gnato obtigerit me absente, audistin', Chremes?
C. Quod quidem me factum, consili incertum facit:

Qua caussa, &c. Quæ caussa itineris tui in Lemnum fuit: nempe ut Phanium, tuam e Lemnia uxore filiam huc Athenas adduceres?

Ejus. Phanii.

Hic. Ubi eram, nempe Athenis, vel, in itinere.

Manebat. Patiebatur ætas nubilis virginis, Phanii scilicet: ætas grandior quam ut me in itinere cunctantem diutius ipsa expectaret in Lemno.

Ad me. Athenas e Lemno.

Illic. Lemni.

Pol. Per Pollucem.

Quod quidem. Audivi sane;

Num hanc conditionem si cui tulero extraneo,
Quo pacto, aut unde mihi sit, dicendum ordine est.
Te mihi fidelem esse æque, atque egomet sum mihi,
Scibam: ille si me alienus affinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas,
Sin spreverit me; plus, quam opus est scito, sciet;
Vereorque, ne uxor aliqua hoc resciscat mea.
Quod si sit, uti me excutiam, atque egrediar domo.
Id restat: nam ego meorum solus sum meus.
D. Scio ita esse, & isthæc mihi res sollicitudini est:
Neque defetiscar usque adeo ego experirier,
Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

ne; & istud factum, istæ nuptiæ me incertum consilii faciunt, idest, dubium quid capiam consilii.

Hanc conditionem. Has nuptias, meam filiam: ea vox, conditio, sæpe usurpatur pro matrimonio puellæ. Ita Livius *conditionem filiæ quærit*, id est, virum: & Plaut. *Inveni conditionem filio*, id est uxorem: quia nuptiæ certis pactionibus & conditionibus adhibitis peraguntur.

Extraneo. Si meam filiam homini alicui non propinquo uxorem do.

Unde. Ex qua matre susceptæ sit.

Affinem volet. Si meam filiam ducere volet, eaque ratione mihi affinis esse, & me sibi.

Tacebit. De meo Lemni matrimonio, quod occultum est, nihil dicet tamdiu, dum amici erimus: sin autem interceserit aliquid cur me spernat, mihi offensus sit, tum plus sciet de rebus meis, quam expediet mihi eum scire.

Uxor. Naufistrata.

Aliqua. Subaudi, via, ratione.

Excutiam. Ut vasa & sarcinas colligam. Legitur etiam, *excutiat*, id est ejiciat.

Meorum. Inter meos domesticos & affines, nemo mihi fidus & amicus est pater me ipsum.

Defetiscar. Defatigabor, fatiscam, cessabo.

Experirier. Omnia tentare.

Id. Nuptias tuæ filiæ cum filio meo.

SCENA SECUNDA.

GETA.

Geta quid egerit cum Phormione, narrare incipit.

G. EGÒ hominem callidiorem vidi neminem,
Quam Phormionem: venio ad hominem, ut dicerem
Argento opus esse, & id quo pacto fieret:
Vix dum dimidiam dixeram, intellexerat;
Gaudebat, me laudabat, quærebat senem,
Diis gratias agebat, tempus sibi dari;
Ubi Phædriæ se ostenderet nihilo minus
Amicum esse, quam Antiphoni: hominem ad forum
Jussi opperiri; eo me esse adducturum senem.
Sed eccum ipsum: quis est alterior? at at Phædriæ
Pater venit? quid pertimui autem bellua?
An quia, quos fallam, pro uno, duo sunt mihi dati?
Commodius esse opinor duplici spe utier.
Petam hinc, unde a primo institui; is si dat, sat est:
Si ab hoc nihil fiet, tum hunc adoriar hospitem.

Senem. Demiphonem.
Ulterior. Demiphonis comes; quis ultra, præter illum; remotior? Ah video, est Chremes, pater Phædriæ.
Duplici spe. Habere duos, unde speraré possim me pecuniam ablaturum.
Hinc. A Demiphone.
A primo. Ab initio.
Institui. Incepi.
Fiat. Detur, extorqueatur.
Hunc. Chremem, recens e Lemno advectum.

SCENA TERTIA.

ANTIPHO, GETA, CHREMES, DEMIPHO.

Geta emungit argento senes, & eos mire ludit.

A. EXpecto, quam mox recipiat huc sese Geta.
Sed patruum cum patre video adstantem: hei mihi,
Quam timeo, adventus hujus quo impellat patrem.
G. Adibo hosce: o noster Chremes! *C.* salve Getæ.
G. Venire salvum volupe est. *C.* credo. *G.* quid agitur?
G. Multæ advenienti, ut fit, nova hic compluria,
G. Ita, de Antiphone audistin' quæ facta? *C.* omnia,
G. Tun' dixeras huic? facinus indignum, Chreme,
Sic circumiri? *D.* cum hoc id agebam commodum.
G. Nam hercle ego quoque id quidem mecum agitans sedulo
Inveni, opinor, remedium huic rei. *D.* quid, Geta?

Hujus. Chremetis. Hoc dicit clam & a nemine eorum, qui sunt in scena, visus ac auditus.

Volupe. Gratum, jucundum. Vox vetus, quæ & adverbii ritu etiam ponitur.

Multa. Subaudi, se obtulere; dicta mihi sunt.

Tun' dixeras. Nonne tu discedens hoc illi prædixeras, futurum ut ab aliquo scelerato deciperetur? laudat servi s nequam prudentiam senis.

Circumiri. Decipi.

Cum hoc. Cum Chremete.

Commodum. Illo ipso tem-

Quod remedium? G. ut abii abs te, fit forte obviam
Mihi Phormio. C. qui Phormio? G. is, qui iſtam..... C. ſcio.
G. Viſum eſt mihi, ut ejus tentarem ſententiam:
Prehendo hominem ſolum: cur non, inquam, Phormio;
Vides, inter vos ſic hæc potius cum bona
Ut componantur gratia, quam cum mala?
Herus liberalis eſt, & fugitans litium:
Nam ceteri quidem hercle amici omnes modo
Uno ore auctores fuere, ut præcipitem hanc daret.
A. Quid hic cœptat, aut quod evadet hodie? G. an legibus
Daturum pœnas, dices, ſi illam ejecerit?
Jam id exploratum eſt: eja, ſudabis ſatis,
Si cum illo inceptas homine; ex eloquentia eſt.
Verum pone eſſe victum eum; at tandem tamen
Non capitis ejus res agitur, ſed pecuniæ.
Poſtquam hominem his verbis ſentio mollirier,

tempore quo aceeſſiſti, ea de re cum fratre dicere incipiebam.

Qui iſtam. Subaudi, uxorem obtruſit tuo filio; qui eam illi cognatam eſſe apud judices contendit.

Sententiam. Mentem ſcrutarer.

Solum. Seorſum ab aliis.

Uno ore. Uno conſenſu.

Præcipitem..... E domo ejiceret.

Quod evadet. Quis futurus eſt illius ſermonis & conſilii exitus: dicit hæc remotus & voce ſubmiſſa.

An legibus. An dices Demiphonem legibus, & judicum ſententia condemnatum iri, ſi Phanium domo ſua ejecerit?

Jam id exploratum eſt. Primo id certum eſt, re ſudaturum, ſi litem cum illo inceptas, tanta eſt eloquentia, adeoque laborabis ſatis ut eum vincas licendo.

Pone. Fac, eſto, cauſſam obtineas.

Non capitis. Non agitur de vita Demiphonis, non venit ipſe in periculum, ſed tantum ejus pecunia.

Res. Cauſſa, lis.

Hæc.

Soli ſumus nunc hic, inquam, eho dic quid velis dari
Tibi in manum, ut herus his deſiſtat litibus,
Hæc hinc faceſſat, tu moleſtus ne ſies?
A. Satin' illi Dii ſunt propitii? *G.* nam ſat ſcio,
Si tu aliquam partem æqui bonique dixeris,
Ut eſt ille bonus vir, tria non commutabitis
Verba hodie inter vos. *D.* quis te iſthæc juſſit loqui?
C. Immo non potuit melius pervenirier
Eo, quo nos volumus. *A.* occidi. *C.* perge eloqui.
G. Ac primo homo inſanibat. *C.* cedo, quid poſtulat?
G. Quid: nimium: quantum libuit. *C.* dic. *G.* ſi quis daret
Talentum magnum. *C.* immo malum hercle: ut nihil pudet
G. Quod dixi adeo ei: quæſo, quid ſi filiam
Suam unicam locaret? parvi retulit
Non ſuſcepiſſe? inventa eſt, quæ dotem petat.

Hæc. Phanium.

Hinc. E domo Demiphonis; ut non cogatur Antiphoni nubere.

Satin'... An ſatis ille ſapit, qui a me divellendam Phanium dicat, idque moliatur. Quibus bene precabantur, ſic Deos propitios optabant; contra vero iratos, quibus male.

Æqui boni. Æquitatis; ſi quid tantiſper æquum, ac juſtum petieris.

Tria. Non litigabitis, non reponetis alter alteri tria verba, ſed uno verbo res tota componetur, ubi fuerit propoſita.

Eo. Ut Phanium diſcederet ab Antiphone & ſejungeretur.

Inſanibat. Pro inſaniebat, id eſt, inſanum & immenſum pretium poſtulabat.

Talentum magnum. Valebat libras Turon. 2400. minas 80. erat aliud minus, lib. Turon. 1800. minarum, 60. Vide Martialem a nobis illuſtratum, in Laterculo ſeſtertiorum, poſito ad libri calcem.

Malum: Subaudi, daret: illi rectius & potius aliquod malum, ideſt, gravioris aliquid incommodi dederit quam talentum.

Quod dixi.... Ego vero idem illi reſpondi, quod tu nunc merito dicis.

Quæſo, &c. Ita illum ſum allocutus, o Phormio, quid

Ut ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias,
Hæc denique ejus fuit postrema oratio:
Ego, inquit, a principio amici filiam,
Ita ut æquum fuerat, volui uxorem ducere:
Nam mihi veniebat in mentem ejus incommodum,
In servitutem pauperem ad ditem dari:
Sed mihi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,
Aliquantulum quæ afferret, qui dissolverem,
Quæ debeo: etiam nunc, si vult Demipho
Dare, quantum ab hac accipio, quæ sponsa est mihi,
Nullam mihi malim; quam isthanc, uxorem dari:
A. Utrum stultitia facere ego hunc, an malitia
Dicam, scientem, an imprudentem, incertus sum:
D. Quid, si animam debet? G. ager oppositus est pignori.

quid majus daret Demipho? quam aliam major ei dotem daret, si filiam suam unicam in matrimonium collocaret? certe nullam; ergo nihil i. si prodest quod nullam filiam ex se natam habeat, si quidem pro peregrina & ignota mulier tantam ab ipso dotem petis, quantam pro filia via daret.

Ut ad pauca. Ut præcidam, ut ne pluram dicam.

Ineptias. Quam inepte multa alia petierit.

Amici filiam. Hanc Phanium.

Incommodum. Nempe quod in servitutem danda foret, si nuberet diviti.

In servitutem . . . Ego, inquit, libenter Phanium uxorem mihi sumpsissem, neque illam, pauper cum sit, homini diviti collocassem, siquidem uxores pauperes divitum virorum ancillæ potius sunt quam uxores; sed quærebam uxorem quæ aliquid pecuniæ mihi afferret, ut æs alienum meum dissolverem.

Fabuler. Loquar, rem totam expliceam.

Ab hac. Ab altera muliere quæ mihi desponsa est seu promissa.

Isthanc. Phanium.

Hunc. Getam. Clanculum hoc dicit.

Animam debet. Animam debere dicitur qui alieno ære oppressus est, ac denique se ipsum debet. Erat enim lex apud antiquos, ut, qui solvendo non esset, is addiceretur ac dederetur creditori, ut se ipso, anima sua, id est opera, & labore solveret quod ære non posset.

Oppositus est pignori. Oppignoratus est, opponere.

Ob decem minas, inquit. *G.* age, age, jam ducat, dabo.
G. Ædiculæ item sunt ob decem alias. *D.* ohi, hui.
Nimium est. *C.* ne clama: petito hasce a me decem.
G. Uxori emunda ancillula est, tum autem pluscula
Supellectilis opus est, opus est sumpto ad nuptias:
His rebus pone sane, inquit, decem minas.
D. Sexcentas proin potius scribito jam mihi dicas:
Nihil do: impuratus me ille ut etiam irrideat?
C. Quæso, ego dabo, quiesce: tu modo, filius
Fac ut illam ducat, nos quam volumus. *A.* hei mihi
Geta, occidisti me tuis fallaciis.
C. Mea caussa ejicitur, ne hoc æquum est amittere.
G. Quantum potes, me certiorem, inquit, face:
Si illam dant, hanc ut mittam, ne incertus siem:
Nam illi mihi dotem jam constituerunt dare.
G. Jam accipiet: illis repudium renuntiet;
Hanc ducat. *D.* quæ quidem illi res vertat male.

re interdum significat deponere, hoc est contra alium provocantem, pignus ponere.

Decem minas. Vide Act. 2. sc. 2.

Ducat. Phanium ipsi nubat.

Sunt. Oppignoratæ.

His rebus. Ad ea omnia comparanda.

Pone. Numera, solve.

Dicas. Lites. Malo sexcentas lites intendat mihi Phormio, &c.

Illam quam volumus. Tuam filiam, eam esse Phanium nondum sciebant.

Mea caussa ejicitur. Nempe ut mea filia tuo Antiphoni nubat.

Quantum potes. Quam fieri citissime potest.

Illam. Phanium.

Hanc. Quæ mihi desponsa est.

Accipiet. Minas 30.

Illis, &c. Dicat illis quorum filia est ipsi promissa,

sc

G. Opportune adeo nunc argentum mecum attuli,
Fructum, quem Lemni uxoris reddunt prædia;
Id sumam: uxori, tibi opus esse; dixero.

se ipsam repudiare, aliam hanc ducere, nempe Phanium.

Uxori. Naufistratæ dicam illi, te egere hac pecunia: Ambo domum abeunt quæsitum hanc pecuniam.

SCENA QUARTA.

ANTIPHO, GETA.

Objurgat Getam Antipho, cujus dolis ereptam sibi Phanium putabat, sed ab eo de re tota sutior fit.

A. GEta. *G.* hem. *A.* quid egisti? *G.* emunxi argento senes.
A. Satin'id est? *G.* nescio hercle: tantum jussum sum.
A. Eho, verbero, aliud mihi respondes, ac rogo?
G. Quid ergo narras? *A.* quid ego na rem? opera tua
Ad restim mihi quidem res rediit planissime:

Satin' id est? An hoc tantum curatum a te oportuit, nonne istud quoque, ut ne Phanium amitterem? Geta putavit id petere Antiphonem, an satis esset summa ista pecuniæ, an sufficeret ad emendam Phanium; respondet sibi tantum fuisse imperatum, ut hanc inveniret summam non majorem; tantam pecuniam jussus sum reperire quantam reperi.

Verbero. Mastigia, servum verberibus dignum significat.

Ad restim. Restis idem est ac funis, laqueus: sententia est, nihil jam mihi superest aliud, nisi ut abeam & suspendam me.

Ut

Ut te quidem omnes Dii, Deæque, superi, inferi,
Malis exemplis perdant: hem, si quid velit,
Huic mandes, quod quidem recte curatum velis.
Quid minus utile fuit, quam hoc ulcus tangere,
Aut nominare uxorem? injecta est spes patri,
Posse illam extrudi: cedo, nunc porro Phormio
Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum:
Quid fiet? *G.* non enim ducet. *A.* novi: ceterum
Cum argentum repetent, nostra causa scilicet
In nervum potius ibit. *G.* nihil est, Antipho
Quin male narrando possit depravarier.
Tu id, quod boni est, excerpis: dicis, quod mali est.
Audi nunc contra jam, si argentum acceperit,
Ducenda est uxor, ut ais: concedo tibi
Spatium quidem tandem apparandis nuptiis,
Vocandi, sacrificandi dabitur paullulum:
Interea amici, quod polliciti sunt, argentum dabunt?
Id istis reddet. *A.* quamobrem? aut quid dicet? *G.* rogas?

Ut te . . . Subaudi velim, precor.

Malis exemplis. Pœnis gravioribus, quæ ceteris exempla sint & documenta, ne quid itidem ac tu peccent.

Quid minus . . . Quid minus factum oportuit?

Uxor. Phanium ab eo ducenda erit, illi nubet, mihi eripietur?

Quid fiet? Quid me fiet? quonam ista res evadet?

Repetent. Cum pater & patrus repetunt argentum a Phormione, nempe qui Phanium ducere nolit; an ille nostra causa in carcere rapietur, quia solvendo non erit? *nervus* est vinculum quo in carcere fontes vinciebantur; nonne potius rem omnem deteget, nosque in periculum adducet?

Excerpis. Secernis, taces, supprimis.

Spatium. Mora.

Vocandi. Amicos ad epulas.

Amici. Tui, ac Phædriæ.

Dabunt. Phædriæ.

Id. Acceptum a Phædria argentum.

Istis. Chremeti & Demiphoni.

Reddet. Phormio, & ne-

ga-

Quot res? post illa monstra evenerunt mihi
Introiit in ædes ater alienus canis:
Anguis per impluvium decidit de regulis:
Gallina cecinit: interdixit hariolus:
Haruspex vetuit ante brumam aliquid novi
Negotii incipere; quæ caussa est justissima.
Hæc fient. A. ut modo fiant. G. fient: me vide.
Pater exit: abi, dic, esse argentum, Phædriæ.

gabit se posse Phanium jam uxorem ducere.

Quot res? Quam multa poterit dicere?

Post illa. Postquam promisi me ducturum esse Phanium, multa mihi contingere portenta, quibus impedior ne ducam.

Alienus. Ex alia domo.

Impluvium. Locus est apertus & patens in medio ædium, unde lumen deorsum capitur, ita dictus quod eo impluat, quod aqua e tectis eo decidat.

Gallina cecinit. Putabant in qua domo Gallina caneret instar Galli gallinacei, superiorem marito esse uxorem. *Donat.*

Interdixit. Vetuit ne nuptias contraherem.

Hariolus. Quasi fariolus, qui fatur & divinat.

Haruspex. Qui exta victimarum inspicit & contemplatur, victimæ dicebantur haruæ ab hara, id est, stabulo.

Ante brumam, &c. Quod ante brumam dies decrescant, post brumam quæ incipit 21. Decembris, crescere incipiant: erat autem religio apud veteres aliquid aggredi anno senescente, & antequam dies crescere inciperent, hoc irridet Geta dum ait esse caussam hanc justissimam: vel potius hanc maxime caussam probat, ut sit spatium longius ad nuptias istas disturbandas.

Ut modo fiant. Sit ita sane, modo hæc, uti dixisti, fiant.

Esse. Paratum esse. Renuntia Phædriæ inventum esse argentum.

SCE-

SCENA QUINTA.

DEMIPHO, CHREMES, GETA.

Redeunt ſenes cum pecunia quam dant Phormioni.

D. QUietus eſto inquam: ego curabo, ne quid verborum duit.
Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin mihi teſtes adhibeam.
Cui dem, & quamobrem dem, commemorabo, G. ut cautus eſt, ubi nihil opus eſt.
C. Atque ita opus facto eſt: at matura, dum libido eadem hæc manet:
Nam ſi altera illa magis inſtabit, forſitan non reji iat.
G. Rem ipſam putaſti. **D.** duc me ad eum ergo. **G.** non moror. **C.** ubi hoc egeris,
Tranſito ad uxorem, ut conveniat hanc prius, quam hinc abit.
Dicat eam dare nos Phormioni nuptum, nec ſuccenſeat:
Et magis eſſe illum idoneum, qui ipſi ſit familiarior:
Nos noſtro officio nihil egreſſos eſſe; quantum is voluerit,

Ne quid. Ne qua in re nos fallat iſte Phormio.
Duit. Det.
Amittam a me. Abire a me patiar: non dabo argentum niſi caute & prudenter.
Opus eſt facto, Danda omnino hæc pecunia eſt.
Libido. Dum perſtat Phormio in voluntate accipienda Phanii.
Rem ipſam. Rem ita dixiſti, ut eſt.
Hanc. Phanium.
Abit. A nobis ad Phormionem.
Dicat. Uxor mea Phanio; dicat nos eam dare, &c.
Idoneum. Præſtare ut ipſi potius quam Antiphoni nubat.
Familiarior. Utpote Phanii patri notus.
Is. Phormio.

Id.

Datum esse dotis. *D.* quid tua malum id refert? *C.* magni, Demipho.

D. Non sat, tuum te officium fecisse, si non id fama approbat?

C. Volo ipsius quoque voluntate hoc fieri, ne se ejectam prædicet.

D. Idem ego istuc facere possum. *C.* mulier mulieri magis congruet.

D. Rogabo. *C.* ubi nunc illas ego reperire possim, cogito.

Id. Ea dicere Phanio, ita illam solari. *Malum*, adverbi loco ponitur, & est male precantis.

Fama approbat. Nisi id quod facis, recte hominibus quoque probetur ac placeat.

Voluntate. Volo id a Phanio probari, ea non invita istas fieri nuptias.

Idem. Eam consolari tam facile possem quam tua uxor Naufistrata.

Congruet. Hoc fiet convenientius a muliere: mulier mulierem rectius solabitur & admonebit.

Rogabo. Uxorem tuam, id ut faciat.

Illas. Uxorem meam Lemniam, & filiam mihi ex illa natam.

SCENA SEXTA.

SOPHRONA, CHREMES.

Chremes obviam sibi forte Sophronam Phanii nutricem agnoscit: ex eadem intelligit, filiam suam Phanium Antiphoni nuptam esse.

S. Quid agam? quem mihi amicum inveniam misera? aut cui consilio
Hæc referam? aut unde nunc mihi auxilium petam?
Nam vereor, hera ne ob meum suasum indigne injuria afficiatur:

Referam. Communicabo istas Phanii cum Antiphone nuptias.

Hera. Phanium.

Meum suasum. Quæ illi auctor fui ut Antiphoni nuberet.

Injuria. Ne domo Antipho-

Ita patrem adoleſcentis facta hæc tolerare audio violenter.

C. Nam quæ hæc eſt anus exanimata, a fratre quæ egreſſa eſt meo?

S. Quod ut facerem, egeſtas me impulit, cum ſcirem infirmas nuptias

Haſce eſſe, ut id conſulerem, interea vita ut in tuto foret.

C. Certo ædepol (niſi me animus fallit, aut parum oculi proſpiciunt)

Meæ nutricem gnatæ video. *S.* neque ille inveſtigatur.... *C.* quid agam?

S. Qui eſt ejus pater. *C.* adeon', an maneo, dum ea, quæ loquitur, magis cognoſco?

S. Quod ſi eum nunc reperire poſſim; nihil eſt, quod verear. *C.* ea eſt ipſa:

Colloquar. *S.* Quis hic loquitur? *C.* Sophrona. *S.* & meum nomen nominat?

C. Reſpice ad me. *S.* Dii obſecro vos: eſtne hic Stilpho? *C.* non. *S.* negas?

C. Concede hinc a foribus paullulum iſtorſum ſodes Sophrona.

---

tiphonis ejiciatur a Demiphone.

A fratre. Domo Demiphonis.

Infirmas. Non firmas, non manſuras fore, nempe a Demiphone impediendas.

Ut id conſulerem. Subaudi, me Phanii egeſtas impulit.

Vita. Ut ne fame periret: eſt autem hic ordo. Ut hoc facerem, nempe ut auctor eſſem Phanio admittendi Antiphonis, egeſtas me impulit, quamvis ſcirem parum ſtabiles nuptias iſtas fore; conſultum volui illius vitæ & famæ.

Ædepol. Per ædem Pollucis.

Ille. Pater Phanii. Vide argumentum & ſcenam I. Actus I. ibi dicitur profectam eſſe Phanium e Lemno Athenas cum nutrice, ad Chremetem.

Inveſtigatur. Inveſtigando invenitur. Nondum invenire illum hic Athenis potuimus.

Adeon'. An alloquar, adeamque.

Concede. Amove te.

Iſtorſum. Verſus iſtam partem.

Ne me iſthoc poſthac nomine appellaſſis? *S.* quid non is obſecro es,
Quem ſemper te eſſe dictitaſti. *C.* st. *S.* quid has metuis fores?
C. Concluſam hic habeo uxorem ſævam. verum iſthoc me nomine
Eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris
Effutiretis; atque id porro aliqua uxor mea reſciſceret.
S. Iſthoc pol nos te hic invenire miſere nunquam potuimus.
C. Eho dic mihi, quid tibi rei eſt cum familia hac, unde exis?
Aut ubi illæ ſunt? *S.* miſeram me! *C.* hem quid eſt? vivuntne? *S.* vivit gnata.
Matrem ipſam ex ægritudine miſeram mors conſecuta eſt.
C. Male factum. *S.* ego autem, quæ eſſem anus deſerta, egens, ignota,
Ut potui, virginem nuptum locavi huic adoleſcenti,
Harum qui eſt dominus ædium. *C.* Antiphonine? *S.* hem, iſti ipſi.
C. Quid? duaſne is uxores habet? *S.* au' obſecro, unam ille quidem hanc ſolam.
C. Quid illa altera, quæ dicitur cognata? *S.* hæc ergo eſt. *C.* quid ais?

Appellaſſis. Appellaveris.

St. Iſta vocula ſilentium indicit Chremes Sophronæ.

Uxorem. Nauſiſtratam.

Eo. Ideo.

Effutiretis. Ne quid inconſiderate de meis in Lemno nuptiis diceretis & effunderetis; ducta vox a vaſe rimoſo, & futili.

Aliqua. Aliqua via, aliquo pacto.

Iſthoc. Iſto nomine.

Illæ. Phanium & ejus mater.

Quid illa altera? . . . Subaudi, nonne eſt ejus uxor? reſpondet Sophrona eamdem eſſe hanc, quæ cognata dicatur, & hanc, cujus nutrix eadem ipſa Sophrona ſit.

Com-

S. Compoſito factum eſt, quomodo hanc amans habere poſſet
Sine dote. *C.* Dii veſtram fidem, quam ſæpe forte temere
Eveniunt, quæ non audeas optare! offendi adveniens,
Quicum volebam, atque ut volebam, collocatam filiam,
Quod nos ambo opere maximo dabamus ut fieret operam,
Sine noſtra cura maxima, ſua cura hæc ſola fecit.
S. Nunc quid facto eſt opus, vide; pater adoleſcentis venit,
Eumque animo iniquo hoc oppido ferre ajunt. *C.* nihil periculi eſt.
Sed per Deos atque homines meam eſſe hanc, cave reſciſcat quiſquam.
S. Nemo ex me ſcibit. *C.* ſequere me, cetera intus audies.

Compoſito, &c. Ita convenimus inter nos ut ea cognata diceretur Antiphonis, ut eam licet carentem dote, uxorem habere poſſet. *Compoſito* eſt adverbium: ſignificat, de induſtria, communicatis conſiliis.

Hæc. Sophrona ſcilicet.

Pater. Demipho ſcilicet.

Oppido. Valde.

Scibit. Antique pro ſciet. Nemini aperiam Phanium eſſe filiam tuam.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

DEMIPHO, GETA.

Demipho dolet quod emungi se argento passus fuerit, dum esse liberalis ac videri studet.

D. NOstrapte culpa facimus, ut malos expediat esse,
Dum nimium dici nos bonos studemus, & benignos.
Ita fugias, ne præter casam, quod ajunt: nonne id satis erat,
Accipere ab illo injuriam? etiam argentum est ultrò obsectum ei,
Ut sit qui vivat, dum aliquid aliud flagitii conficiat.
G. Planissime. D. his nunc præmium est, qui recta prava faciunt.

Ut malos, &c. Ut aliquibus hominibus expediat esse improbos, ut fructum e sua improbitate & dolo capiant: legunt aliqui *ut malis expediat esse.*

Ne præter casam. Proverbium in eos, qui dum fugiunt unum incommodum, in contrarium, aut gravius currunt: in quo similes sunt homini, qui dum, hoste persequente, fugeret, abiret longius a domo sua; is enim vitaret quidem hostem, sed careret domo & perfugio, domum suam hosti diripendam relinqueret. Sic incusat se Demipho quod ita effugerit avaritiæ reprehensionem, ut prodigus factus sit; ita Phormioni sit obsequutus ut etiam pecuniam suam amiserit, cum ejus audaciam confutare longe facilius potuisset. Potest etiam esse hujus proverbii sententia eadem quæ istis *ne quid nimis*; quod eodem ferme recidit.

Ab illo. Phormione.

Injuriam. Dum ignotam mulierculam pro cognata nobis obtrudit.

Ut sit. Ut suppetat ipsi unde vivat.

His nunc, &c. Id sumus tem-

G. Veriſſime. D. ut ſtultiſſime quidem illi rem geſſerimus.
G. Modo ut hoc conſilio poſſit diſcedi, ut iſtam ducat.
D. Etiamne id dubium eſt? G. haud ſcio hercle, ut homo eſt, an mutet animum.
D. Hem, mutet autem? G. neſcio: verum, ſi forte, dico.
D. Ita faciam, ut frater cenſuit: ut uxorem huc ejus adducam,
Cum iſta ut loquatur. Geta abi: prænuncia hanc venturam.
G. Argentum inventum eſt Phædriæ: de jurgio ſiletur.
Proviſum eſt, ne in præſentia hæc hinc abeat: quid nunc porro,
Quid fiet? in eodem luto hæſitas, vorſuram ſolves;

temporis ut illi donentur præmio, qui ſunt omnium peſſimi, qui recta in prava, virtutes in vitia convertunt.

Ut. Itaque, adeo ut.

Illi. In illius commodum, nempe Phormionis. Forte *illi*, eſt adverbium, id eſt, in eo negotio.

Diſcedi, &c. Si tamen hoc conſilio, nempe data illi pecunia, poſſumus iſto negocio & periculo defungi & facere ut Phormio Phanium ducat.

Ut homo eſt. Prout eſt hominis indoles.

Si forte. Subaudi, mutet: non affirmo, id ajo tantum, quod fieri poteſt.

Uxorem. Nauſiſtratam.

Ejus. Fratris mei ſcilicet.

Iſta. Phanio.

Prænuntia. Phanium præmone futurum ut Nauſiſtrata ipſam conveniat, adeoque illam expectet domi. Hæc ubi dixit Demipho, Nauſiſtratam evocatum it, manet Geta & ſibi partim gratulatur, partim timet.

Phædriæ. Phædriæ inveni argentum, feci ut Phormio non jurgaretur amplius ac litigaret: at quid de re fiet o Geta (ſe alloquitur) nondum e luto (e periculo) emerſiſti, adhuc in eo hæres.

Vorſuram ſolves. Solves tuos dolos & lues cum fœnore: nempe ut ſatisfaceres Dorioni ac præſentem illi pecuniam numerares, fallaciam aliam texuiſti, dum ſimulaſti Phormionem paratum eſſe Phanium ducere: modo illi darentur minæ 30. (vide ſcenam 4.

Geta; præſens quod fuerat malum, in diem abiit plagæ crefcunt,

Niſi proſpicis: nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,

Nequid vereatur Phormionem, aut ejus orationem,

actus 4.) *Verſuram* ii *facere* dicuntur, qui ut æs alienum diſſolvant, æs alienum contrahunt, mutuum ſumunt ab uno creditore, ut alteri ſatisfaciant; quod illi dum faciunt, non ſolvunt debita, ſed creditorem tantum mutant & vertunt, unde *verſuræ* nomen.

In diem abiit. In hunc quidem diem abiit, ſed alio die redibit; ad tempus differtur, non penitus auferetur.

Ejus orationem. Cum dicet ſe velle ipſam ducere: faciam ut hæc omnia ſimulari ſciat.

SCENA SECUNDA.

DEMIPHO, NAUSISTRATA, CHREMES.

Rogat Demipho Nauſiſtratam, ut Phanium adeat ſoleturque: ipſa conqueritur de viro ſuo Chremete, qui ſupeveniens aperit fratri repertam ſibi eſſe filiam.

D. AGedum, ut ſoles, Nauſiſtrata, fac ut illa placetur nobis,

Ut ſua voluntate, id quod eſt faciundum, faciat. N. faciam.

D. Pariter nunc opera me adjuves, ac dudum re opitulata es.

N. Factum volo: ac pol queo minus viri culpa, quam me dignum eſt.

Ut ſoles. Pro ſolita tua ſolertia & humanitate.

Faciat. Ut velit nubere Phormioni.

Opera. Conſilio, verbis: eſt autem, *pariter ac*, æque atque; itidem ut.

Factum volo. Volo ſid quidem facere, ſed minus poſſum quam me dignum eſſem ac vellem, eſtque in cauſſa meus vir Chremes.

Bene

D. Quid autem? N. quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex his prædiis talenta argenti bina
Statim capiebat: hem, vir viro quid præstat? D. bina quæso?
N. Ac rebus vilioribus multo, tamen duo talenta. D. hui!
N. Quid hæc videntur? D. scilicet, N. virum me natam vellem,
Ego ostenderem .... D. certo scio. N. quo pacto.... D. parce sodes,
Ut possis cum illa, ne te adolescens mulier defatiget.
N. Faciam, ut jubes: sed meum virum abs te exire video. C. hem, Demipho,
Tam illi datum est argentum? D. curavi illico. C. nollem datum.
Hei, video uxorem: pene plusquam sat erat... D. cur nolles, Chreme?
C. Jam recte. D. quid tu? ecquid locutus cum ista es, quamobrem hanc ducimus?

Bene parta. Bona bonis artibus.

Capiebat. Meus pater.

Talenta bina. Libras Turonic. 4800.

Vir viro, &c. Quam sunt viris aliis alii præstantiores!

At rebus vilioribus. Idque quamvis essent omnia vilioris pretii: etsi annona esset multo quam nunc est, vilior: tunc enim prædia minorem fructum pariunt, quam cum est annonæ caritas.

Quid hæc videntur. Quid censes?

Scilicet. Sane miror & credo.

Ego ostenderem. Adde quod sequitur & junge sic: ostenderem quo pacto res familiaris probe administranda sit.

Parce. Pluribus abstine, ut possis cum Phanio, quæ opus est, loqui, & ejus impetum iracundiamque sustinere: noli bilem omnem & stomachum in virum effundere, reserva aliquid in Phanium.

Plus. Subaudi, dixi: tere arcanum aperui.

Cur nolles? Nempe datum argentum.

Jam recte. Id quasi retractans dicit: bene habet, gaudeo datum.

C. Transegi. *D.* quid ait tandem? *C.* adduci non
potest. *D.* quid non potest?
C. Quia uterque utrique est cordi. *D.* quid isthuc nostra? *C.* magni: præter hæc,
Cognatam comperi esse nobis. *D.* quid, deliras? *C.* sic erit:
Non temere dico: redi mecum in memoriam...
D. satin' sanus es?
N. Au, obsecro vide, ne in cognatam pecces.
D. non est. *C.* ne nega:
Patris nomen aliud dictum est, hoc tu errasti.
D. non norat patrem?
C. Norat.... *D.* cur aliud dixit? *C.* numquamne hodie concedes mihi,
Neque intelliges? *D.* si tu nihil narras. *C.* pergis? *N.* miror quid hoc fiet.
D. Equidem hercle nescio. *C.* vin' scire? at, ita me servet Jupiter,
Ut propior illi, quam ego sum, ac tu, nemo est. *D.* Dii vostram fidem!
Eamus ad ipsam una omnes nos: aut scire, aut nescire hoc volo. *C.* ah.
D. Quid id est? *C.* itane parvam mihi fidem esse apud te. *D.* vin' me credere?

Ecquid, &c. An dixisti Phanio quæ causa sit, cur eam ejiciamus.

Ducimus. In hoc loco idem est, ac educimus, sive ducimus in domum Phormionis e nostra.

Transegi. Feci quod optabas.

Adduci. Ut nos deseras: ut discedat.

Nostra. Subaudi, refert.

Sic erit. Hoc verum esse reperietur.

Redi, &c. Memineris id quod dixi alias tibi de uxore mea Lemnia & ejus filia. Hoc non intelligit Demipho, neque clare audet explicare Chremes, præsente Nausistrata.

Pecces. Ne eam domo ejicias, si cognata sit.

Patris, &c. Pater Phanii dictus tibi est alius quam revera est: alio apud te nomine appellatus fuit: in hoc ideo tu erraști, & illam putasti aliam esse atque est.

Narras. Explicas, clarius dicis: subaudi, non intelligam.

Vin' satis quæsitum mihi isthuc esse? age fiat, quid illa filia
Amici nostri, quid futurum est? *G.* recte. *D.* hanc igitur mittimus?
C. quid ni? *D* illa maneat? *C.* sic. *D.* ire igitur tibi licet Nausistrata.
N. Sic pol commodius esse in omnes arbitror, quam ut cœperas,
Manere hanc; nam perliberalis visa est, cum vidi, mihi.
D. Quid isthuc negoti est? *C.* jamne operuit ostium? *D.* jam. *C.* o Iupiter!
Dii nos respiciunt: gnatam inveni nuptam cum tuo filio. *D.* hem.
Quo pacto id potuit? *C.* non satis tutus est ad narrandum hic locus.
D. At tu intro abi. *C.* heus, ne filii nostri quidem hoc resciscant, volo.

Illa filia, &c. Convenerat Chremes cum fratre Demiphone ut filiam suam Phanium clam daret uxorem Antiphoni, idque ut nesciret Nausistrata fingebant illam esse amici cujusdam filiam.

Recte. Recte admones: nihil significat hoc adverbium, sed adhibebatur cum aut negare honeste, aut nihil volebant respondere.

Mittimus? An eam relinquimus? an uxorem Antiphoni non dabimus?

Illa maneat? Placetne ut Phanium domi nostræ maneat?

Sic. Placet.

Ire. Domum redire: noli Phanium convenire; non enim danda est Phormioni.

In omnes. Ad omnium utilitatem commodius arbitror, hanc, nempe Phanium, manere domi nostræ cum Antiphone, quam elici ut cœperas velle, ac dari Phormioni.

Perliberalis. Ingenua, honesta.

Operuit. Clausit: jamne domum se recepit Nausistrata?

SCENA TERTIA.

ANTIPHO.

Antipho sibi gratulatur, quod Phædria uxorem quam volebat, nactus sit, suam ipsius vicem dolet.

A. LÆtus sum, ut ut meæ res sese habent, fratri obtigisse quod vult.
Quam scitum est, ejusmodi parare in animo cupiditates,
Quas, cum res adversæ fient, paullo mederi possis?
Hic simul argentum reperit, cura sese expedivit:
Ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis,
Quin, si hoc celetur, in metu, sin patefit, in probo sim.
Neque me domum nunc recíperem, ni mihi esset spes ostensa.
Hujusce habendæ: sed ubinam Getam invenire possum?
Ut rogem, quod tempus conveniendi patris me capere jubeat?

Ut ut, &c. Qualicumque in statu res meæ sint.

Fratri. Phædriæ quem fratrem vocat, quamvis filius patrui sit: filium patrui Svetonius fratrem patruelem appellat.

Scitum. Prudenter factum, & commode: quantæ est sapientiæ.

Paullo. Facile: *medeor*, cum accusandi casu hic jungitur, antique; vulgo, cum dandi.

Si hoc celetur. Meum cum Phanio matrimonium.

SCE-

SCENA QUARTA.

PHORMIO, ANTIPHO.

Phormio, re bene gesta, sibi plaudit.

P. ARgentum accepi, tradidi Dorioni, abduxi mulierem:
Curavi, propria ut esset Phædriæ, nam emissa est manu.
Nunc una res restat mihi, quæ etiam conficienda, otium
A senibus ad putandum ut habeam: nam aliquot hos sumam dies.
A. Sed Phormio est: quid ais? *P.* quid? *A.* quidnam nunc facturus Phædria?
P. Vicissim partes tuas acturus est. *A.* quas? *P.* ut fugiat patrem:
Te suam rogavit rursum ut ageres caussam, ut pro se diceres:
Nam potaturus est apud me: ego me ire senibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emptum, quam dudum dixit Geta;
Ne, cum hic non videant me, conficere credant argentum suum.
Sed ostium concrepuit abs te. *A.* vide quis egrediatur. *P.* Geta est.

Propria. Ut stabilis uxor & perpetua. Virg. *propriamque dicabo.*

Emissa est manu. Donata est libertate: injiciebant illi manus, quem servum renunciabant: e manu mittebant, quem liberum esse vellent, quasi jam sui juris futurum.

Sed, &c. At enim video Phormionem.

Partes tuas... Age eamdem personam quam egisti; te imitaturus est.

Sunium. Extremum Atticæ promontorium.

Emptum. In supino, ut emam.

Conficere. Consumere, dilapidare.

Abs te. Abs tua domo: tua domus ostium.

SCENA QUINTA.

GETA, ANTIPHO, PHORMIO.

Renuntiat Antiphoni Geta, Phanium inventam esse Chremetis filiam.

G. O Fortuna! o fors fortuna! quantis commoditatibus,
Quam subito hero meo Antiphoni ope vestra hunc oneraſtis diem!
A. Quidnam hic sibi volt? *G.* noſque amicos ejus exoneraſtis metu!
Sed ego nunc mihi ceſſo, qui non humerum hunc onero pallio,
Atque hominem propero invenire, ut hæc, quæ contigerint, sciat?
A. Num tu intelligis, quod hic narret? *P.* hum tu? *A.* nihil. *P.* tantumdem ego.
G. Ad Dorionem hinc ire pergam: ibi nunc sunt. *A.* heus Geta. *G.* hem tibi:
Num mirum, aut novum eſt revocari, cursum cum inſtitueris? *A.* Geta.
G. Pergit hercle: tu numquam tuo odio vinces me. *A.* non manes?
G. Vapulabis: curialis vernula eſt, qui me vocat.

Fors fortuna. Fortuna dicta eſt incerta res, fors fortuna, eventus rei bonus: porro huic Forti Fortunæ templum erat Romæ trans Tiberim & colebatur ab infimæ sortis hominibus, qui sine arte aliqua viverent. *Donat.*

Oneraſtis. Cumulaſtis, ornaviſtis.

Mihi ceſſo. Illa vox, *mihi*, abundat hic, & elegantiæ tantum servit.

Pallio. Servi palliati vulgo prodibant foras.

Hominem. Antiphonem.

Hem tibi. Ecce autem! Ecce tibi moleſtos interpellatores illos qui hominem currentem revocare solent.

Inſtitueris. Intendere cœperis.

Pergit. Me vocare.

Odio tuo. Odioſa revocatione me fiſtes.

Curialis vernula. Servulus aliquis ex iis qui miniſtrant

A. Id tibi quidem jam fiet; nisi resistis, verbero?
G. Familiariorem oportet esse hunc, qui minitatur neuum.
Sed isne, quem quæro, an non? ipsu' est. *P.* congredere actutum. *A.* quid est?
G. O omnium, quantum est, qui vivunt, hominum homo ornatissime.
Nam sine controversia a Dis solus diligere, Antipho,
A. Ita velim, sed, qui isthuc credam ita esse, mihi dici velim.
G. Satin' est, si te delibutum gaudio reddo? *A.* enecas.
P. Quia tu hinc pollicitationes aufer, & quod fers, cedo. *G.* oh,
Tu quoque hic aderas Phormio? *P.* aderam: sed cessas? *G.* accipe, hem,
Ut modo argentum tibi dedimus apud forum, recta dumum
Sumus profecti: interea mittit herus me ad uxorem tuam.
A. Quamobrem? *G.* omitto proloqui: nam nihil ad hanc rem est, Antipho.
Ubi in gynæceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida.

strant Curiis; erant Curiæ partes populi Romani; & sodalitates quædam; conveniebant illæ interdum ad suffragia ferenda, ad epulas &c. earum servi Curiales dicti sunt, erantque ex infimo servorum genere.

Id tibi fiet. Nempe, tu ipse vapulabis.

Resistis. Manes.

Congredere. Adi statim illum Antipho.

Quantum est. Quam multi sunt, quotquot sunt.

Diligere. Amaris.

Qui. Cur?

Delibutum. Perfusum, ut qui unguntur balsamo.

Enecas. Occidis me istis laudibus, ista mora.

Hic aderas. Erasne jam hic cum Antiphone, non te videram, non putabam te adesse.

Sed cessas. Cur cunctaris id dicere quod affers boni?

Ut. Ubi, postquam.

Tuam. Phanium.

Gynæceum. Græca vox, pars domus erat in qua mulieres a viris sepa-

ra-

Pone apprehendit pallio, resupinat: respicio, rogo,
Quamobrem retineat me: ait esse vetitum intro ad heram accedere:
Sophrona modo fratrem huc, inquit, senis introduxit Chremem,
Eumque nunc esse intus cum illis, hoc ubi ego audivi, ad fores
Suspenso gradu placide ire perrexi: accessi, astiti,
Animam compressi, autem admovi: ita animum cœpi attendere,
Hoc modo sermonem captans. *A.* euge Geta. *G.* hic pulcherrimum
Facinus audivi; itaque pene hercla exclamavi gaudio.
P. Quod? *G.* quodnam arbitrare? *A.* nescio .... *G.* atqui mirificissimum:
Patruus tuus est pater inventus Phanio uxori tuæ. *A.* hem,
Quid ais? *G.* ejus olim matrem duxit in Lemno clanculum.
P. Somnium: utin' hæc ignoraret suum patrem? *G.* aliquid credito,
Phormio, esse caussæ: sed me censen' potuisse omnia
Intelligere extra ostium, intus quæ inter se ipsi egerint?
P. Atque hercle ego quoque illam audivi fabulam. *G.* immo etiam dabo,

ratim habitabant.
Pone. A tergo.
Resupinat. Facit ut caput retrorsum flectam.
Senis. Demiphonis.
Animam. Halitum; ne quis me spirare aut tussire audiret.
Hoc modo. Hoc statu & statu corporis expiscans quid dicerent intus.
Mirificissimum. Vox servo ficta vernaliter.
Utin'. Utine? fierine potest, ut....
Esse caussæ. Nempe cur patrem ignoraret suum.
Dabo. Dicam aliquid.

In-

Quo magis credas, patruus interea inde huc egreditur foras;
Haud multo post cum patre idem recipit se intro denuo;
Ait uterque tibi potestatem ejus habendæ dare:
Denique ego sum missus, te ut requirerem, atque adducerem.
A. Quin ergo? rape me: quid cessas? *G.* fecero. *A.* o Phormio,
Vale. *P.* vale Antipho: bene, ita me Di ament, factum: gaudeo
Tantam fortunam de improviso esse his datam.

Inde. Ex interiori cubiculo. *Fecero.* Id ago.

SCENA SEXTA.

PHORMIO.

Phormio animum ad pecuniam retinendam obfirmat.

P. SUmma eludendi occasio est mihi nunc senes,
Et Phædriæ curam adimere argentariam.
Ne cuiquam suorum æqualium supplex siet:
Nam idem hoc argentum, ita ut datum est ingratiis,

Summa, &c. Nunc præclara offertur mihi occasio extorquendæ pecuniæ a senibus: & adimendi Phædriæ curam conquirendi argenti, & æqualibus, id est, adolescentibus ejusdem secum ætatis, eam ob rem supplicandi, ut nempe mutuum ab eis argentum sumat.

Nam, &c. Nam oportet ut senes quamvis inviti nobis relinquant argentum, a se datum, & jam reperi qua ratione ipsos cogam id facere.

Hoc argentum. Quod mihi dedere ut Phanium abductam ab Antiphone ducerem.

Ingratiis. Ablativus adverbii loco positus; significat,

His datum erit : hoc qui cogam , te ipsam reperi.
Nunc gestus mihi , vultusque est capiundus novus.
Sed hinc concedam in angiportum hoc proximum :
Inde hisce ostendam me, ubi erunt egressi foras.
Quo me assimularam ire ad mercatum, non eo.

ficat, præter voluntatem, non libenter.
His datum erit. Ab his, à senibus ita datum erit, ut iis non reddam.
Qui. Quomodo.
Concedam. Me recipiam.
Angiportum. Via angusta est.
Ostendam me. Prodibo improvisus.
Non eo. Repudio consilium quod ceperam simulandi me iturum Sunium, ad mercatum quemdam : hic maneo.

SCENA SEPTIMA.

DEMIPHO, PHORMIO, CHREMES.

Cognita Phanio, senes a Phormione pecuniam ipsi datam repetunt ; Phormio negat se redditurum : hinc jurgium quod lepide Phormio expedit in rem suam.

D. DIs magnas merito gratias habeo, atque ago,
Quando evenere hæc nobis frater prospere.
Quantum potest, nunc conveniundus Phormio, est,
Prius quam dilapidet nostras triginta minas,
Ut auferamus. *P.* Demiphonem si domi est.
Visam : ut quod ..... *D.* at nos ad te ibamus Phormio.

Quantum potest. Quam citissime, quam primum.
Dilapidet. Perdat, conficiat.
Auferamus. Ab eo recipiamus.
Ut quod ..... Nempe, ut quod instat, agam cum illo vel,

P. De eadem hac fortaſſe cauſſa? *D.* ita hercle.
P credidi :
Quid ad me ibatis? ridiculum: an verebamini,
Ne non id facerem, quod recepiſſem ſemel?
Heus, heus, quanta hæc mea paupertas eſt, tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mihi eſſet fides.
C. Eſtne ea, ita ut dixi, liberalis? *D.* oppido.
P. Itaque ad vos venio nunciatum Demipho,
Paratum me eſſe: ubi voltis, uxorem date:
Nam omnes poſthabui mihi res, ita uti par fuit,
Poſtquam tantopere id vos velle animum advorteram.
D. At hic dehortatus eſt me, ne illam tibi darem:
Nam qui erit rumor populi, inquit, ſi id feceris?
Olim cum honeſte potuit, tum non eſt data;
Nunc viduam extrudi, turpe eſt: ferme eadem omnia,
Quæ tute dudum coram me incuſaveras.
P. Satis ſuperbe illuditis me? *D.* qui? *P.* rogas?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere.
Nam quo rediho ore ad eam, quam contempſerim?

vel, aliud quidpiam ſubaudi.

Recepiſſem. Promiſiſſem: vulgo dicitur, ad me, vel in me recipio.

Quanta hæc, &c. Quamvis pauper ſim, quantacumque ſit mea paupertas.

Eſt ne ea ... Alloquitur fratrem: nonne, inquit, agnoviſti in Phanio vultum & ingenium virgine liberali & ingenua dignum?

Oppido. Sane, omnino.

Uxorem. Date Phanium, mihi tradite ducendam, cum libuerit.

Olim. Antequam nuberet Antiphoni, poterat honeſte cuilibet alteri dari in uxorem; nunc ſine ignominia non poteſt, jam collocata ſcilicet Antiphoni & ab illo ejecta, vidua.

Eadem. Dixit mihi Chremes.

Incuſaveras. Objeceras mihi, cur ejicienda Phanium non eſſet.

Alteram. Fingebat ſe Phor-

C. Tum autem Antiphonem video ab ſefe amittere
Invitum eam: inque. D. tum autem video filium
Invitum ſane mulierem ab ſe amittere.
Sed tranſi ſodes ad forum, atque illud mihi
Argentum jube rurſum reſcribi, Phormio.
P. Quodne ego perſcripſi porro illis, quibus debui;
D. Quid igitur fiet? P. ſi vis mihi uxorem dare,
Quam deſponditi, ducam: ſin eſt, ut velis
Manere illam apud te: dos hic maneat, Demipho:
Nam non eſt æquum, me propter vos decipi;
Cum ego veſtri honoris cauſſa repudiam alteri
Remiſerim, quæ tantumdem dotis dabat.
D. I hinc in malam rem cum iſthac magnificentia.

Phormio deſponſam ſibi cum dote uxorem repudiare, ut Phanium duceret.

Tum autem... Dicit hæc tacitus Chremes fratri, ei ſuggerens quid Phormioni dicat: tum autem, id eſt, præterea, o frater, inque, id eſt dic (imperativus verbi inquio) Phormioni, Antiphonem adduci vix poſſe ut Phanium a ſe dimittat: hæc eadem Demipho clare, & iiſdem fere verbis repetit.

Ad forum. Diximus in foro ſeu platea publica fuiſſe tabernas & menſas argentariorum.

Reſcribi. Reddi. Scribere in re nummaria, ſive perſcribere, eſt nummos alicui dare, & præſentes ſolvere, vel pro his certum in diem ſolvendis fidem ſuam apud argentarium obligare ſcripto. Ductum eſt a conſuetudine Romanorum, qui, ſi quid alteri darent pecuniæ, curabant id ſcribi in tabulis argentariorum, apud quos ſuas fere pecunias collocatas habebant, iiſque nomen hominis dictabant, ut ſummam illi expenſam ferret argentarius. Debitores autem cum pecuniam redderent, dabant operam ut nomen ſuum expungeretur in tabulis ejuſdem argentarii, & pecunia accepta referretur in tabulas: hoc autem vocabatur, *reſcribere*.

Quodne, &c. Atqui ego jam argentum illud meis creditoribus reddidi.

Hic. Apud me maneat argentum a te mihi pro illius dote datum.

Veſtri honoris cauſſa. In veſtram gratiam, ut vobis gratum facerem.

Magnificentia. Quia dixerat

Fugitive: etiam nunc credis te ignorarier,
Aut tua facta adeo? *P.* irritor. *D.* tunc hanc duceres,
Si tibi data esset? *P.* fac periculum. *D.* ut filius
Cum illa habitet apud te, hoc vestrum consilium fuit.
P. Quæso, quid narras? *D.* quin tu mihi argentum cedo.
P. Immo vero, tu uxorem cedo. *D.* in jus ambula.
P. In jus? enimvero si porro esse odiosi pergitis....
D. Quid facies? *P.* egone? vos me indotatis modo
Patrocinari forteasse arbitramini:
Etiam dotatis soleo. *C.* quid id nostra? *P.* nihil.
Hic quamdam noram cujus vir uxorem... *C.* hem.
D. quid est?
P. Lemni habuit aliam. *C.* nullus sum. *P.* ex qua filiam
Suscepit, & eam clam educat. *C.* sepultus sum.
P. Hæc adeo ego illi jam denarrabo. *C.* obsecro.
Ne facias. *P.* oh tunc is erat. *D.* ut ludos facit.

xerat Phormio, se honori senum consultum voluisse.

Fugitive. Servi nequam fugitivi dicebantur, quia sæpe fugiebant ex herili domo.

Irritor. Sic mihi bilem movetis.

Tunc? Homo nihili & nauci?

Fac periculum. Tenta, experire.

Ut filius... Sententia est, nolebas eam ducere & uxorem habere tibi, sed servare apud te ut meus filius domi tuæ cum ea esset.

In jus. Ad Judicem: jus hic locus est, ubi jus redditur.

Enimvero... Ibo ego vero, &... reliqua subticuit, quæ post dicit, ab illis irritatus.

Indotatis. Ut Phanio: *dotatis*, ut Nausistratæ: innuit se clandestinum Chremetis matrimonium renunciaturum Nausistratæ, quod postea mire facit.

Nullus sum. Perii.

Sepultus. Plus dicit quam perii.

Tunc is erat? De quo loquebar, qui aliam uxorem in Lemno habuisti?

Ludos facit: Ut nos ludit!

C. Missum te facimus. *P.* fabulæ. *C.* quid vis tibi?
Argentum quod habes condonamus te. *P.* audio:
Quid vos (malum) ergo me sic ludificamini,
Inepti vestra puerili sententia?
Nolo, volo: volo, nolo rursum: cedo, cape:
Quod dictum, indictum est: quod modo erat ratum, irritum est.
C. Quo pacto, aut unde hæc hic rescivit? *D.* nescio,
Nisi, me dixisse nemini, id certo scio.
C. Monstri, ita me Di ament; simile. *P.* injeci scrupulum. *D.* hem,
Hiccine ut a nobis hoc tantum argenti auferat,
Tam aperte irridens? emori hercle satius est;
Animo virili præsentique ut sis, para;
Vides tuum peccatum esse elatum foras,
Neque jam id celare posse te uxorem tuam:
Nunc quod ipsa ex aliis auditura sit, Chreme,
Id nosmet indicare placabilius est:
Tunc hunc impuratum poterimus nostro modo
Ulcisci. *P.* at, at, nisi mihi prospicio, hæreo:
Hi gladiatorio animo ad me adfectant viam.

dit; ludibrio contemptuique habet?

Missum te facimus. Abi fane, nihil tecum nobis rei esse volumus.

Condonamus te. Antique pro tibi, ultro donamus tibi.

Para. Accinge te: fac.

Elatum foras. Cognitum, detectum.

Placabilius. Commodius ad eam placandam.

Hæreo. Vix me expediam a periculo quod imminet, metaphora ducitur ab avibus in viseo hærentibus.

Hi gladiatorio, &c. Non secus animati quam gladiatores, ad me recta pergunt, id est, (inquit Donatus) parati vel perdere, vel perire. *Gladiatores* erant vulgo servi, interdum viri ingenui & nobiles, qui ut populo spectaculum ac ludum darent, gladiis inter se depugnabant, & alios alii cædebant.

Pos-

C. At vereor, ut placari possit. D. bono animo es;
Ego redigam vos in gratiam; hoc fretus, Chreme,
Cum de medio excessit, unde hæc suscepta est tibi.
P. Itane agitis mecum? satis astute aggredimini:
Non hercle ex reistius me instigasti, Demipho.
An tu, ubi peregre tibi quod libitum fuit feceris,
Neque hujus sis veritus, feminæ primariæ,
Quin tu novo modo ei faceres contumelias,
Venias nunc precibus lautum peccatum tuum?
Hisce ego dictis illam ita tibi incensam dabo,
Ut ne restinguas, lacrumis si extillaveris.
D. Malum, quod isti Dii, Deæque omnes duint.
Tantane affectum hominem quemquam esse audacia?

Possit. Nausistrata.

Bono animo es. Confide: bono animo esto.

Vos: Te & uxorem Nausistratam conciliabo.

Hoc fretus, cum . . . Ea maxime de caussa spero placandam tibi per me uxorem tuam, quod obiit ea uxor altera Lemnia, unde, id est, ex qua hæc Phanium a te suscepta & genita est.

Aggredimini. Accedetis ad dimicandum.

Ex re istius. Non consuluisti rationibus tui fratris Demipho, cum mihi stomachum movisti: dicam enim ea quæ illi ægre faciant.

Hujus sis veritus. Hujus te puduerit, vel *Hujus*, est genitivus pretii, sic dicimus, id hujus non facio, ostendendo joculum vel vicivilitium, sententia igitur erit, neque tantuli feceris Nausistratam feminam primariam, quin ei veteris facere contumeliam: nunc porro, *feminæ*, erit in dandi casu, & pronomen *ei*, more comico, abundabit.

Lautum. Purgatum: ut laves.

Extillaveris. Totus in lacrymas abieris, lacrymas e toto corpore stillaveris.

Malum. Usitata interjectio male imprecantis. Hanc igitur vocem cum ira Demiphon expressisset, omnis dirigatem statim a se deprecatur, & in Phormionem convertit, dum addit:

Quod isti, &c. Quasi diceret, malum eveniat, male si,

Nonne hoc publicitus ſcelus hinc deportarier
In ſolas terras? *C.* in id redactus ſum loci,
Ut quod agam cum illo, neſciam prorſus. *D.* ego ſcio:
In jus eamus. *P.* in jus? huc, ſi quid lubet.
D. Aſſequere, ac retine, dum huc ego ſervos evoco.
C. Etenim nequeo ſolus: accurre huc. *P.* una injuria eſt
Tecum. *D.* lege agito ergo. *P.* altera eſt tecum Chreme.
D. Rape hunc. *P.* itane agitis? enimvero voce eſt opus:
Nauſiſtrata exi. *C.* os opprime. *D.* impurum vide.
Quantum valet! *P.* Nauſiſtrata, inquam. *C.* non taces?
P. Taceam? *D.* niſi ſequitur, pugnos in ventrem ingere,
Vel oculum exſculpe. *P.* eſt, ubi vos ulciſcar, locus.

ſit, at iſti Phormioni. *Duint* autem, comice pro, dent: poteſt etiam ſimplicius accipi *quod* pro utinam.

Nonne hoc, &c. Nonne oporteret hominem tam ſceleratum publice, publica judicium ſententia, in remotas procul terras & loca deſerta deportari? ut nemini noceret illic ſcilicet.

In jus. In Forum, ad judices.

Huc. Huc eamus, nempe ad tuam, o Chreme, domum: ſi quid lubet tibi mecum agere, ſi quam intendit mihi litem, ibi eam decidemus.

Aſſequere. Sequere illum ac retine, prohibe ne domum tuam eat, ſed in jus potius.

Una injuria eſt. Id eſt actio injuriarum, ex lege mihi eſt in te.

Tecum. O Demipho, qui accurrens Phormionem retinebat.

Lege agito. Si quidem habes actiones injuriarum, agito ex lege, in jus ambula, ubi legibus apud judices contendes.

Opprime. Obrue, claude illi, ne Nauſiſtratam evocet.

Valet. Ut robuſtus eſt, qui contra duos unus depugnat. Eſt autem græca locutio, pro, vide quantum impurus & ſceleratus iſte valet.

Eſt. Datur mihi facultas præclara vos ulciſcendi.

SCE-

SCENA OCTAVA.

NAUSISTRATA, CHREMES, PHORMIO, DEMIPHO.

Chremes Nausistratæ uxori a Phormione proditus & ab ea graviter objurgatus, ita veniam impetrat, ut Phædria contentionis arbiter statuatur, nimirum ut Phædria uxorem, annuente patre, gratis retineret, quod erat Phormioni propositum.

N. QUis nominat me? C. hem. N. quid istHuc turbæ est, obsecro,
Mi vir? P. hem, quid nunc obticuisti? N. quis hic homo est?
Non mihi respondes? P. hiccine ut tibi respondeat?
Qui hercle ubi sit, nescit. C. cave isti quidquam credas.
P. Abi, tange, si non totus friget, me eneca.
C. Nihil est. N. quid ergo est? quid isthic narrat? P. jam scies:
Ausculta. C. pergin' credere? N. quid ego, obsecro,
Huic credam, qui nihil dixit? P. delirat miser
Timore. N. non pol temere est, quod tu tam times.
C. Egon' timeo? P. recte sane, quando nihil times,
Et hoc nihil est, quod ego dico: tu narra. D. scelus!
Tibi narret? P. eho tu, factum est abs te sedulo
Pro fratre. N. mi vir, non mihi narras? C. at: N. quid, at?

Friget. Præ pudore ac metu.

Temere. Sine caussa.

Factum est, &c. Recte atque

C. Non opus eſt dicto. P. tibi quidem: at ſcito huic opus eſt
In Lemno. C. hem quid ais? D. non taces? P. clam te. C. hei mihi.
P. Uxorem duxit. N. mi homo, Di melius duint.
P. Sic factum eſt. N. perii miſera. P. & inde filiam.
Suſcepit jam unam, dum tu neſcis. C. quid agimus?
N. Pro Di immortales, facinus indignum, & malum!
P. Hoc actum eſt. N. an quidquam hodie eſt factum indignius?
Demipho, te appello: nam me cum hoc ipſo diſtædet loqui.
Hæccine erant itiones crebræ, & manſiones diutinæ
Lemni? hæccine erat, quæ noſtros fructus minuebat, vilitas?
D. Ego Nauſiſtratam eſſe in hac re culpam meritam non nego:
Sed eam quæ ſit ignoſcenda. P. verba fiunt mortuo.
D. Nam neque negligentia tua, neque id odio fecit tuo.
Ea mortem obiit: e medio abiit: qui fuit in re hac ſcrupulus:

atque ex animo fratrem defendis, laudo.

Scito huic opus eſt. Debet hoc ſcire Nauſiſtrata.

Dii.... Avertant omen Superi.

Te appello. Ut teſtem ſcilicet.

Vilitas. Hoc illud erat quod mihi dictitabat, annonæ vilitatem in cauſſa eſſe, cur prædiorum noſtrorum fructus minores eſſent.

Verba fiunt mortuo. Ridet Chremetem: en, inquit, ſimilis eſt mortuo Chremes. *Facere verba mortuo*, eſt alloqui eum qui non audiat, qui reſponſurus non ſit.

Ea, Uxor altera Lemnia.

E medio. E vivis.

Quis ſcrupulus... Unum hoc eſſet impedimentum, quo minus veniam ipſi dares, ſi hæc altera uxor vi-

ve-

Quamobrem te oro, ut alia tua facta sunt, æquo animo hoc feras.

N. Quid ego, æquo animo? cupio misere in hac re jam defungier.
Sed quid sperem? ætate porro minus peccaturum putem?
Jam tum erat senex, senectus si verecundos facit.
Quid mihi nunc affers, quamobrem expectem, aut sperem porro non fore?

P. Exequias Chremeti, quibus commodum ire, jam tempus est.
Sic dabo: age nunc, age, Phormionem qui volet lacessito.
Faxo tali eum maclatum, atque hic, infortunio.
Redeat sane in gratiam; jam supplicii satis est mihi:
Habet hæc, ei quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat.

N. At meo merito credo: quid ego nunc commemorem, Demipho,

---

veret; hoc jam sublatum est.

Ut alia. Ut benigne & humaniter in aliis rebus facere soles.

Quid ego? Feramne illud æquo animo?

Defungier. Liberata omni metu, & omni periculo defuncta esse velim, certa esse nihil ab eo præterea peccandum.

Affers. Quam rationem affers? quid causse dicis.

Exequias ire. Pro ire ad exequias: jam Chremes metu ac pudore obiit, si quis ejus exequiis interesse velit, festinet, adsit. Ea formula utebantur Romani, cum funera in diem certam indicebant. v. g. Chremes vixit, Chremeti exequias ire, quod (cui) commodum est, jam tempus est: ollus, (ille) efferetur, (id est, ad rogum e domo feretur.)

Sic dabo. Sic alios tractabo, qui me lacessent.

Maclatum. Perditum, obrutum.

Hæc. Nausistrata.

Obganniat. Occinat, exprobet.

At meo &c. At enim id merita ego fueram, ut me sic despiceres?

Credo. Ironia: id est, minime.

Singillatim, qualis in istum fuerim? *D.* nunc æque omnia
Tecum. *N.* meritone hoc meo videtur factum? *D.* minime gentium.
Verum, quando jam accusando fieri infectum non potest,
Ignosce: orat; confitetur; purgat; quid vis amplius?
P. Enimvero, prius quam hæc dat veniam, mihi prospiciam & Phædriæ.
Heus, Nausistrata, prius quam huic respondes temere, audi. *N.* quid est?
P. Ego minas triginta per fallaciam ab illo abstuli:
Eas dedi tuo gnato: is captivam inde emit sibi.
C. Hem, quid ais? *N.* adeone hoc indignum tibi videtur, filius
Homo adolescens si habet unam, tu uxores duas,
Nihil pudere? quo ore illum objurgabis? respondе mihi.
D. Faciet, ut voles. *N.* immo, ut jam scias meam sententiam,
Neque ego ignosco, neque promitto quidquam, neque respondeo,
Prius quam gnatum video, ejus judicio permitto omnia:
Quod is jubebit, faciam. *P.* mulier sapiens es, Nausistrata.
N. Satis tibi est? *P.* immo vero pulchre discedo, & probe,
Et præter spem. *N.* tuum nomen dic quod est? *P.* mihin'?

Accusando, Si de illo pergas conqueri, cum accusatur.

Prius quam, &c. Priusquam ei des veniam, causa nondum satis bene cognita.

Nihil pudere. Tene pudore nullo affici?

Discedo. Habeo rem e sententia confectam, belle mecum agitur.

Mihin'. Mihine? an quæris quod sit mihi nomen?

Sum-

Phormio; vestræ familiæ hercle amicus, & tuo summus Phædriæ.

N. Phormio, at ego Ædepol posthac tibi, quod potero, & quæ voles,

Faciamque, & dicam. *P.* benigne dicis. *N.* pol meritum est tuum.

P. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata?

Et quod tuo viro oculi doleant? *N.* cupio. *P.* me ad cœnam voca.

N. Pol vero voco. *C.* eamus intro hinc. *D.* fiat: sed ubi est Phædria

Judex noster? *P.* jam hic, saxo, aderit. Vos valete, & plaudite.

Summus. Amicissimus.
Ædepol. Per ædem Castoris.
Quod tuo ..... Propter quod, &c. quod ægre videat.

FINIS.

P. TERENTII

HEAUTONTIMORUMENOS.

ARGUMENTUM.

Clinia Menedemi Athenienſis filius, cum Antiphilam uxorem habere vellet invito patre, ita illum commovit ut ejuſdem jurgiis miniſque perterritus, in Aſiam militatum abire coactus ſit. Filii diſceſſum & fugam ægre admodum tulit pater, ſeque luctu & labore macerare, ac miſeris modis ſenectutem ſuam excruciare cœpit, quaſi de ſe ſupplicium abſenti filio dare vellet, quem aſperitate nimia & ſævitia expuliſſet domo: hinc factum illi nomen ἑαυτὸντιμωρούμενος, quæ voces græce ſonant, ſeipſum puniens. Clinia cum tres menſes abfuiſſet, redit Athenas; neque tamen audet ſe in conſpectu patris dare, ſed ad Clitiphonem amicum & ſodalem ſuum, Chremetis filium, qui Bacchidis ignotæ alterius mulierculæ nuptias ambiebat, divertitur. Erat amicus Menedemi Chremes Clitiphonis pater: ubi reſcivit rediiſſe Cliniam, gaudet, eumque domi ſuæ eſſe patitur; mox ejus rei certiorem Menedemum facit, eique non ægre perſuadet ut peccatum filii & uxorem ab eo ductam invito patre diſſimulet. Ipſe Cliniam, cum ejus conjuge, domum ſuam adduci per Syrum jubet. Syrus fingit Bacchidem, Amicam Clitiphonis, eſſe uxorem Cliniæ, Antiphilam vero eſſe Bacchidis ancillam. Id facit ut Clitiphonis celet peccatum, & argentum ab illo poſtulanti Bacchidi dandum corradat, ac ſane ita fraudem inſtruit, ut pecuniæ ſummam non levem a ſenibus extor-

extorquent. Post paullo contigit ut Antiphilam Chremes filiam esse suam agnosceret: letatur ea reperta, & ejus cum Clinia nuptias, quæ tandem fuerant detecta, ratas esse, annuente plurimum Menedemo, jubet; sed furit idem atrociter, cum filium suum Clitiphonem Bacchidis consuetudine irretitum audit. Menedemi tamen precibus illi placatur ea lege, ut aliam, dimissa Bacchide, uxorem ducat: quod ille tamen minime se facturum confidit.

Scena prope Athenas, in villa.

PERSONÆ.

MENEDEMUS, qui Heautontimorumenus dicitur, senex Atheniensis.

CHREMES, Menedemi amicus, senex.

CLINIA, Menedemi filius.

CLITIPHO, Chremetis filius.

ANTIPHILA, filia Chremetis, uxor Cliniæ.

BACCHIS, a Clitiphone amata.

SOSTRATA, uxor Chremetis.

SYRUS, } servi.
DROMO, }

P. TERENTII

HEAUTONTIMORUMENOS.

ACTA LUDIS MAGALENSIB. L. CORNELIO Lentulo, L. Valerio Flacco Ædilib. Curul. Egit L. Ambivius Turgio. Modos fecit Flaccus Claudi, Græca est Menandru. Acta primum tibiis imparibus. Deinde duabus dextris. Acta etiam tertium M. Juventio & T. Sempronio coss.

Heautontimorumenos. Vide argumentum.

Ludis, &c. Vide notas in Andriam.

Claudi. Subaudi; filius aut libertus.

Menandru. Μενάνδρου, Menandri.

Acta. III. Nempe anno ab U. C. 591.

PROLOGUS.

Pauca de comœdia, multa de Terentii obtrectatoribus differit: denique spectatorum benevolentiam & attentionem postulat.

NE cui sit vestrum mirum, cur partes seni
Poeta dederit, quæ sunt adolescentium:
Id primum dicam: deinde, quod veni, eloquar.

Cur partes. Cur Terentius mihi seni dederit provinciam & munus recitandi prologi, eum soleat id ab adolescentibus fieri *. Nempe actores qui agebant in comœdia personam adolescentis alicuius, prologum vulgo recitabant.

Quo veni. Id propter quod veni, nempe ut diluerem calumnias obtrectatorum & maledicta in Terentium jactari solita. Statim igitur de comœdiæ argumento pauca differit: mox ideo sibi seni partes Prologi datas ait, quia actor est Terentii & patro-

Ex integra Græca integram comœdiam
Hodie ſum acturus Heautontimorumenon,
Duplex quæ ex argumento facta eſt ſimplici.
Novam eſſe oſtendi, & quæ eſſet: nunc, qui ſcripſerit,
Et cuja Græca ſit, ni partem maximam
Exiſtimarem ſcire veſtrum, id dicerem.
Nunc, quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.
Oratorem voluit eſſe me, non Prologum:
Veſtrum judicium fecit, me actorem dedit:

tronus, ut plus eſſet ad refellendum auctoritatis in perſona ſenili & gravitatis: denique calumnias retellit in Terentium jactari ſolitas, quæ cauſſa erat cur Prologus præmitteretur.

Integram. Non miſtam e duabus fabulis, uti Andriam calumniabitur L. Lavinius ex Andria & Perinthia confuſam & contaminatam.

Duplex, &c. Duplex ea eſt fabula, in qua omnes perſonæ aut pleræque geminantur, ut cum ſunt duo ſenes, duo adoleſcentes, duo ſervi, &c. ita geminatas & duplicitas fuiſſe dicit perſonas a Terentio, cum in Menandro eſſent ſimplices & unæ. Aliter explicat Scaliger. 6. lib. Poet. Data, inquit, & acta fabula eſt Ludis Megalenſibus; dimidium fabulæ actum veſperi, nox ludis tranſacta eſt, alterum fabulæ dimidium editum ſub lucem: una igitur, quaſi duæ. Hinc actus tertius ducitur ab his verbis *luceſcit*, dici non incommode poteſt argumentum hujus fabulæ, ut a Menandro ſcriptum erat, fuiſſe ſimplex, quale eſt Hecyræ, in quo minus eſt turbæ ac varietatis, quodque ideirco Donatus vocat ſimplex: additas autem a Terentio actiones alias quaſdam, & ad primariam adjunctas, unde fabula evaſerit duplex, miſta & compoſita, quales optimas eſſe Ariſtoteles indicat.

Qui ſcripſerit. Quis ſit ejus auctor, nempe Menander.

Has partes. Hunc prologum recitandum vobis, memoriæ mandaverim.

Dabo. Dicam.

Oratorem. Suum defenſorem & quaſi legatum: ideo ſenem elegit.

Non prologum. Non prologi recitatorem, in quo tantum narratur argumentum fabulæ, aut attentio poſtulatur, &c.

Veſtrum. Vos fecit, eſſe voluit cauſſæ iſtius judices, me advocatum & cauſidi-

Sed hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.
Nam quod rumores distulerunt malevoli,
Multas contaminasse Græcas, dum facit
Paucas Latinas: factum hic esse id non negat,
Neque se id pigere, & deinde facturum autumat.
Neque bonorum exemplum, quo exemplo sibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tam quod malevolus vetus poeta dictat,
Repente ad studium hunc se applicasse musicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura sua:
Arbitrium vestrum, vestra existimatio
Valebit: quamobrem omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquum possit, quam æquum, oratio.
Facite, æqui sitis: date crescendi copiam,

sidicum, id enim *Astor* in foro sonat, quo hic sensu ponitur.

Hic actor. Ego nimirum qui hic adsum, si vobis satisfacio, si ornate ansam tueor, id mihi tribuendum non erit, sed illi, qui eam sui defensionem composuit, quam ego sum recitaturus; nempe Terentius.

Poterit a facundia. Id est, propter eloquentiam valebit, nempe ad impositum munus præstandum, ad Terentium defendendum: tantum habebit eloquentiæ.

Orationem. Terentii defensionem.

Distulerunt. Divulgaverunt; huc illuc tulerunt, dissiparunt.

Contaminasse. Terentium: scilicet Græcas alias aliis miscendo.

Autumat. Prædicat.

Bonorum. Nævii, Plauti, &c. Vide Prologum Andriæ.

Musicum. Poeticum: Musæ auctores poeseos, uti & musicæ dicuntur.

Amicum. Amicorum, nempe Scipionis, Lælii &c. vide Terentii vitam, in libri limine.

Natura, Indole, ingenio.

Valebit. Vos quid verum sit judicabitis, & vestro arbitrio stabit Terentius.

Iniquum. Iniquorum.

Crescendi copiam. Modum, opportunitatem. Subaudi, iis poetis: facite ut opibus, animis, honore augeantur magis in dies ii

poe-

Novarum qui ſpectandi faciunt copiam
Sine vitiis. Ne ille pro ſe dictum exiſtimet,
Qui nuper fecit ſervo currenti in via
Deceſſe populum: cur inſano ſerviat?
De illius peccatis plura dicet, cum dabit
Alias novas, niſi finem maledictis facit.
Adeſte æquo animo: date poteſtatem mihi,
Statariam agere ut liceat per ſilentium;
Ne ſemper ſervus currens, iratus ſenex,
Edax paraſitus, ſycophanta autem imprudens,
Clamore ſummo aſſidue agendi ſint mihi.
Mea cauſſa, cauſſam hanc juſtam eſſe, animum inducite,
Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.

poetæ, qui dant copiam, id eſt, facultatem, vobis ſpectandi novas comœdias, ab omnibus vitiis immunes.

Spectandi novarum. Pro, ſpectandarum novarum.

Ne ille, &c. Neque tamen Lavinius (Poeta vetus Terentii æmulus, quem ille carpit) putet vos id oratos, & favorem veſtrum a me expetitum in ſuam gratiam, qui nempe vitioſas admodum fabulas edat: veluti cum nuper induxit in ſcenam ſervum quemdam qui inſtar furentis egreſſus theatro, in eum locum, ubi ſpectatores ſedebant, coegit populum decedere, & locum illi dare: quod profecto contra decorum & morem eſt.

In via. Intelligit vias ſive ſemitas quæ inter ordines theatri ſingulos erant poſitæ.

Deceſſe, Deceſſiſſe. Decedere de via dicuntur, qui recedunt tantiſper in inferiorem viæ locum, ut aliter tranſeant.

Serviat. Nempe Terentius: cur vos oret pro inepto iſto poeta, ut ei faveatis ſcilicet, ac detis crescendi copiam.

Stataria. Aliæ ſunt fabulæ Statariæ; aliæ Motoriæ; aliæ Miſtæ. Statariæ, in quibus fere ſtant actores; non diſcurrunt, non tumultuantur; ubi omnia ſunt ſedatioria: Motoriæ, ubi ſe gravius commovent; Miſtæ, ubi partim quies, partim tumultus ac trepidatio. Alii ſtatariam hic dici volunt, in qua populus quietus audiat, ſpectetque, ubi nihil turbæ fiat ac tumultus.

Sycophanta. De hac voce vide Andriam ſcen. 4. act. 5.

Mea cauſſa. Ordo eſt: inducite animum, perſuaſum habetote, mea cauſſa,

Nam nunc novas qui ſcribunt, nihil parcunt ſeni;
Si qua laborioſa eſt, ad me curritur:
Sin lenis eſt, ad alium defertur gregem:
In hac eſt puræ oratio; experimini,
In utramque partem ingenium quid poſſit meum.
Si nunquam avare pretium ſtatui arti meæ,
Et eum eſſe quæſtum in animum induxi maximum,
Quam maxime ſervire veſtris commodis.
Exemplum ſtatuite in me, ut adoleſcentuli
Vobis placere ſtudeant potius, quam ſibi.

in meam gratiam, qui ſenex ſum; eam cauſſam ſeu rationem petendæ veſtræ attentionis & ſilentii in ſtataria fabula, eſſe juſtiſſimam.

Gregem. Actorum turbam.

In utramque partem. In comœdia tum Stataria, tum Motoria.

Adoleſcentuli. Juniores actores.

Quam ſibi. Quam ſuis commodis ſtudere: malint eas agere fabulas, ubi plus capiatis voluptatis, quam ubi plus quæſtus ipſi faciant.

ACTUS

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

CHREMES, MENEDEMUS.

Menedemum, qui se opere faciendo cruciabat, Chremes offendit, & ab eo sui mœroris caussam esse rescit fugam filii, quem sua sævitia expulit.

C. QUamquam hæc inter nos nupera notitia adhuc modum est,
Inde adeo quod agrum in proxime hic mercatus es,
Nec rei fere sane amplius quidquam fuit:
Tamen, vel virtus tua me, vel vicinitas
(Quod ego in propinqua parte amicitiæ puto)
Facit, ut audacter moneam, & familiariter,
Quod mihi videre præter ætatem tuam
Facere, & præter quam res te adhortatur tua:
Nam, pro Deum, atque hominum fidem! quid vis tibi?
Aut quid quæris? annos sexaginta natus es,
Aut plus eo, ut conjicio: agrum in his regionibus
Meliorem, neque pretii majoris nemo habet:
Servos complures: proinde quasi nemo siet,
Ita tute attente illorum officia fungere.

Inde adeo. Ex hac maxime caussa, vel ob hanc unam caussam.

Rei. Caussæ.

In propinqua.... Quam vicinitatem puto esse proximam amicitiæ, & in propinquo amicitiæ loco: vicini enim proxime ad amicos accedunt, sunt amicis simillimi.

Videre. Videris.

Res. Utilitas, opes.

Quid vis tibi? Quid animi tibi est, quorum id facis?

Quasi nemo siet. Perinde quasi omnibus servis

Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi
Domum revertor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre; denique
Nullum remittis tempus, neque te respicis.
Hæc non voluptati tibi esse, satis certo scio.
At enim dices; Me, quantum hic operis fiat, pœnitet.
Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.
M. Chreme, tantumne est ab re tua otii tibi,
Aliena ut cures, eaque, nihil quæ ad te attinent?
C. Homo sum; humani nihil a me alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari puta,
Rectum est? ego ut faciam, non, ut deterream

vis careres: *fiet*, profit.

Ferre. Donatus ita legit hunc versum, *fodere, aut arare, aut aliquid facere denique*: quam lectionem probat & illustrat Ægidius Menagius, vir in omni eruditionis parte summus, in suis super hac fabula doctissimis & accuratissimis notis.

Remittis. Relaxationi & quieti concedis.

Respicis. Curas, foves.

At enim me... At enim hoc dices mihi, Menedeme, &c.

Pœnitet me. Id est, non mihi satisfacit: *quantum*, id est quodcumque operis fiat, nempe a servis meis, ita mihi videntur esse desidiosi & incurii.

Quod in. Responsio est ipsius Chremetis, diluentis quod objecit: si in tuis servis exercendis & ad opus aciendis tantum operæ ponas, quantum ipse ponis in labore rustico, plus multo proficias, plus promoveas.

Ab re. Adeone otiosus es? tantumne tibi a negotiis vacat?

Alienum. Ad me non aliquo modo attinens; hominis cujuslibet calamitates, meas, qui homo sum, esse puto.

Rectum est. Sententia est hæc: puta hæc a me dici vel discendi causa, vel etiam tui monendi: ut si quod facis, rectum est, idem faciam, te imiter, si non est rectum, ut ab eo faciendo te deterream.

Usus.

M. Mihi ſic eſt uſus: tibi ut opus eſt facto, face.
C. An cuiquam eſt uſus homini, ſe ut cruciet? *M.* mihi eſt.
C. Si quid laboris eſt, nollem: ſed quid iſthuc mali eſt?
Quæſo, quid de te tantum metuiſti? *M.* heu, hoi!
C. Ne lacryma; atque iſthuc, quidquid eſt, fac me ut ſciam.
Ne retice, ne verere; crede, inquam, mihi:
Aut conſolando, aut conſilio, aut re juvero.
M. Scire hoc vis? *C.* hac equidem cauſſa, qua dixi tibi.
M. Dicetur. *C.* at iſtos raſtros interea tamen
Depone, ne labora. *M.* minime. *C.* quam rem agis?
M. Sine me, vacuum tempus ne quod dem mihi
Laboris? *C.* non ſinam inquam. *M.* ah, non æquum facis.
C. Hui, tam graves hos quæſo? *M.* ſit meritum eſt meum.
C. Nunc loquere. *M.* filium unicum adoleſcentulum
Habeo: ah! quid dixi habere me? immo habui, Chreme.
Nunc, habeam necne, incertum eſt. *C.* quid ita iſthuc? *M.* ſcies.

Uſus. Conſuetudo; ita ſum aſſuetus: vel utilitas; ita me juvat facere.

Face. Pro fac, antique.

Laboris. Moleſtiæ, ærumnæ: ego ita ſum affectus, ut ſi quid laboris eſt in aliqua re, id nollem ultro & animi cauſſa ſuſcipere.

De te meruiſti. In quo de te tam male meritus es? cur tibi ipſe adeo infenſus es?

Fac me ut ſciam. Græca locutio: pro, fac ut ego ſciam.

Crede. Committe iſtud mihi, fac me participem.

Qua dixi. Nempe, ut vel te admoneam, vel te imiter, conſolerve.

Raſtros. Dicitur & raſtra.

Ne labora. Opus & laborem omitte.

Hos. Subaudi, raſtros, eorum pondus admiraps, eoſ-

Eſt e Corintho hic advena anus paupercula.
Ejus filiam ille amare cœpit perdite,
Prope jam ut pro uxore haberet: hæc clam me omnia.
Ubi rem reſcivi, cœpi non humanitus,
Neque ut animum decuit ægrotum adoleſcentuli,
Tractare; ſed vi, & via pervulgata patrum:
Quotidies accuſabam. Hem tibine hæc diutius
Licere ſperas facere, me vivo patre,
Peregrinam ut habeas prope jam in uxoris loco?
Erras, ſi id credis, & me ignoras, Clinia.
Ego te meum eſſe dici tantiſper volo,
Dum, quod te dignum eſt, facies: ſed, ſi id non facis,
Ego, quod me in te ſit facere dignum, invenero.
Nulla adeo ex re iſthuc fit, niſi ex nimio otio.
Ego iſthuc ætatis non his rebus operam dabam.
Sed in Aſiam hinc abii propter pauperiem, atque ibi
Simul rem, & gloriam armis belli reperi.
Poſtremo adeo res rediit, adoleſcentulus
Sæpe eadem, & graviter audiendo, victus eſt:
Putavit me ætate, & benevolentia
Plus ſcire, & providere, quam ſeipſum ſibi:
In Aſiam ad regem militatum abiit, Chremes.
C. Quid ais? *M.* clam me profectus, menſes tres abeſt.
C. Ambo accuſandi: etſi illud inceptum tamen
Animi eſt pudentis ſignum, & non inſtrenui.

eoſque attollens & verſans, ait: ſiccine hos tam graves tractas?

Humanitus. Clementer & benigne.

Me ignoras. Neſcis qui vir ego ſim, indolem meam ignoras.

Tantiſper. Tamdiu.

Iſthuc fit. Liberius vivis; ex otio tua iſta flagitia oriuntur.

Iſthuc ætatis. Subaudi, per, vel circa: ideſt, cum eram ea ætate, qua nunc es.

Adeo. Eo: huc recidit, id effeci meis querelis & minis.

Ad Regem. Perſarum, quem Græci *Regem*, ſeu *Magnum Regem* vocabant.

Inceptum. Tui filii factum:

M. Ubi comperi ex his, qui ei fuere conscii,
Domum revertor mœstus, atque animo fere
Perturbam, atque incerto præ ægritudine:
Adsido: accurrunt servi: soccos detrahunt.
Video alios festinare, lectos sternere,
Cœnam apparare: pro se quisque sedulo
Faciebat, quod illam mihi lenirent miseriam.
Ubi video hæc, cœpi cogitare: hem tot mea
Solius solliciti sunt caussa, ut me unum expleant?
Ancillæ tot me vestiant? sumptus domi
Tantos ego solus faciam? sed gnatum unicum,
Quem pariter ut his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea est,
Eum ego ejeci hinc miserum injustitia mea.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam: nam usque dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas injurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quærens, parcens, illi serviens.
Ita facio prorsus: nihil relinquo in ædibus,
Nec vas, nec vestimentum: corrasi omnia:
Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facile victum exercent suum,
Omnes produxi ac vendidi: inscripsi illico
Ædes: mercedem quasi talenta ad quindecim
Coegi: agrum hunc mercatus sum; hic me exerceo:

---

dum: quamquam ex hoc filii tui discessu conjicere est, eum adolescentem esse strenuum & verecundum, tui reverentem.

Soccos. Calceamenta humiliora & viliora.

Miseriam. Meam de filii discessu ægritudinem.

Expleant. Juvent, foveant.

Usque dum. Donec.

Facio. Ita facere cœpi, ut cogitaram; collegi omnem domesticam supellectilem, vasa, vestes, &c.

Corrasi. Collegi ut venderem, in pecuniam redegi.

Victum. Qui possent opere faciendo lucrari unde viverent.

Produxi. Publice proposui, nempe venales.

Inscripsit. Venales esse: scripto affixo declaravi.

Talenta ad 15. coegi. Id est,

Decrevi, tantiſper me minus injuriæ,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miſer;
Nec fas eſſe ulla me voluptate hic frui,
Niſi ubi illé huc ſalvus redierit meus particeps.
C. Ingenio te eſſe in liberos leni puto,
Et illum obſequentem, ſi quis recte aut commode
Tractaret: verum neque tu illum ſatis noveras,
Nec te illa: hoc ubi ſit, ibi non vere vivitur.
Tu illum, nunquam oſtendiſti, quanti penderes,
Nec tibi ille eſt credere auſus, quæ eſt æquum patri.
Quod ſi eſſet factum, hæc nunquam evenissent tibi.
M. Ita res eſt, fateor; peccatum a me maximum eſt.
C. Menedeme, at porro recte ſpero, & illum tibo
Salvum affuturum eſſe hic confido propediem.
M. Utinam Di ita faxint. *C.* facient: nunc, ſi commodum eſt,
Dionyſia hic ſunt; hodie apud me ſis volo.
M. Non poſſum. *C.* cur non? quæſo, tandem aliquanculum
Tibi parce; idem abſens facere te hoc vult filius.

eſt, collegi, redegi ex ædibus, ſervis, &c. venditis mercedem, id eſt, ſummam talentorum 15. hoc eſt libras Gallicas 37550. Talentum Atticum argenteum reſpondet libris noſtris Turonicis ſeu Francicis, ut vocant, 2550. aureum, duodecies tantum eſt.

Decrevi. Exiſtimavi.

Meus particeps. Qui jure partem meorum bonorum deberet ac felicitatis obtinere.

Vere vivitur. Candide, aperte, juſte: ſententia eſt: cum ignoti ſunt aliis alii, ea in domo non vivunt pater, filii, recte, quiete, & amice.

Credere. Communicare.

Dionyſia. Feſta Bacchi, qui Græce Διόνυσος appellatur: latina voce bacchanalia. *Sis*. Edas, epuleris.

Idem abſens; *&c.* Tuus filius abſens hoc idem a te poſtulat atque ego, nempe ut tibi parcas.

Ipſum.

M. Non convenit, qui illum ad laborem impulerim,
Nunc me ipsum fugere. *C.* siccine est sententia?
M. Sic est. *C.* bene vale: *M.* & tu.

Ipsum. Laborem.
Et tu. His dictis abit Menedemus vel domum suam, vel in aliam ulteriorem fundi sui partem domui vicinam, unde post paullo, nocte jam ingruente, domum se recipiat.

SCENA SECUNDA.

CHREMES.

Chremes Menedemi vicem dolet.

C. LAcrymas excussit mihi,
Miseretque me ejus: sed ut diei tempus est,
Monere oportet hunc vicinum Phaniam,
Ad cœnam ut veniat: ibo, ut visam, si domi est.
Nil opus fuit monitore: jamdudum domi
Præsto apud me esse ajunt: egomet convivas moror.
Ibo adeo hinc intro. Sed quid crepuerunt fores?
Hinc a me quisnam egreditur? huc concessero.

Ut diei. Quoniam dies inclinat in vesperam.
Nil opus. At non est opus, ut eum vocem, memini enim mihi a servulis dictum, illum jam domi meæ esse.
Concessero. Recedam tantisper a limite, hunc in angulum.

SCENA TERTIA.

CLITIPHO, CHREMES.

Audis Chremes a Clitiphone filio, Clinium Menedemi filium ex Asia rediisse, & domi suæ esse: gaudet, atque hinc occasionem filii admonendi sumit.

CL. Nihil adhuc est: quod vereare Clinia:
haudquaquam etiam cessant:
Et illam simul cum nuncio tibi hic ego affuturam hodie, scio.
Proin tu sollicitudinem istam falsam, quæ te
Excruciat, mittas. **CH.** Quicum loquitur filius?
CL. Pater adest, quem volui: adibo. Pater opportune advenit.
CH. Quid id est? **CL.** hunc Menedemum nostin' nostrum vicinum. **CH.** probe.
CL. Huic filium scis esse? **CH.** Audivi esse in Asia. **CL.** non est, pater,
Apud nos est. **CH.** quid ais? **CL.** venientem, e navi egredientem illico
Adduxi ad cœnam: nam mihi magna cum eo jam inde usque a pueritia

Nihil adhuc. Intus relictum Cliniam alloquitur Clitipho in theatrum egrediens tanquam in vicum, ut circumspiciat num veniant servi, ut patrem moneat de adventu Cliniæ, &c. Promiserat Cliniæ se facturum, ut sua ipsi Antiphila quam primum adduceretur, ideoque servos miserat eam accersitum. Noli trepidare, inquit, ac male metuere, o Clinia; servi mei ad Antiphilam adducendam missi nondum plus justo morantur, & scio, &c.

Cum nuncio. Id est, cum servo, quem misi ut mihi renuntiet ubi sit, an ventura sit, & quando, &c.

Quem volui. Quem quærebam, ideo enim fingitur egressus ut patri nuntiaret reversum esse Cliniam.

Apud nos. Id est, domi nostræ.

Am-

Semper fuit familiaritas. *CH.* voluptatem magnam nuncias.
Quam vellem Menedemum invitatum, ut hobiscum hodie esset amplius,
Ut hanc lætitiam nec opinanti primus ei objicerem domi!
Atque etiam nunc tempus est. *CL.* cave faxis: non est opus, pater.
CH. Quapropter? *CL.* quia enim incertum est etiam, quid se faciat: modo venit.
Timet omnia patris iram, & animum Antiphilæ se erga ut sit suæ.
Eam misere amat: propter eam hæc turba, atque abitio evenit. *CH.* scio.
CL. Nunc servulum ad eam in urbem misit, & ego nostrum una Syrum.
CH. Quid narrat? *CL.* Quid ille? se miserum esse. *CH.* miserum? quem minus credere est?
Quid reliqui est, quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bona?
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias:
Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:
Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.
CL. Immo ille fuit senex importunus semper: & nunc nihil magis

Amplius. Præter alios invitatos: vel, justiori quam unquam ante hac de caussa.

Tempus est. Ejus invitandi.

Quia enim. Istud *enim* abundat, & ornatui tantum servit.

Quid se faciat. Nempe Clinia: quid capiat consilii, quo se vertat.

Ut sit . . . . Quomodo sit affectus animus Antiphilæ erga se.

Hæc turba. Odium patris, filii metus & fuga.

Quem minus. Quin minus miser credi, quam ille, debet?

Est credere? Licet credere.

Atque. Attamen: Nihilominus.

Perinde sunt. Talia sunt, qualis est animus ea possidentis, id est, bona,

Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit pater.

CH. Illene? sed reprimam me: nam, in metu esse hunc, illi est utile.

CL. Quid tute tecum? *CH.* dicam: ut ut erat, mansum tamen oportuit.

Fortasse aliquando iniquior erat, præter ejus lubidinem

Pateretur... nam quem ferret, si parentem non ferret suum?

Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere? &

Quod illum insimulat durum, id non est: nam parentum injuriæ

Unjusmodi sunt ferme: paullo qui est homo tolerabilis:

Liberius nolunt vivere, nolunt crebro convivarier,

Præbent exigue sumptum, & ea sunt tamen ad virtutem omnia.

na, vel mala; grata, aut ingrata.

Plus satis. Asperius justo; plus quam sit satis, acerbum.

Illene? Ain'tu vero Menedemum filio molestum fore? longe est secus, cum hoc maxime dicturus esset, orationem abrumpit.

Sed. Dicit hoc tacitus, ut ne audiat clare Clitipho.

Reprimam me. Non pergam dicere id quod cœperam.

Nam, &c. Est enim utile Menedemo, esse Cliniam hunc in metu, & sibi a patre timere.

Quid tute... O pater, quid tacitus dicis.

Ut ut erat. Quomodocumq; res se haberet, quamvis pater esset atrocior, manendum tamen fuerat Cliniæ, non abeundum.

Pateretur. Pati debuit.

More. Voluntate.

Uniusmodi. Ejusdem generis sunt, eodem omnes pertinent ac spectant, nempe ut ad virtutem liberos erudiant.

Paullo. Si quis homo, id est, pater, est paullo tolerabilis, id est, lenior, commodior & humanior erga filios, si qui sunt inquam hujusmodi, illi nolunt filios liberius genio indulgere. Porro cum de uno dicere cœpisset Terentius, *paullo tolerabilis*, quasi multi essent, postea multitudinis verbum posuit, *nolunt*: hoc

Verum ubi animus semel se cupiditate devinxit mala,
Necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia : hoc
Scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.
CL. Ita credo. *CH.* ego ibo hinc intro, ut videam nobis quid cœnæ siet.
Tu, ut tempus est diei, vide sis, ne quo hinc abeas longius.

hoc interdum fit apud Latinos.

Verum, &c. Sententia, est. Etenim cum adolescens aliquis irretitus est mala cupiditate, & ejus consuetudine implicatus; necesse est ut vita omnis, actiones, consilia inquinentur hac mala ejus libidine, eamque redoleant, ex ea, ut rivuli turpes ex inquinato fonte, consequantur : ita probat recte facere patres qui liberorum cupiditates mala severe comprimunt.

Scitum est, &c. Hoc vulgo & recte dicitur, hoc prudenter fit, & perquam laudandum est; ex alienis peccatis sumere exemplum, periculum facere, quod periculum, quæ experientia tibi sit utilis; aliena vitia in rem nostram nobis & utilitatem vertenda.

Ut est, &c. Siquidem nox instat, & cœnæ tempus.

SCENA QUARTA.

CLITIPHO.

Clitipho de parentum in filios acerbitate queritur.

CL. QUam iniqui sunt patres in omnes adolescentes judices.
Qui æquum esse censent, nos jam a pueris illico nasci senes,
Neque illiarum affines esse rerum, quas fert adolescentia.

Affines rerum. Deditos iis oblectationibus.

Ex ſua libidine moderantur, quæ nunc eſt, non
quæ olim fuit.
Mihi ſi umquam filius erit, ne ille facili me utetur patre:
Nam & cognoſcendi, & ignoſcendi dabitur peccati locus.
Non ut meus, qui mihi per alium oſtendit ſuam ſententiam,
Perii, is mihi ubi adbibit plus paullo, ſuæque narrat facinora.
Nunc, ait, periculum ex aliis facito, tibi quod ex uſu ſiet:
Aſtutus! næ ille haud ſcit, quam mihi nunc ſurdo narret fabulam.
Magis nunc me dicta Bacchidis ſtimulant, Da mihi, atque affer mihi.
Cui quid reſpondeam, nihil habeo, neque me quiſquam eſt miſerior.
Nam hic Clinia, etſi is ſuarum rerum ſatagit, attamen
Habet bene ac pudice eductam: mea eſt potens,
Procax, magnifica, ſumptuoſa, nobilis,

Ex ſua libidine, &c. E ſuis moribus non iis quos olim habuere, cum eſſent adoleſcentes, ſed quos habent nunc cum ſunt ſenes, nos gubernant. *Libido*; eſt quælibet voluntas, maxime ſi temere ſuſcepta ſit.

Cognoſcendi, &c. Judices proprie dicuntur de criminibus cognoſcere: cognoſcam igitur quid peccaverit, & ignoſcam.

Non ut meus. Facit pater.

Per alium. Ex alterius peccato.

Perii. Enecat me narrando.

Adbibit. Paullo largius bibit.

Surdo, &c. Quam parum præclara hæc documenta audiam: multo me angunt ac ſtimulant magis voces iſtæ Bacchidis, pecuniam ſemper a me petentis. *Da mihi, &c. Surdo narrare fabulam*, eſt hominem non audientem admonere. Proverbium.

Satagit. Anxius eſt & ſollicitus, ut ne ipſi eripiatur Antiphila.

Re-

Tum, quod dem ei, recte est: nam nihil esse mihi, religio est dicere.
Hoc ego mali non pridem inveni; neque etiam dum scit pater.

Recte est. Nihil est mihi præter voces obsequii plenas, *recte*, *benigne*, pro donis quæ petit, do illi bona verba: respondeo illi unum, *recte*.
Religio. Metus.
Hoc mali. Bacchidem.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

CLINIA, CLITIPHO.

Clinia moras trahere longiores Antiphilam quæritur.

CLIN. SI mihi secundæ res essent, jamdudum venissent, scio.
CLIT. Etiam caves, ne videat forte hinc te a patre aliquis exiens.
CLIN. Faciam: sed nescio quid profecto mihi animus præsagit mali.
CLIT. Pergin' isthuc prius dijudicare, quem scis, quid veri siet?
CLIN. Si nihil mali esset, jam hic adessent.
CLIT. Jam aderunt. *CLIN.* quando isthuc erit?
CLIN. Non cogitas hinc longule esse? & nosti mores mulierum;

Venissent. Antiphila, & Bacchis.
Etiam caves. Quin autem caves? an ne etiam es monendus ut caveas?
A patre. E domo Menedemi tui patris.
Dijudicare. Certo judicio statuere, verum putare.
Longule esse. Ab eo loco, unde veniunt, ad Chremetis domum.
Mulierum. Surgunt, movent se, promovent, paparant, nugantur.

An-

Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt.
CLIN. o Clitipho,
Timeo. *CLIT.* reſpira: eccum Dromonem cum Syro, una adſunt tibi.

Annus eſt. Totus annus abit.

SCENA SECUNDA.

SYRUS, DROMO, CLINIA, CLITIPHO.

Clinia docetur a Syro, quemadmodum, ſe abſente, Antiphila vixerit: Bacchis, annuente vix Clitiphone, ad Menedemum deducitur quaſi ſe Cliniæ uxor foret.

S. AIn' tu? *D.* ſic eſt. *S.* verum interea dum ſermones cædimus,
Illæ ſunt relictæ. *CLIT.* mulier tibi adeſt, audin' Clinia?
CLIN. Ego vero audio nunc demum, & video, & valeo, Clitipho.
D. Minime mirum; adeo impeditæ ſunt, ancillarum gregem
Ducunt ſecum. *CLIN.* perii, unde illi ſunt ancillæ? *CLIT.* men' rogas?
S. Non oportuit relictas? portant quid rerum? *CLIN.* hei mihi!

Ain' tu. Fingitur reſpondere Syrus Dromoni, qui ab eo aliquid, quod ad mulieres ſpectaret, peticrat prius quam prodiret in ſcenam.

Cædimus. Locutio græca: cædere ſermones, κόπτειν λόγους, id eſt, miſcere, ſerere, dum colloquimur.

Relictæ. A tergo relictæ: eas antecellimus.

Tibi adeſt. Adventat Antiphila.

Minime mirum. Quod lentius venerint: quod eas antecellerimus.

Illæ. Antiphilæ.

Non oportuit, &c. Non debuimus illas ita præcedere, & incomitatas relinquere, quam multa enim ſecum por-

S. Aurum, veſtem, & veſperaſcit, & non noverunt viam :
Factum a nobis ſtulte eſt : abi tu, Dromo, illis obviam :
Propera : quid ſtas ? *CLIN.* væ miſero mihi, quanta de ſpe decidi !
CLIT. Quid iſthuc ? quæ res te ſollicitat autem ? *CLIN.* rogitas quid ſiet ?
Viden' tu ancillas, aurum, veſtem ? quam ego cum una ancillula
Hic reliqui : unde ea eſſe cenſes ? *CLIT.* vah, nunc demum intelligo .....
S. Di boni, quid turbæ eſt ? ædes noſtræ vix capient, ſcio.
Quid comedere ? quid bibent ? quid ſene erit noſtro miſerius ?
Sed video, eccos, quos volebam. *CLIN.* o Jupiter ? ubinam eſt fides ?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Collocupletaſti te, Antiphila, & me in his deſeruiſti malis,
Propter quam in ſumma infamia ſum, & meo patri minus ſum obſequens :
Cujus nunc pudet me, & miſeret, qui harum mores cantabat mihi,
Monuiſſe fruſtra, neque potuiſſe unquam ab hac me expellere :
Quod tamen nunc faciam : tum cum gratum mihi eſſe potuit, nolui :

portant, quæ illis eripi poſſent: nempe aurum, veſtes. Per auram intellige aurea ornamenta, quæ illis portanda dederat heræ.

Unde ea eſſe. Timet ne ab alio adoleſcente aureum & munera acceperit.

Intelligo. Video quid metuas, quid te angat.

Turbæ. Ubi videt Syrus Dromonem cum mulieribus appropinquantem, miratur multitudinem comitum ...

Quid comedent, &c. Quantum.

Eccos. Ecce illos, nempe Cliniam, & Clitiphonem.

Monuiſſe . . . Pudet me patris & miſeret, qui me toties fruſtra monuerit.

Cum gratum. Idoneum

Nemo eſt miſerior me. *S.* hic de noſtris verbis
erat videlicet,
Quæ hic ſumus locuti: Clinia, aliter iſtud at-
que eſt, accipis:
Nam & vita eſt eadem, & animus te erga idem,
ac fuit;
Quantum ex ipſa re conjecturam fecimus.
CLIN. Quid eſt obſecro? nam mihi nunc nihil
rerum omnium eſt,
Quod malim, quam me hoc falſo ſuſpicarier.
S. Hoc primum, (ut nequid hujus rerum igno-
res) anus,
Quæ eſt dicta mater eſſe ei antehac, non fuit:
Ea obiit mortem; hoc ipſa in itinere alteræ
Dum narrat, forte audivi. *CLIT.* quænam eſt
altera?
S. Mane: hoc, quod cœpi, primum enarrem,
o Clitipho;
Poſt, iſthuc veniam. *CLIT.* propera. *S.* jam pri-
mum omnium
Ubi ventum ad ædes eſt, Dromo pulſat fores:
Anus quædam prodit: hæc ubi aperuit oſtium,
Continuo hic ſe conjecit intro, ego conſequor;
Anus foribus obdit peſſulum, ad lanam redit.
Hinc ſciri potuit, aut nuſquam alibi, Clinia,
Quo ſtudio vitam ſuam te abſente exegerit,

ad gratſam patris mihi conciliandam.

Hic de noſtris verbis, &c. Errat Clinia, & putat alicui alteri nupſiſſe Antiphilam, propter verba noſtra: nempe quia dixerant Dromo & Syrus turbam, comitatum, &c.

Animus. Antiphilæ.

Ex ipſa re. Ex eo quod modo nobis accidit: ex ipſis Antiphilæ moribus & vita quotidiana.

Hoc . . . Nempe Antiphilæ animum erga me mutatum eſſe.

Hoc primum. Hoc primo loco tibi narro.

Hujus rerum, &c. Rerum Antiphilæ.

Non fuit. Ejus mater vere non fuit.

Alteræ. Alteræ mulieri.

Mane. Expecta.

Iſthuc. Ut dicam quæ ſit altera hæc mulier.

Obdit. Opponit: claudit fores peſſulo reducto.

Quo ſtudio . . . Qua in occupatione vitam ſuam Antiphila traduxerit.

Ubi,

Ubi de improviso est interventum mulieri.
Nam ea res dedit tum existimandi copiam
Quotidianæ vitæ consuetudinem,
Quæ, cujusque ingenium ut sit, declarat maxume.
Texentem telam studiose ipsam offendimus;
Mediocriter vestitam, veste lugubri,
Ejus anus causa opinor, quæ erat mortua;
Sine auro tum ornatam, ita uti quæ ornantur sibi:
Nulla mala re esse expolitam muliebri:
Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter: pax! *CLIN.* Syre mi, obsecro,
Ne me in lætitiam frustra conjicias. *S.* anus
Subtegmen nebat: præterea una ancillula
Erat, ea texebat una, pannis obsita,
Neglecta, immunda illuvie. *CLIT.* si hæc sum, Clinia,
Vera, ita uti credo, quis te est fortunatior?
Scin' hanc, quam dicit sordidatam & sordidam?
Magnum hoc quoque signum est dominium esse extra noxiam:

Ubi, &c. Siquidem de improviso illam adiimus & deprehendimus.

Nam ea res... Ex eo enim quod ita improvisi supervenimus, facile intelligere potuimus, quænam esset illius vita quotidiana, & consueta, quæ maxime ostendit hominum mores.

Ejus anus. Legitur & *anuis*, prisco more.

Ita uti... Ita ut faciunt mulieres, quæ sibi ornantur, id est, ut sibi solis placeant, non aliis.

Mala re muliebri. Pigmentis, fuco, gemmis, &c.

Pax. Hac vocula Clitiphonem exultantem & gestientem comprimit.

Subtegmen... In tela est stamen & substamen: seu substemen, & subtegmen; stamen est ordo filorum stabilis, rectus & longior; subtegmen est filum transversum, quod stamini interseritur.

Scin' hanc? Cogitasne de ancillula ista, quam dicit pannosam & incomptam fuisse?

Extra noxiam. Culpæ immunem, pudicam.

CLIN. Perge, obsecro te, & cave ne falsam gratiam
Studeas inire: quid ait, ubi me nominas?
S. Ubi dicimus rediisse te, & rogare uti
Veniret ad te, mulier telam deserit
Continuo, & lacrymis opplet os totum sibi,
Ut facile scires desiderio id fieri tuo:
CLIN. Præ gaudio (ita me Di ament) ubi sim, nescio:
Ita timui ...., *CLIT.* at ego nihil esse sciebam Clinia.
Agedum vicissim, Syre, dic quæ illa est altera.
S. Adducimus tuam Bacchidem. *CLIT.* hem, quid? Bacchidem?
Eho, sceleste, quo illam adducis? *S.* quo ego illam? ad nos scilicet.
CLIT. Ad patremne? *S.* ad eum ipsum. *CLIT.* o hominis impudentem audaciam!
S. Heus tu, non fit sine periculo facinus magnum & memorabile.
CLIT. Hoc vide, in mea vita tu tibi laudem is quæsitum, scelus:
Ubi si paullum modo quid te fugerit, ego perierim.
Quid illo facias? *S.* at enim. *CLIT.* quid, enim? *S.* si sinas, dicam. *CLIT.* sine.
CLIT. Sino. *S.* ita res est hæc nunc, quasi cum.... *CLIT.* quas, malum, ambages mihi

Falsam gratiam inire. Falsa dicere, ut mihi gratum facias.

Ita timui. Subaudi, ne quid narrares mihi quod nollem.

Nihil esse. Inanem esse metum tuum.

Non fit sine... Res magnæ arduæ sunt.

In mea vita, &c. In rebus quæ ad me spectant, & tam caræ mihi quam vita sunt, quæris locum præclari alicujus facinoris edendi.

Ubi. In quo.

Te fugerit. Te latuerit; si quid peccaveris.

Quid illo facias? Formula est accusandi & vituperandi: næ hominem inconsultum! quo servum tam ineptum reserves?

At enim. Subaudi, nihil est periculi, aut aliquid aliud.

Quasi cum. Explicaturus erat

Narrare occipit? *CLIN.* Syre, verum hic dicit, mitte: ad rem redi.

S. Enim vero reticere nequeo: multimodis injurius

Clitipho eſt, neque ferri potis eſt. *CLIN.* audiendum hercle eſt, tace.

S. Uxorem vis tibi manere; vis, quod des illi, effici:

Tuum tamen periculum eſſe non vis, haud ſtulte ſapis.

Si quidem id ſapere eſt, velle te id, quod non poteſt contingere.

Aut hæc cum illis ſunt habenda, aut illa cum his amittenda ſunt:

Harum duarum conditionum nunc utram malis, vide.

Ecſi conſilium, quod cepi, rectum eſſe & tutum ſcio.

Nam apud patrem tua Bacchis tecum ſine metu ut ſit copia eſt:

Tum, quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inveniam via:

Quod ut efficerem, orando ſurdas jam aures reddideras mihi:

Quid aliud tibi vis? *CLIT.* ſiquidem hoc ſit.... *S.* ſiquidem.... experiundo ſcies.

---

erat mentem ſuam aliqua ſimilitudine, ſed eum interpellat Clitipho?

Verum... Recte conqueritur de illa tua circuitione & ambagibus, illas omitte; veni ad rem de qua agitur.

Multimodis. Una vox: pluribus de cauſſis.

Tace. Audi illum, o Clitipho.

Effici. Colligi, corradi nummos alicunde, qui illi dentur.

Haud ſtulte ſapis. Non ineptus es: nimium ſapis.

Si quid. Si tamen.

Quod... quod fieri non poteſt.

Hæc. Iſta commoda.

Illis. Periculis.

Harum. Vel elige fructum cum periculo, aut nullum fructum, & nullum periculum.

Copia eſt. Facultas, poteſtas eſt.

Siquidem hoc ſit. Nihil aliud volo, modo ut id poſſis facere. Reſpondet

CLIT. Age age, cedo iſthuc tuum conſilium, quod id eſt? *S.* aſſimulabimus.
Tuam uxorem hujus eſſe. *CLIT.* pulchre; cedo, quid hic faciet ſua?
An ea quoque dicetur hujus, ſi una hæc dedecori eſt parum?
S. Immo ad tuam matrem abducetur. *CLIT.* quid eo? *S.* longum eſt Clitipho,
Si tibi narrem, quamobrem id faciam, vera cauſſa eſt. *CLIT.* fabulæ:
Nihil ſatis firmi video, quamobrem accipere hunc mihi expediat metum.
S. Mane, habeo aliud, ſi iſthuc metuis, quod ambo confiteamini
Sine periclo eſſe. *CLIT.* hujuſmodi obſecro aliquid reperi. *S.* maxime:
Ibo obviam hinc, dicam, ut revortantur domum. *CLIT.* hem!
Quid dixti? *S.* ademptum tibi jam faxo omnem metum,
In aurem utramvis otioſe ut dormias:

Syrus: dicis, *ſiquidem*, videris dubitare, ſcies ipſa experientia, nihil hic eſſe dubii aut periculi.

Huius eſſe, Cliniæ uxorem.

Quid hic faciet ſua? Quid Clinia faciet ſua uxore Antiphila, ſi quidem Bacchis dicetur eſſe illius uxor: cujus eam eſſe dicet? an dicetur eſſe quoque illius uxor, ut duas habeat?

Immo... Non modo non dicetur eſſe hujus uxor, ut etiam ab eo abſtrahenda & tuæ matri a nobis danda ſit.

Quid eo? Quo id conſilio? vel cur eo, ad matris domum ducetur.

Veræ. Certa mihi quædam & expedita ratio eſt rei conficiendæ.

Metum. Si Bacchis apud patrem ſit.

Obviam. Illis mulieribus.

Dicam ut.... Jocatur: dicam illis ut domum redeant ſuam, ita te metu eximam; otioſe dormies mulierculârum cura ſolutus.

In utramvis aurem.... Dormire in utramvis aurem, eſt, animo ſecuro & otioſo eſſe: quominus commode dormiunt, iis vulgo præcipitur ut in aurem dexteram & latus cubent: qui vero commodiſſime, ii modo in dextram, modo

CLIT. Quid ago nunc? *CLIN.* tunc? quod boni
est. *CLIT.* .... Syre, dic modo
Verum. *S.* age, modo: hodie sero: ac nequid-
quam voles.
CLIN. Datur, fruare, dum licet; nam nescias,
Ejus sit potestas posthac, an nunquam, tibi.
CLIT. Syre, inquam .... *S.* perge porro, tamen
isthuc ago.
CLIT. Verum hercle isthuc est Syre, Syre in-
quam, heus heus, Syre.
S. Concaluit: quid vis? *CLIT.* redi, redi. *S.* ad-
sum; dic, quid est?
Jam hoc quoque negabis tibi placere. *CLIT.* im-
mo, Syre,
Et me, & meum amorem, & famam permitto
tibi.
Tu es judex, ne quid accusandus sis, vide.
S. Ridiculum est, isthuc me admonere, Clitipho,
Quasi istic minor mea res agatur, quam tua:
Hic si quid nobis forte adversi evenerit,

do in siniſtram incum-
bunt.

Tune? quod boni est ... Tune petis a me quid agen-
dum tibi ſit? quod boni
datur & offertur modo, fruare dum licet: ea ſeries ora-
tionis eſt, quam cum incoe-
piſſet Clinia, interpellatur a Clitiphone, & Syro, nec
niſi uno verſu interjecto, abſolvit.

Dic modo verum, Redi (fingebat enim ſe abire mu-
lieribus obviam) & veram
illam cauſſam, cur hæc ita facienda putes, aperi mo-
do mihi.

Age modo. Audi me mo-
do, & quod conſulam, fac modo; nam ſi expectas
diutius, ſi expectas uſque ad hodiernam veſperam, ſero id ac fruſtra voles ſcire, aut perficere.

Inquam. Reddi & narra quid conſilii ſtruas.

Perge. Dubitare, me re-
vocare.

Isthuc ago. Obviam eo mulieribus, dicam ut re-
deant domum.

Verum eſt. Æquum dicis, & facis: tamen redi.

Concaluit. Hoc tacitus dicit: hominem commovi, ardet, æſtuat.

Jam hoc .... Video quid ſis dicturus, dices tibi non placere ut Bacchis domum ſuam revertatur.

Ne quid ... Ne quid pec-
ces, ne in gravius periculum me conjicias.

Tibi erunt parata verba; huic homini verbera;
Quapropter neutiquam hæc res neglectu eſt mihi.
Sed iſtum exora, ut ſuam eſſe adſimulet.
CLIN. Scilicet
Facturum me eſſe; in eum jam res redit locum,
Ut ſit neceſſe. *CLIT.* merito te amo Clinia.
CLIN. Verum illa ne quid titubet ..... *S.* perdocta eſt probe.
Sed heus tu videſis, ne quid imprudens tuas:
Patrem noviſti, ad has res quam ſit perſpicax?
Ego te autem novi, quam eſſe ſolcas impotens.
Inverſa verba, everſas cervices tuas,
Gemitus, ſcreatus, tuſſis, riſus, abſtine.
CLIT. Laudabis. *S.* videſis. *CLIT.* tutemet mirabere.
S. Sed quam cito ſunt conſecutæ mulieres?
CLIT. Ubi ſunt? cur retines? *S.* jam nunc hæc non eſt tua.
CLIT. Scio, apud patrem: at nunc interim ..... *S.* nihilo magis.
CLIT Sine. *S.* non ſinam inquam. *CLIT.* quæſo paullíſper. *S.* vero.

Huic homini. Mihi: hoc dicit ſcapulas ſuas oſtendens.

Neglectu. Pro, neglecti.

Iſtum. Cliniam.

Scilicet. Scire licet me hoc eſſe facturum; ſcilicet id faciam, meam eſſe adſimulabo hæc voecula *ſcilicet* cum infinitivo ſic interdum ſtruitur.

Titubet. Cave ne hæſitet, prodat ſe ſe, atque indicet ſe uxorem eſſe tuam.

Ruas. Offendas, pecces, te prodas ipſe.

Impotens. Quam parum ſis tui compos.

Inverſa. Amputata, non cohærentia, præpoſtera, vel, ambigua, & ancipitis ac dubiæ notionis.

Everſas. In alterutrum humerum inflexas.

Gemitus. Suſpiria.

Laudabis. Ita me geram ut merito me laudaturus ſis.

Conſecutæ. Aſſecutæ nes qui anteceſſeramus.

Cur retines? Quare prohibes ne obviam illis procurram?

Hæc, &c. Bacchis; eam tanquam alienam aſpice, ut inter nos convenit.

Scio, &c. Nempe, inquit, eam ut alienam habebo, cum erit

CLIT. Saltem salutare. *S.* abeas, si sapis.
CLIT. eo.
Quid isthic? *S.* manebit. *CLIT.* o hominem felicem. *S.* ambula.

erit domi nostræ, at nunc interim patere ut illam alloquar.

Salutare. Subaudi, fine, patere, ut eam salutem.

Isthic. Pro iste, nempe Clinia: subaudi, quid aget?

Ambula. Abi domum, hinc recede.

SCENA TERTIA.

BACCHIS, ANTIPHILA, CLINIA, SYRUS.

Laudat Bacchis Antiphilam; illis occurrit Clinia.

B. ÆDepol te, mea Antiphila, laudo, & tunatam judico,
Id cum studuisti, isti formæ mores ut consimiles forent.
Minimeque (ita me Di ament) miror, si te sibi quisque expetit.
Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio tua.
Et cum egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero,
Omniumque adeo vestrarum, volgus quæ ab se segregant:
Et vos esse istiusmodi, & nos non esse, haud mirabile est.
Nam expedit bonas esse vobis: nos, quibuscum sumus, non sinunt:

Ædepol. Per ædem Pollucis.

Oratio. Ex ipsa tua oratione, & pauculis, quæ tecum habui, verbis intellexi quam esse pudica & honesta indole.

Vestrarum omnium. Vestri

Quippe forma impulsi nostra nos illi colunt:
Hæc ubi imminuta est, illi suum animum alio conferunt.
Nisi prospectum interea aliquid nobis est, desertæ vivimus.
Vobis cum uno simul uni ætatem egere decretum est viro,
Cujus mos maxime est consimilis vostrum, hi se ad vos applicant:
Hoc beneficio utrique ab utrisque vero devinciminî;
Ut numquam ulla amicitiæ vestræ incidere possit calamitas,
A. Nescio alias; me scio quidem semper feciſſe sedulo,
Ut ex illius commodo meum compararem commodum. *C.* ah!
Ergo, mea Antiphila, tunc sola reducem me in patriam facis:
Nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves,
Præterquam tui carendum quod erat. *S.* credo. *C.* Syre, vix sustinco.
Hoccine me miserum non licere meo modo ingenio frui?

similium, quæ domi vos contineris, quæ modeste & seorsum vivitis.

Cujus mos . . . Cujus mores vestris congruunt.

Hi . . . . Locuta de uno fuerat, jam numerum multitudinis adhibet, id Latinis usitatum: ille vir fidem datam vobis servat, vos illi servatis: quo fidelitatis mutuæ beneficio utrique ab utrisque devincimini, & invicem augetur amicitia.

Nescio alias. Ignoro quid agant aliæ mulieres: ego quidem meam felicitatem ex hujus unius, cui addicta sum, felicitate metior.

Ah! ergo . . . Hoc dicit nondum ab Antiphila visus.

Præterquam quod. Hoc uno excepto quod te carerem.

Vix sustinco. Vix me contineo, quin illi prodeam obviam.

Hoccine . . . . Ordo est: heu non licere hoc ingenio frui me miserum meo modo? Mene esse tam miserum,

S. Immo, ut patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit.

B. Quisnam hic adolescens est, qui intuetur nos? *A.* ah retine me, obsecro.

B. Amabo, quid tibi est? *A.* disperii. *B.* perii misera, quid stupes Antiphila? *A.* videone Cliniam, an non? *C.* quem vides?

A. O mi expectate Clinia, salve. *C.* ut vales?

A. Salvum venisse gaudeo. *C.* videone te, Antiphila, maxime animo exoptatam meo?

S. Ite intro: nam vos jamdudum expectat senex.

ferum, ut non liceat mihi libere & meo modo hoc ingenium, id est tam bonos mores, tam pudicos, quales habet Antiphila, frui. *Fruor*, olim cum accusandi casu scribebatur: mene uxorem tam castam non posse habere? patre scilicet prohibente.

Habitum. Affectum, comparatum.

Duras. Subaudi, partes, res; diu molestiam tibi exhibebit, erit in mora, quominus uxorem Antiphilam habeas.

Retine me. Labentem, animo deficiente, sustine.

Stupes. Defixa corpore & animo torpes?

Ite intro. Bonam partem noctis ponunt in convivio actores omnes, præter Antiphilam & Sostratam, apud quam Antiphila erat in diversa ædium parte matronis attributa: alteram noctis partem collocant in somno Chremes & Menedemus; Syrus & Dromo in excogitandis technis; Clinia, Bacchis, & Clitipho partim in sermone, partim in ludo: ita continua est actio fabulæ, tametsi nox intercedat inter primam & extremam illius partem.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

CHREMES, MENEDEMUS.

Chremes Menedemo nuntius rediisse ex Asia filium, simulque ipsum, quid facto sit opus, monet.

C. LUcescit: hoc jam cesso pulsare ostium
Vicini? primum ex me ut sciat sibi filium
Rediisse, etsi adolescentem hoc nolle intelligo.
Verum cum videam miserum hunc tam excruciarier
Ejus abitu, celem tam insperatum gaudium,
Cum illi nihil pericli ex indicio fiet?
Haud faciam: nam quod potero, adjurabo senem,
Item ut filium meum amico atque æquali suo
Video inservire, & socium esse in negotiis,
Nos quoque senes est æquum senibus obsequi.
M. Aut ego profecto ingenio egregie ad miseriam

Lucescit. Pridie Chremes sub vesperam; eodem ferme tempore Clinia cum Bacchide & Antiphila domum Chremetis venerant, ubi, per Dionysia, celebratum erat convivium & productum ad multam noctem: postridie mane venit ad Menedemum Chremes; quæ omnia ita sunt temporibus dividenda, ut res tota intra spatium horarum 24. peragatur, hoc enim spatium Actioni Comicæ præstitutum est ab Aristotele, ut intra solis unius periodum sive circuitionem absolvatur, vel absolvi possit.

Hoc jam. Nonnulli hæc verba non referunt ad ostium, quæ vox proxime sequitur, sed jungunt cum lucescit. *Lucescit hoc jam*: subaudiendo cælum, vel illud potius oculis & gestu indicando, ut fit.

Illi. Cliniæ.

Haud faciam. Non celabo.

Obsequi. Gratificari.

Diem.

Natus ſim, aut illud falſum eſt, quid vulgo audio
Dici, diem adimere ægritudinem hominibus.
Nam mihi quidem quotidie augeſcit magis
De filio ægritudo, & quanto diutius
Abeſt, magis cupio tanto, & magis deſidero.
C. Sed ipſum foras egreſſum video: adibo, alloquar:
Menedeme, ſalve: nuncium apporto tibi,
Cujus maxume te fieri participem cupis.
M. Nunquidnam de gnato meo audiſti, Chreme?
C. Valet, atqui vivit. M. ubinam eſt quæſo? C. apud me domi.
M. Meus gnatus? C. ſic eſt. M. venit? C. certe. M. Clinia
Meus venit? C. dixi. M. eamus; duc me ad eum obſecro.
C. Non volt te ſcire ſe redliſſe etiam: & tuum
Conſpectum fugitat ob peccatum: tum hoc timet,
Ne tua duritia illa antiqua, etiam adaucta ſit.
M. Non tu ei dixiſti, ut eſſem? C. non. M. quamobrem, Chreme?
C. Quia peſſume iſthuc in te, atque in illum conſulis,
Si te tam leni, & victo eſſe animo oſtenderis.
M. Non poſſum: ſatis jam, ſatis pater durus fui. C. ah,
Vehemens in utramque partem Menedeme es nimis,
Aut largitate nimia, aut parſimonia.

Diem. Spatium temporis & diuturnitatem.

Ob peccatum. Quod uxorem te invito ducere voluerit.

Ut eſſem. Quali eſſem animo, ut affectus forem, ut mutatus.

Vehemens. Imponens, modum non tenes.

Fran-

In eamdem fraudem ex hac re, atque ex illa, incides.
Primum, olim potius, quam paterere filium
Commeare ad mulierculam, quæ paullulo
Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Protebruisti hinc: ea coacta, ingratiis
Post illa cœpit victum aliunde quærere.
Nunc, cum sine magno interitimento non potest
Haberi, quidvis dare cupis; nam ut tu scias,
Quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem sit;
Primum, jam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste, atque auro; satrapes si siet,
Sufferre nunquam quisquam ejus sumptus queat,
Nedum tu possis. *M.* estne ea intus? *C.* sit rogas?
Sensi: nam ei unam cœnam, atque ejus comitibus
Dedi: quod si iterum mihi sit danda, actum siet.
Nam ut alia omittam, pitissando modo mihi,
Quid vini absumpsit? sic, hoc, dicens, asperum.
Pater, hoc est, aliud lenius, sodes, vide.

Fraudem. Periculum & incommodum.
Ex hac re. Parsimonia, duritia.
Ex illa. Largitate & indulgentia.
Paullulo. Exiguo sumptu.
Proterruisti. Abire territum coegisti.
Ingratiis. Invita, necessitate compulsa.
Interitimento. Detrimento tuo.
Ad perniciem. Ad familias totas exauriendas, & fortunis evertendas.
Satrapes. Tam dives quam Satrapa. Erant Satrapæ proceres & præfecti provinciarum apud Persas, iique vulgo ditissimi.
Nedum. Multo minus.
Actum siet. Perierim: ad inopiam redigar plane.
Pitissando. Leviter degustando vinum, tentandi gratia, quod fit hauriendo identidem, mox expuendo, &c.
Vide. Affer, prome.

Re-

Relevi dolia omnia, omnes ſerias:
Omnes ſollicitos habui: atque hæc una nox:
Quid te futurum cenſes, quem aſſidue exedent?
Ita me Di amabunt, ut tuarum miſeritum eſt,
Menedeme, fortunarum. *M.* Faciet quodlibet,
Sumat, conſumat, perdat; decretum eſt pati:
Dum illum modo habeam mecum. *C.* ſi certum eſt tibi
Sic facere; illud permagni referre arbitror,
Ut neſcientem ſentiat te id ſibi dare.
M. Quid faciam? *C.* quidvis potius, quamquod cogitas;
Per alium quemvis ut des, falli te ſinas
Technis per ſervulum: etſi ſubſenſi id quoque,
Illos ibi eſſe: & id agere inter ſe clanculum.
Syrus cum illo veſtro conſuſurrat; conferunt
Conſilia adoleſcentes: & tibi perdere
Talentum hoc pacto ſatius eſt, quam illo, minam.
Non nunc pecunia agitur; ſed illud, quomodo
Minimo periclo id demus adoleſcentulo.
Nam ſi ſemel tuum animum intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, & prius

Relevi. Reſignavi, aperui. dolia veterum erant ferme fictilia: iis impoſitum erat operculum & oblitum pice, gypſo ... *Relinere*, eſt ſolvere quod erat oblitum & aſtrictum.

Serias. Seria eſt vas vinarium, teſta fictilis, oblonga.

Omnes. Subaudi, ſervos: omnes mei ſervi fuerunt ad eam cœnam parandam occupati, & ſollicitati: & hæc una tamen nox eſt, ac cœna: quid fiet multis diebus, & noctibus? equidem me tui jam miſeret, cum video fortunas tuas & bona dilapidanda.

Ut des. Subaudi, auctor tibi ſum.

Ibi eſſe. In eo verſari, ut te fallant.

Illo veſtro. Dromone.

Conferunt. Miſcent inter ſe, & agitant.

Talentum. Vide ſcen. 1. act. 1.

Quam illo. Si tu ultro des.

Minam. Vide Phormionem. Mina una reſpondet libris Turonicis 40.

Agitur. Non id eſſe debes ſollicitus, quid pecuniæ des filio, ſed quomodo des.

Proditurum. Prodige & effuſe daturum, amiſſurum.

Amit-

Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium: hui!
Quantam feneſtram ad nequitiam patefeceris?
Tibi autem porro ut non ſit ſuave vivere,
(Nam deteriores omnes ſumus licentia.)
Quodcumque inciderit in mentem, volet; neque id
Putabit pravum, an rectum ſiet, quod petet:
Tu rem perire, & ipſum, non poteris pati.
Dare denegaris, ibit ad illud illico,
Quo maxume apud te ſe valere ſentiet:
Abitnrum ſe abs te eſſe illico minabitur.
M. Videre verum, atque ita uti res eſt, dicere.
C. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quæro, tibi qui filium reſtituerem.
M. Cedo dexteram: porro te idem oro ut facias, Chreme.
C. Paratus ſum. *M.* Scin' quid nunc facere te volo?
C. Dic. *M.* quod ſenſiſti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere: cupio illi dare,
Quod volt; cupio ipſum jam videre. *C.* operam dabo,
Syrus eſt prehendendus, atque adhortandus mihi.
A me neſcio quis exit: concede hinc domum,
Ne nos inter nos congruere ſentiant:

Amittas. Dimittas, abire iterum ſinas.

Tibi porro. Senſus eſt: ita nequam & improbus iſta tua licentia evadet filius tuus, ut tibi vitam molestam tuis flagitiis & infuavem facturus ſit.

Rem. Pecuniam.

Denegaris. Quod ſi recuſaveris illi dare: ſubaudi, pecuniam.

Ibit ad illud. Ad illam artem continuo recurret, id dicet, &c.

Putabit. Secum reputabit, videre curabit.

Videre. Videris mihi.

Cedo. Ut amici & qui quid pollicentur, ſolent.

A me. Mea domo.

Concede. Abi, domum tuam recipe.

Ne congruere. Ne conſilia

Paullum hoc negoti mihi obstat; Simus, & Crito
Vicini nostri hic ambigunt de finibus,
Me cepere arbitrum: ibo, ac dicam, ut dixeram,
Operam daturum me hodie, non posse his dare.
Continuo hic adero. *M.* ita quæso: Di vostram fidem!
Itane comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena melius ut videant, & dijudicent,
Quam sua? an eo fit, quia in re nostra, aut gaudio
Sumus præpediti nimio, aut ægritudine?
Hic mihi quanto nunc plus sapit, quam egomet mihi!
C. Dissolvi me ocyus, operam ut tibi darem.

filia nos communicasse sentiant servi nostri & filii, hoc demissa voce dicit.

Paullum hos ... Ego Syrum alloqui modo non possum: obstat mihi, impedit me quo minus hoc faciam negotium & iis quædam quæ vicinis intercedit de agrorum suorum finibus & limitibus, cujus me arbitrum elegerunt.

Ibo, ac dicam, operam, &c. Me illis hodie operam non posse dare; id est, ad istam litem componendam adesse; *ut dixeram*, nempe, me operam illis daturum, me istam litem amice dijudicaturum hodie. abit postea Chremes in vicinam domum, interim expectat Menedemus, secum aliquid cogitans.

Dissolvi me. Expedivi me cito a vicinis, in aliam diem illis condixi, ut vacarem tuo negotio per otium: abit Menedemus: legunt nonnulli, *Dissolvi me, otiosus operam ut tibi darem.*

SCENA SECUNDA.

SYRUS, CHREMES.

Syrus, adhortante Chremete, ad pecuniam a Menedemo auferendam se comparat: in quo lepide Chremes ipse decipitur.

S. HAC illac circumcursa, inveniendum est tamen
Argentum; intendenda in senem fallacia.
C. Num me fefellit, hosce id struere? videlicet
Est ille Cliniæ servus tardiusculus,
Idcirco huic nostro tradita est provincia.
S. Quis hic loquitur? perii, numnam hæc audivit? *C.* Syre. *S.* hem.
C. Quid tu isthic? *S.* recte, equidem te demiror, Chreme,
Tam mane, qui here tantum biberis. *C.* nihil nimis.
S. Nihil, narras? visa vero est, quod dici solet,
AQUILÆ SENECTUS. *C.* eja .... *S.* mulier commoda; &

Circumcursa.. In omnes te partes & artes verte: se ipse alloquitur.

Ille. Dromo Cliniæ servulus paullo ad fraudes excogitandas est tardior.

Provincia.. Argenti inveniendi cura.

Recte. Id est, nihil; nihil ago isthic: cum negare aliquid aperte nolebant, aut si mollius negatum vellent, dicebant, *recte*.

Tam mane. Subaudi, domo prodire.

Here. Pro, heri.

Nihil nimis. Non nimis bibi.

Nihil narras? Dicis te nihil nimis fecisse, non nimis admodum bibisse? ego vero mihi revocabam in memoriam illud proverbium: *Aquilæ senectus*: cum te bibere largius viderem.

Aquilæ senectus. Ait Plin. lib. 10. c. 3. Aquilam, ubi senescit, pene emori fame, quod rostri pars superior adeo accrescat, ut rostrum satis aperire non possit: unde cogitur cadaverum sanguinem sugere, & eo tantum vesci: plus igitur bibit, quam edat. Hinc natum proverbium in senes bibaces.

Eja.. Parce tu vero plura.

Ari-

Perquam faceta est. *C.* sane idem visa est mihi.
S. Minimeque miror, Clinia hanc si deperit:
Sed habet patrem quemdam avidum, miserum, atque aridum,
Vicinum hunc: nostin', an quasi is non divitiis
Abundet, gnatus ejus profugit inopia.
Scin' esse factum, ut dico? *C.* quid ego nesciam?
Hominem pristino dignum. *S.* quem? *C.* isthunc servulum
Dico adolescentis. *S.* Syre, tibi timui male.
C. Qui passus est id fieri. *S.* quid faceret? *C.* rogas?
Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
Unde esset adolescenti quod uxori daret:
Atque hunc difficilem invitum servaret senem:
S. Garris. *C.* hæc facta ab illo oportebant, Syre,
S. Eho quæso, laudas qui heros fallunt? *C.* in loco
Ego vero laudo. *S.* recte sane. *C.* quippe quia
Magnarum sæpe id remedium ægritudinum est;
Jam huic mansisset unicus gnatus domi.
S. Jocone, an serio illæc dicat, nescio:
Nisi mihi quidem addit animum, quo libeat magis.
C. At nunc quid expectat, Syre? an, dum hinc denuo
Abeat, cum tolerare hujus sumptus non queat?

Aridum. Jejunum, parcum.

Quid ego nesciam? Quasi vero id ignorem?

Pistrino. In pistrinum detrudebantur servi nequam, ut ibi molas verarent: næ ille est pistrino dignus.

Isthunc. Dromonem.

Syre ... Se alloquitur: metuebam ne diceres me pistrino dignum.

Id fieri. Fugere Cliniam: parum astutus ille Dromo est, qui non impedierit quominus id accideret.

Servaret. Mœrore & luctu, quem ob filii absentiam cœpit, liberaret.

Garris. Joco hæc dicis.

In loco. Cum res postulat.

Nisi ... Sed tamen, ut ut est, accendit me quare cupiam magis ipsum fallere.

Expectat. Dromo.

Hujus. Mulieris, quam uxorem invito patre habet.

Nonne ad ſenem aliquam fabricam fingit? *S.* ſtolidus eſt.

C. At te adjutare oportet adoleſcentuli
Cauſſa. *S.* facile equidem facere poſſum, ſi jubes:
Etenim, quo pacto id fieri ſoleat, calleo.
C. Tanto hercle, melior. *S.* non eſt mentiri meum.
C. Fac ergo. *S.* at, heus tu, facito dum eadem hæc memineris,
Si quid hujus ſimile forte aliquando evenerit,
Ut ſunt humana, tuus ut faciat filius.
C. Non uſus veniet, ſpero. *S.* ſpero hercle ego quoque:
Neque eo nunc dico, quod quidquam illum ſenſerim....
Sed ſi quid, ne quid: quæ ſit ejus ætas vides:
Et næ ego te (ſi uſus veniat) magnifice, Chreme,
Tractare poſſim! *C.* de iſthoc, cum uſus venerit,
Videbimus quid opus ſit: nunc iſthuc age.
S. Nunquam commodius unquam herum audivi loqui,
Nec, cum malefacere credere mihi impunius
Licere: quiſnam a nobis egreditur foras?

Fabricam. Fallaciam, machinam.

Tanto melior. Id eſt, laudo te, macte animo.

Non eſt mentiri meum. Præſto quod polliceor: fallo, & fallaciam ſtruo, cum id promiſi.

Facito dum. Dum, abundat, & jungi debet cum facito, ut in *agedum*, *dicdum*.

Si quid, *&c.* Ordo eſt: ſi forte evenerit, tuus ut filius faciat aliquid ſimile hujus; nempe, idem peccet quod Clinia, ut eſt magna rerum humanarum varietas, ut ſit.

Uſus veniat. Continget dicitur & uſuveniet.

Senſerim. Subaudi, moliri.

Sed ſi quid. Subaudi, acciderit.

Nequid. Subaudi, ſuccenſeas mihi.

Tractare. Tibi inſignem aliquam fabricari fallaciam. Dicit hoc voce demiſſa.

Nec cum, *&c.* Sententia eſt: nec fuit ullum tempus, cum mihi crederem magis impune licere male facere, quam nunc.

SCE-

SCENA TERTIA.

CHREMES, CLITIPHO, SYRUS.

Clitiphonem increpat Chremes quod inter vina parum decore ac temperanter se gesserit: laudat Chremetem Syrus, & Clitiphonem extrudit.

CH. QUid isthuc, quæso? qui isthic mos est, Clitipho? itane fieri oportet?
Vel heri in vino quam immodestus fuisti? S. factum.
CH. Quam molestus? ut equidem (ita me Di ament) metui quid futurum denique esset,
At certe concedas aliquo ab ore hominum aliquantisper:
Multa fert libido: ea prohibet facere tua præsentia: ego de me
Facio conjecturam; nemo est meorum amicorum hodie,
Apud quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam.
Apud alium, prohibet dignitas, apud alium, ipsius facti piget;

In vino. In convivio.

Factum. Ita est: verum dicit pater tuus, o Clitipho.

Denique. Quo evasura esset tua immodestia & petulantia, ne in rixam & jurgium aliquod erumperet.

Concedas. Concedendum, abeundum est, vitanda hominum præsentia; si quid moliris petulantius, saltem clam id facias, non coram, in convivio.

Multa fert libido. Ipse Clinia multa posset facere pro libidine liberius, quæ tamen, quia ades, non facit; idem facere te par est, ac modestius coram illo agere, non liberius cum ejus uxore (Bacchidem enim Clinia uxorem putabat esse) jocari, ut in vino fecisti.

Occulta. Cujus in oculis omnia facere ausim, quæ clam facere non verear, si solus sim.

Facti. Fei occultæ meæ,

quam

Ne ineptus, ne protervus videar: quod illum facere credito.
Sed noſtrum eſt intelligere, utcumque, atque ubicumque opus ſit, obſequi.
S. Quid iſthic narrat. *CL.* perii. *S.* Clitipho, hæc ego præcipio tibi;
Hominis es frugi & temperantis functus officium. *CL.* tace, ſodes.
S. Recte ſane. *CH.* Syre pudet me. *S.* credo, neque id injuria:
Quin, mihi moleſtum eſt. *CL.* pergin' hercle? *S.* verum dico, quod videtur.
CL. Nonne accedam ad illos? *CH.* eho, quæſo, una accedendi via eſt?
S. Actum eſt; hic prius ſe indicarit, quam ego argentum effecero. Chreme,
Vin' tu homini ſtulto mihi auſcultare? *CH.* quid faciam? *S.* jube hunc

quam non ſatis honeſte in oculis amici dici aut fieri poſſe putem.

Illum. Cliniam: exiſtimare debes Cliniam id facere, adeoque idem a te fieri oportere.

Utcumque. Quomodocumque . . .

Obſequi. Accommodare nos hominum ingeniis & moribus, nihil facere, quod amico diſpliceat.

Iſthic. Iſte, audin' Clitipho quam recte moneat pater.

Præcipio tibi. Sæpe eadem te moneo.

Hominis. Ironia. Sane o Clitipho, in eo te geſſiſti ut hominem frugi & temperantem decet.

Recte ſane. Tacebo ſane: ironia; immo vero loqui pergam.

Pudet me. Immodeſtiæ & intemperantiæ filii.

Verum dico. Dico quod mihi verum videtur.

Nonne accedam? Eſt ne flagitium, ſi ego cum Clinia, & Bacchide ſim? nempe (reſpondet Chremes) non eſt alia via, alius modus eum illis verſandi quam iſte tuus, plenus immodeſtiæ & petulantiæ?

Actum eſt. Periit mea fallacia; non potero dolum, quem excogitavi, perficere: hoc demiſſa voce loquitur.

Se indicarit. Dicet aliquid, unde cognoſcat Chremes Bacchidem filii uxorem eſſe, non vero Cliniæ.

Vin' tu. Clare hoc dicit. An moleſte ferres conſilium, quod ego, licet parum ſapiens, tibi daturus ſum?

Iſtor-

Abire hinc aliquo. *CL.* quo ego hinc abeam? *S.* quo hinc abeas? quo lubet.
Abi deambulatum. *CL.* deambulatum, quo? *S.* vah, quasi desit locus:
Abi sene isthac, istorsum, quovis. *CL.* recte dicit: censeo.
CL. Di te tradicent Syre, qui me isthinc extrudis. *S.* at tu pol, Clitipho,
Posthac, si sapis, te comprime.

Istorsum. In istam partem.

SCENA QUARTA.

CHREMES, SYRUS.

Syrus Chremeti aperit dolum a se fabricatum.

S. CEnsen' vero? quid illum porro credis facturum, Chreme,
Nisi eum, quantum Di dant tibi opis, servas, castigas, mones?
C. Ego isthuc curabo. *S.* atqui nunc, here, hic tibi asservandus est.
C. Fiet. *S.* si sapias: nam mihi jam minus minusque obtemperat.
C. Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti Syre? aut
Reperisti tibi quod placeat, an nondum etiam? *S.* de fallacia
Dicis? st: inveni nuper quamdam, *C.* frugi es; cedo quid id est?

Censen'. Quid censes? quid tibi videtur?
Illum. Clitiphonem.
Opis. Facultatis, auctoritatis.
Asservandus. Observandus.
De illo. De illa fallacia in Menedemum fabricanda.
St. Vocula silentium & attentionem imperans.
Quamdam. Fallaciam.

S. Dicam: verum, ut aliud ex alio incidit....
C. quidnam, Syre? *S.* peſſuma hæc
Eſt mulier. *C.* ita videtur. *S.* immo, ſi ſcias....
Vah! vide quod inceptet facinus. Fuit quædam anus Corinthia
Hic; huic drachmarum hæc argenti utile dederat mutuum.
C. Quid tum? *S.* ea mortua eſt: reliquit filiam adoleſcentulam;
Ea relicta huic arraboni eſt pro illo argento. *C.* intelligo.
S. Hanc ſecum huc adduxit, eaque eſt nunc ad uxorem tuam.
C. Quid tum? *S.* Clinia orat, ſibi uti nunc det illum: illi tamen
Poſt daturum mille nummum poſcit. *C.* & poſcit quidem? *S.* hui,

Ut aliud, &c. Ut aliud ex alio cognoſcitur, verum eſt hanc mulierem eſſe peſſimam, hoc ex ejus ſumptu & protervia facile ſum ſuſpicatus.

Si ſcias... Subaudi, multo magis id ditas, mirere & ſtupeas magis.

Drachmarum mille. Id eſt, ad Gallicæ monetæ rationem, libras Turonicas admodum 175. ſi quidem una drachma, ut in Andria diximus, valet aſſes 3. cum ſemiſſe.

Ea relicta, &c. Filia: hæc adoleſcentula relicta eſt a matre Philtera huic, id eſt, Bacchidi, & idcirco data Bacchidi ut illi eſſet pro pignore & arrabone; hanc ſecum Bacchis adduxit, eſtque nunc cum tua uxore.

Arraboni. Pignori, ad cautionem ſummæ non ſolutæ.

Ad uxorem. Cum uxore tua Soſtrata nunc verſatur Antiphila: nempe non erat cum Bacchide, ſed ad Cliniæ matrem, ut actu 2. dictum eſt, deducta fuerat.

Clinia orat. Orat Bacchidem Clinia ut ſibi nunc det illam puellam, nempe Antiphilam: ſe illi tamen daturum poſtea pollicetur mille nummos: ea vox, *poſcit*, hoc in loco ſignificat, promittit, offert. Vide Plaut. In Merc. act. 2. ſc. 3. ubi eo ſenſu ponitur.

Mille nummum. Mille Drachmas; nummus enim pro drachma ſæpe uſurpatur.

Et poſcit quidem? Itane vero eſt? tantumne argenti promittit Clinia? an dubi-

Dubiumne id eſt? *C.* ego ſic putavi: quid nunc facere cogitas?

S. Egone? ad Menedemum ibo: dicam hanc eſſe captam e Caria,

Ditem, & nobilem: ſi redimat, magnum ineſſe in ea lucrum.

C. Erras: *S.* quid ita? *C.* pro Menedemo nunc tibi ego reſpondeo;

Non emo: quid ais? *S.* optata loquere. *C.* atqui non eſt opus.

S. Non opus eſt? *C.* non hercle vero. *S.* quid iſthuc? miror. *C.* jam ſcies.

Mane, mane; quid eſt, quod tam a nobis graviter crepuere fores?

bitas, inquit, Syrus, ignoraſne juvenis prodigalitatem?

Putavi. Non dubitavi quin id promiſſum foret. Poteſt ita legi locus iſte difficillimus. Cliniam orat (Bacchis) ſibi uti id (nempe, argentum, hanc ſummam) nunc det: illam illi tamen poſt daturam. (Se tamen poſtea daturam Cliniæ, illam Antiphilam, poſt argentum, ſcilicet ab eo acceptum) mille nummum poſcit? (itaque poſcit a Clinia mille nummum.) *C.* & poſcit quidem? itane vero tantam ſummam petit?) *S.* hui! dubium id eſt? *C.* ego ſic putavi: non miror id ab muliere procaci poſtulari: ſed tu quid cogitas?

Caria. Eſt regio Aſiæ minoris.

Non emo. Non cenſeo emendam: Non emet Menedemus, ego id ejus nomine tibi renuntio.

Non eſt opus. Tibi dicere plura; rationem, cur eam non ſit empturus Menedemus, afferre.

SCENA QUINTA.

SOSTRATA, CHREMES, NUTRIX.

Antiphila Chremetis esse filia agnoscitur: hinc jurgium inter Chremetem & Sostratam, & nova Syri fallacia.

SO. NIsi me animus fallit, hic profecto est annulus, quem ego suspicor;
Is, quicum exposita est gnata. *C.* quid volt sibi, Syre, hæc oratio?
SO. Quid est? is ne tibi videtur? *N.* dixi equidem, ubi mihi ostendisti, illico
Eum esse. *SO.* at ut satis contemplata modo sis, mea nutrix. *N.* satis.
SO. Abi jam nunc intro: atque, illa si jam laverit, mihi nuntia:
Hic ego virum interea opperibor. *SO.* te volt, videas, quid velit:
Nescio quid tristis est: non temere est; metuo, quid sit. *C.* quid siet?
Næ ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit.

Exposita. Chremes olim mandaverat uxori suæ Sostratæ, ut si puellam pareret, eam ne aleret, sed exponeret. Sostratam recens natam Antiphilam exponendam dedit vetulæ cuidam, cui nomen Philtera; simul annulum apposuit, unde, si casus ferret, agnosci a cognatis posset: servavit puellam anus, & eduxit pro sua. Licebat autem per leges Ethnicis parentibus liberos vel servare vel interficere.

Is ne. Nonne, o nutrix, tibi esse ille idem annulus videtur, quem cum filia mea exposui.

At ut... Id est, modo ut: ea lege credam tibi, si contemplata, &c.

Illa... Si Antiphila e balneo exierit.

Opperibor. Pro, opperiar. expectabo.

Temere. Sine causa.

Quid siet? An vero tu metuis ne ob aliquam gravem

vem

SO. Ehem, mi vir. *C.* ehem, mea uxor. *SO.* te ipſum quæro. *C.* loquere quid velis.
SO. Primum hoc te oro, ne quid credas me adverſus edictum tuum
Facere eſſe auſam. *C.* vin' me iſthuc tibi (etſi incredibile eſt) credere?
Credo. *ST.* neſcio quid peccati portet hæc purgatio.
SO. Meminiſtin' me eſſe gravidam, & mihi te magnopere interminatum,
Si puellam parerem, nolo tolli? *C.* ſcio quid feceris:
Suſtuliſti. *SO.* ſic eſt factum. *C.* Domin'? *ST.* Ergo herus damno auctus eſt.
SO. Minime, ſed hic erat anus Corinthia haud impura: ei dedi
Exponendum. *C.* o Jupiter! tantam ineſſe animo inſciriam?
SO. Peti, quid ego feci? *C.* rogitas? *SO.* ſi peccavi, mi Chreme,
Inſciens feci. *C.* id equidem ego, etiamſi tu neges, certo ſcio,
Te inſcientem, atque imprudentem dicere, ac facere omnia:
Tot peccata in hac re oſtendis: nam jam primum, ſi meum

vem cauſſam triſtis Soſtrata ſit?

Edictum. Imperium, quo Chremes filiam exponi juſſerat.

Purgatio. Excuſatio: & præfatio iſta videtur indicare aliquid eſſe peccatum a Soſtrata.

Tolli. Educari.

Domin'. An domi eam ali juſſiſti?

Damno auctus. Affectus novo damno eſt, nempe ob ſumptus, qui erunt illi faciendi, ad ornandam, locandam, & dotandam filiam, quos ut fugeret Chremes eam mori malu rat.

Minime. Non reſpondet Syro Soſtrata, ſed Chremeti. Non alui eam domi, ſed anui dedi, &c.

Haud impura. Proba & pudica.

Peti. Hoc demiſſa voce loquitur, mox ad rum converſa, *quid feci* inquit, quod iſthuc tantum eſt facinus? quid in eo peccavi tam graviter?

Imperium exequi voluiſſes, interemptam oportuit,
Non ſimulare mortem verbis, re ipſa ſpem vitæ dare:
Atque id omitto; miſericordia, animus maternus: ſino.
Quam bene verò abs te proſpectum eſt, quid voluiſti? cogita.
Nempe anui illi prodita abs te filia eſt planuſſime,
Per te, vel uti viveret turpiter, vel uti veniret palam,
Credo id cogitaſſi: quidvis ſatis eſt, dum vivat modo.
Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum, atque æquum ſciunt?
Melius, pejus, proſit, obſit; nihil vident, niſi quod lubet.
SO. Mi Chreme, peccavi, fateor, vincor: nunc te obſecro,
Quanto tuus eſt animus natu gravior, ignoſcentior,
Ut meæ ſtultitiæ in juſtitia tua ſit aliquid præſidi.
C. Scilicet equidem iſthuc factum ignoſcam: verum, Soſtrata,
Male docet te mea facilitas multa: ſed iſthuc quidquid eſt,
Qua hoc oeceptum eſt cauſſa? loquere: *SO.* ut ſtulte & miſere omnes ſumus

Animus. Subaudi, obſtiterunt quo minus eam tu ipſa exponeres.

Planuſſime. Certiſſime.

Veniret. Venderetur publice, ut mancipium.

Credo... Nempe tua mens hæc fuit: evenire quidlibet ſatius duxiſti, quam eam mori.

Ignoſcentior. Ad ignoſcendum facilior.

Male docet, &c. Suadet tibi multa male facere ac perverſe, mea erga te indulgentiæ.

Sed iſthuc... Sed age, porro perge dicere quare hoc narrare cœperis de filia anui data, educata, &c.

Omnes. Mulieres, matres.

Re-

Religiosæ! cum exponendam do illi, de digito annulum
Detraho, & eum dico ut una cum puella exponeret,
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.
C. Istuc recte, conservasti te, atque illam. *SO.* hic est annulus:
C. Unde habes? *SO.* quam Bacchis secum adduxit adolescentulam. *ST.* bem.
C. Quid ea narrat? *SO.* ea lavatum dum it, servandum mihi dedit
Annulum: non advorti primo, sed postquam aspexi, illico
Cognovi, ad te exilui. *C.* quid nunc suspicare, aut invenis
De illa? *SO.* nescio, nisi ut ex ipsa quæras, unde hunc habuerint,
Si potis est reperiri. *ST.* interii; plus spei video, quam volo:
Nostra est, si ita est. *C.* vivitne illa, cui tu dederas? *SO.* nescio.

Religiosæ. Meticulosæ, superstitiosæ: quam verum est nos esse miscre, id est, supramodum, religiosas.

Illi. Anui.

Ne expers ... Ut particeps esset alicujus rei de nostris bonis: ajunt fuisse legem Athenis quæ filias vetaret adire hereditatem, si essent nati etiam filii: illis tamen datam fuisse in dotem bonorum partem decimam.

Conservasti te. Tuæ religioni & ineptæ pietati satisfeciti.

Unde habes? A quo habes, accepisti hunc annulum; vel, unde scis istum ipsum esse annulum filiæ tuæ datum?

Quid nunc, &c. Quid suspicaris de Antiphila, aut quomodo ex hoc conjicis annulo eam esse filiam nostram?

Si potis, &c. Si potest inveniri unde hunc annulum habeat.

Quam volo. Nollet Antiphilam pro filia Chremetis agnosci, priusquam argentum nomine Bacchidis a Menedemo extorsisset.

Nostra est, &c. Si ita est ut dicit Sostrata, Antiphila est nostra, id est, Chremetis heri nostri filia.

C. Quid renuntiavit olim fecisse? SO. id, quod jusseram.

C. Nomen mulieris eedo quod sit, ut quæratur. SO. Philtera.

SY. Ipsa est: mirum, ni illa salva est, & ego perii. C. Sostrata,

Sequere me intro hac. SO. ut præter spem evenit! quam timui mala.

Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollenda, Chreme.

C. Non licet hominem esse sæpe ita ut vult, si res non sinit.

Nunc ita tempus est mihi, ut cupiam filiam: olim nihil minus.

Quid renuntiavit ..... Quid tibi dixit olim anus illa, cui filiam cum annulo exponendam dederas?

Ipsa est. Hæc ipsa est Philtera, quæ mater Antiphilæ dicitur; hoc ipsum fuit nomen anus illius Corinthiæ, &c.

Mirum ... Verosimillimum est Antiphilam salvam esse, & me periisse, quia poenas dabo mearum fallaciarum. Timet Syrus ne, si Antiphila cognoscatur esse filia Chremetis, incipiat Clinia eam palam confiteri pro sua, & ita intelligatur Bacchis non esse illius uxor: ut simulaverat Syrus, sed Clitiphonis, quod adhuc pejus timebat.

In tollenda. Cum vetabas ne tolleretur filia tua: ne educaretur.

Esse ita ut vult. Id agere quod maxime vellet.

Nihil minus. Subaudi, cupiebam; cum nempe non essem ita dives: nunc opes meæ filio ac filiæ sufficiunt.

SCE-

SCENA SEXTA.

SYRUS.

Syrus male ſibi metuit, novum dolum comminiſcitur.

S. NIſi me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium;
Ita hercle in anguſtum oppido nunc meæ cogùntur copiæ;
Niſi aliquid video, ne eſſe uxorem hanc gnati reſciſcat ſenex.
Nam quod ſperem de argento, aut poſſe poſtulem me fallere,
Nihil eſt: triumpho, ſi licet me latere tecto abſcedere.
Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam ſubito e faucibus.
Quid agam? aut quid comminiſcar? ratio de integro inеunda eſt mihi.
Nihil tam difficile, quin quærendo inveſtigari poſſiet.

In anguſtum. Ita nunc me video inopem auxilii & conſilii: ducta eſt metaphora a ducibus qui tum maximo verſantur in periculo, cum ſuas copias in locum aliquem anguſtum adduxerunt.

Oppido. Valde.

Aliquid video. Aliquid fraudis excogito.

Hanc. Bacchidem.

Poſtulem. Sperem, confidam me poſſe fallere Chremetem.

Nihil eſt. Ea ſpes nulla eſt; fruſtra id ſpero.

Triumpho, ſi &c. Preclare mecum agetur, ſi poſſum defungi hoc tanto periculo, habens latus non vulneratum: ſi ſine vulnere hinc exeo.

Bolum. Bolus eſt fruſtum carnis aut panis: metaphora ſumitur a canibus, quibus non raro eripitur quod in ore jam geſtant, ac pene devoraverunt: ita pecuniam Syrus pene jam tenebat, quam amiſſurum ſe videt.

Ratio. Via, Modus, conſilium.

Quid, si hoc sic incipiam nunc? nihil est: quid si sic? tantundem egero.
At sit opinor: non potest; immo optume: euge optumam habeo:
Retraham hercle, opinor, ad me illud idem fugitivum argentum tamen.

Quid, si hoc.... Secum deliberat & varias fraudes excutit.
Nihil est. Hac via non bene res procedet.
Tantumdem. Non plus proficiam.
Retraham. Proprie servi qui dominos fugerunt, retrahi dicuntur. Attamen efficiam certe ut argentum extorqueam, cujus extorquendi spe jam prope excideram.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

CLINIA, SYRUS.

Clinia triumphat quod Antiphila tandem agnita sit: suadet illi Syrus ut Bacchidem suam uxorem esse dicere porro pergat.

C. NUlla mihi res posthac potest jam intervenire tanta,
Quæ mihi ægritudinem afferat; tanta hæc lætitia oborta est.
Dedo patri me nunc jam, ut frugalior sim quam volt.
S. Nihil me fefellit: cognita est; quantum audio hujus verba.
Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor.
C. O mi Syre, audistin' obsecro? S. quid ni; qui usque una affuerim.

Res. Calamitas.
Dedo. Permitto, morem gerere statuo.
Cognita est. Antiphila est agnita.
Usque.... Qui semper fuerim

C. Cui æque audisti commodi quidquam evenisse? S. nulli:
C. Atque, ita me Di ament, ut ego nunc non tam meapte caussa
Lætor, quam illius, quam ego scio esse honore quovis dignam.
S. Ita credo: sed nunc, Clinia, age, da te mihi vicissim.
Nam amici quoque res est videnda in tuto ut collocetur,
Ne quid de Bacchide nunc senex.... C. o Jupiter! S. quiesce.
C. Antiphila mea nubet mihi. S. siccine mihi interloquere?
C. Quid faciam, Syre mi? gaudeo; fer me. S. fero hercle vero.
C. Deorum vitam adepti sumus. S. frustra operam hanc opinor sumo.
C. Loquere, audio. S. at jam hoc non ages? C. agam. S. videndum est, inquam,
Amici quoque res, Clinia, tui in tuto ut collocetur.
Nam si nunc a nobis abis, & Bacchidem hic relinquis,
Noster resciscet illico esse uxorem hanc Clitiphonis?
Si abduxeris, celabitur itidem, ut celata adhuc est.
C. At enim isthoc nihil est magis, Syre, meis nuptiis advorsum:

rim una cum Sostrata & Chremete, cum hoc detectum est quod inter actum 3. & 4. contigit.

Da te. Obsequere mihi; adjuva me.

Amici. Clitiphonis.

Ne quid. Ne quid sciat; ne suspicetur Chremes eam amari a Clitiphone.

Fer me. Ignosce si te interpello.

Deorum.... Sumus beatissimi: in cælo sumus.

Frustra... An operam hic perdo, quid loquar, dum tu inani gaudio abreptus non attendis ea quæ dico?

Hoc ages? Nonne animum advertes, audies?

Si abis. Si abducis tecum

Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam? *S.* quid ni?

C. Quid dicam? quam cauſſam afferam? *S.* quin, nolo mentiare:

Aperte, ita ut res ſeſe habet, narrato. *C.* quid ais? *S.* jubeo

Illam te amare, & velle uxorem: hanc eſſe Clitiphonis.

C. Bonam, atque juſtam rem oppido imperas, & facſu facilem.

Et ſcilicet jam me hoc voles patrem exorare, ut celet

Senem voſtrum. *S.* immo ut recta via rem narret ordine. *C.* hem,

Satin' ſanus es, aut ſobrius? ut quidem illum plane prodis:

Nam qui ille poterit eſſe in tuto, dic mihi?

S. Huic equidem conſilio palmam do: hic me magnifice effero,

Qui vim tantam in me, & poteſtatem habeam tantæ aſtutiæ,

Vera dicendo ut eos ambos fallam; ut, cum narret ſenex

Veſter noſtro, iſtam eſſe uxorem gnati, non credat tamen,

Antiphilam in Menedemi patris tui domum.

Quo ore. Qua fronte dicam illi velle me Antiphilam ducere, ſi adducam ad illum etiam Bacchidem, & eam amari quoque a me ſimulem? tu vero, inquit Syrus, non id dices, ſed eam dices a Clitiphone amari, uti revera eſt.

Tenes. Capis, opinor, quid velim.

Jubeo. Subaudi, id dicas; *illam*, Antiphilam.

Hanc. Bacchidem.

Senem. Chremetem: an potero impetrare a Menedemo ut ne dicat Chremeti Bacchidem eſſe Clitiphonis? immo, inquit Syrus, volo ut idipſum dicat recta via, id eſt, clare, ſine ambagibus.

Huic. Ego vero tale conſilium excogitavi ut palmarium ſit, certe iſta mea fraus palmam inter ceteras meas, judice me, ferre debet.

Narret. Ut, cum dicet Menedemus Chremeti Bacchidem amari a Clitiphone, nunquam id tamen credat Chre-

C. At nim spem illhoc pacto rursum nuptiarum omnem eripis.
Nam dum hanc meam esse credet, non committet filiam.
Tu fortasse, quid me fiat, parvipendis, dum illi consulas.
S. Quid? (malum) me ætatem censes velle id assimularier?
Unus est dies, dum argentum eripio: pax, nihil amplius.
C. Tantum? sat habes? quid tum quæso, si hoc pater resciverit?
S. Quid si? redeo ad illos, qui ajunt, QUID SI NUNC CÆLUM RUAT?
C. Metuo, quid agam. S. metuis? quasi non ea potestas sit tua,
Quo velis in tempore ut te exsolvas, rem facias palam.
C. Age, age, traducatur Bacchis. S. optume: ipsa exit foras.

Chremes, quia nempe docebo illum ita, ut hæc dolo fieri & dici credat.

Hanc. Bacchidem.

Credet. Chremes.

Filiam. Antiphilam uxorem mihi non dabit.

Illi. Clitiphoni.

Quid, &c. Næ tu ridiculus es? an censes velle me id assimulari per integram ætatem? istam fraudem durare per totum sæculum? unum tantum diem postulo donec argentum a Menedemo extorqueam; postea res, ut sunt declarabo, Bacchidem esse Clitiphonis, Antiphilam tuam esse.

Pax. Sile, quiesce, plura desine.

Nihil amplius. Subaudi, mihi opus est, peto.

Tantum? An hoc tantum petis? an tantula mora tibi satis erit ad eripiendum argentum? esto sane: at quid fiet deinde, ubi Chremes hoc totum resciet?

Quid si? Repetit extremas illas Cliniæ voces. *Quid si*, eum irridendo.

Redeo ad illos... Nempe mihi res est cum illis, qui iuepte timent ea quæ timenda non sunt? an tu unus ex illis es, qui timent ne cælum cadat? proverbium in meticulosos.

Exsolvas. Metu & periculo liberes, dicendo palam rem ut est, nempe Bacchidem esse Clitiphonis, &c.

Traducatur. E domo Chremetis ad Menedemum transferatur.

SCENA SECUNDA.

BACCHIS, CLINIA, SYRUS, DROMO, PHRYGIA.

Bacchis irata ob decem minas nondum sibi datas, & morum non ferens, abire se simulat: vix placatur a Syro, induciturque ut ad Menedemum transeat.

B. SAtis pol proterve me Syri promissa heu induxerunt,
Decem minas, quas mihi dare pollicitus est: quod si is nunc
Me deceperit, sæpe obsecrans me, ut veniam, frustra veniet.
Aut, cum venturam dixero, & constituero, cum is certe
Renuntiarit, Clitipho cum fide pendebit animi,
Decipiam, ac non veniam: Syrus mihi tergo pœnas pendet.
C. Satis scite promittit tibi. *S.* atqui tu hanc jocari credis?
Faciet, nisi caveo. *B.* dormiunt: ego pol istos commovebo.
Mea Phrygia, audistin' homo iste modo quam villam demonstravit

Decem minas. Pro, decem minæ quas, &c. vel quas decem minas, &c. Sic Virgil. *Urbem quam statuo vestra est.*

Venict. Me rogatum.

Renuntiarit. Dixerit Clitiphoni me venturam.

Pendebit animi. Græca locutio, me expectabit venturam sperans, & erit anxius.

Satis scite. Satis bellas es tibi promittit, nempe plagas: hoc dicit a Bacchide nondum visus, & remotior.

Dormiunt. Videt Cliniam & Syrum: otiosi sunt, de me nihil curant.

Commovebo. E somno excitabo, agitabo, perterrefaciam.

Mea. Ancillam nominat quæ adstabat.

Iste homo. Nescio: audivi-

Charini? *P.* audivi. *B.* proxumam esse huic fundo ad dextram? *P.* memini.

B. Curriculo percurre: apud eum miles Dionysia agitat.

S. Quid inceptat? *B.* Dic me hic oppido esse invitam, atque servari.

S. Perii hercle: Bacchis, mane, mane: quo mittis isthanc quæso?

Jube, maneat. *B.* abi. *S.* quin, est paratum argentum. *B.* quin ego maneo.

S. Atqui jam dabitur. *B.* ut lubet, dum ego insto? *S.* at scin' quid, sodes?

B. Quid? *S.* transeundum est nunc tibi ab Menedemum, & tua pompa

Eo traducenda est. *B.* quam non agis, scelus? *S.* egone, argentum cudo,

Quod tibi dem. *B.* dignam me putas, quam illudas? *S.* non est temere.

B. Etiamne tecum hic res mihi est? *S.* minime: tuum tibi reddo.

B. Eatur. *S.* sequere hac: heus Dromo. *D.* quis me volt? *S.* Syrus. *D.* quid est rei?

visti ne cum petiimus ab viatore, ubi esset Charini villa, & ubi eam esse nobis ille demonstraverit?

Curriculo. Celeriter.

Eum. Charinum.

Miles. Quidam nobilis miles.

Dionysia. Festa Bacchi, Bacchanalia.

Hic. Apud Chremetem.

Asservari. Retineri, quasi captivam.

Isthanc. Phrygiam.

Abi. O Phrygia.

Quin. Atqui.

Argentum. Decem minæ tibi promissæ.

Quin ego. Jam igitur maneo.

Insto. Urgeo.

Scin' quid. Scisne quid facto sit opus?

Pompa. Comitatus ancillarum, servorum.

Scelus. Scelerate.

Cudo. Id facio ut extundam per dolum argentum dandum tibi.

Non est temere. Crede hoc a me non sine certa & necessaria caussa fieri.

Etiam me... An aliquid præterea mihi est negotii apud Menedemum, quod tu mihi struas & pares? nonne satis me apud Chremetem ludificatus es?

Tuum... Nihil tibi volo negotii facessere, immo id ago ut reddam, ut efficiam tibi

S. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad vos propere.

D. Quamobrem? *S.* ne quæras; & ferant quæ secum huc attulerunt.

Sperabit sumptum sibi senex levatum esse harum abitu.

Næ ille haud scit hoc paullum lucri, quantum ei damni apportet.

Tu nescis quod scis, Dromo, si sapiens. *D.* mutum dices.

tibi argentum tuum, quod ad te pertinere scio, quod promisi.

Traduce. Trasfer.

Ad vos. In domum Menedemi, cujus erat servus Dromo.

Senex. Chremes.

Harum. Bacchidis & comitum.

Damni. Quia ideo tantum abeunt ut facilius emungatur argento senex.

Nescis. Ita te gere quasi nescires quod scis, tace, nihil istorum cuiquam.

SCENA TERTIA.

CHREMES, SYRUS.

Miseretur Menedemi Chremes, quem Syrus astuce fallit.

C. ITa me Di amabunt, ut nunc, Menedemi vicem
Miseret me, tantum deveniſſe ad eum mali!
Illanccine mulierem alere cum illa familia?
Etsi, scio, hosce aliquot dies non sentiet,
(Ita magno desiderio fuit ei filius,)
Verum ubi videbit tantos sibi sumptus domi
Quotidianos fieri, nec fieri modum;
Optabit rursum ut abeat ab se filius.

Tantum mali. Bacchidem cum sua pompa.

Ec-

Syrum optume, eccum. *S.* ceſſo hunc adoriri?
C. Syre. *S.* hem.
Quid eſt? te mihi ipſum jam dudum exoptabam dari.
C. Videre egiſſe jam neſcio quid cum ſene.
S. De illo, quod dudum? dictum, ac factum reddidi.
C. Bonan' fide? *S.* bona hercle. *C.* non poſſum pati
Quin tibi caput demulceam; accede huc, Syre,
Faciam boni tibi aliquid pro iſta re, ac lubens.
S. At, ſi ſcias, quam ſcite in mentem venerit!
C. Vah! gloriare eveniſſe ex ſententia?
S. Non hercle vero, verum dico ..... *C.* dic, quid eſt?
S. Tui Clitiphonis eſſe uxorem hanc Bacchidem
Menedemo dixit Clinia, & ea gratia
Secum adduxiſſe, ne tu id perſentiſceres.
C. Probe. *S.* dic, ſodes. *C.* nimium, inquam. *S.* immo, ſi ſcias.
Sed porro auſcultа quod ſupereſt fallacia.
Seſe ipſe dicet tuam vidiſſe filiam:
Ejus ſibi complacitam formam, poſtquam aſpexerit;
Hanc ſe cupere uxorem. *C.* modo quæ inventa eſt? *S.* eam:

Eccum. Ecce eum.

De illo? An loqueris de fallacia quam ut illi ſtruerem hortatus es dudum? ego vero ſtatim illud perfeci & dicto tuo citius factum fuit.

Bonan' fide? An ex animo vere loqueris.

Pati ... Mihi temperare.

Gloriare. Gloriatis ſcilicet quod rem e ſententia inveneris, vereor ne male glorieris: cave, ne tua te ſpes fallat.

Non hercle vero. Ego vero non glorior eveniſſe rem e ſententia, verum dico, rem, ut ſpero, eventuram: non factam glorior, faciendam curo & ſpero.

Dic, ſodes. Quid tibi videtur?

Nimium? Perquam probe.

Immo. Atqui id magis dixeris, ſcire quæ ſcias: legunt alii; *immo ſi ſatis*, hoc eſt: ſatis belle, ſic opinor; inventa fraus eſt.

Inventa. Agnita mea eſſe filia.

Eam.

Et quidem jubebit poſci. *C.* quamobrem iſthuc Syre?
Nam prorſus nihil intelligo. *S.* vah: tardus es.
C. Forſaſſe. *S.* argentum dabitur ei ad nuptias?
Aurum, atque veſtem, qui ... tenes me? *C.* comparet?
S. Id ipſum. *C.* at illi ego neque do, nec deſpondeo.
S. Non? quamobrem? *C.* quamobrem? me rogas? homini .... *S.* ut lubet.
Non ego in perpetuum dicebam ut illam illi dares,
Verum ut ſimulares. *C.* non mea eſt ſimulatio,
Ita tu iſthæc tua miſceto, ne me admiſceas.
Egone cui daturus non ſim, ut ei deſpondeam?
S. Credebam. *C.* minime. *S.* ſcire poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere juſſeras,
Eo cœpi. *C.* credo. *S.* ceterum equidem, iſthuc, Chreme,
Æqui, bonique facio. *C.* atqui cum maxume
Volo te dare operam ut fiat, verum alia via.
S. Fiat: quæratur aliud: ſed illud quod tibi

Eam. Illam ipſam Antiphilam.

Jubebit poſci. Efficiet ut eam ſibi Menedemus a te poſcat uxorem.

Tardus. Parum acutum & intelligens.

Qui. Id eſt, quo modo, ſubaudi, comparet: quod Chremes ipſe ſubjicit: dabitur pecunia ad emendum ornatum aureum, veſtes ... qui ea comparet: tenes ne?

Do. Filiam meam Clinio.

Deſpondeo Proprie filiam deſpondebat puellæ pater; id eſt, promittebat ſponſo.

Homini. Egone tali homini, perdito adoleſcenti, meam dabo filiam, qui, ut ſervus fugitivus, e paterna diceſſit domo?

Mea eſt. Non is ſum qui ſimulare poſſim: non eſt meum mentiri.

Credebam. Te daturum filiam libenter, aut certe id ſimulaturum.

Scite. Belle, commode.

Eo. Ideo.

Cœpi. Machinatus ſum.

Æqui bonique facio. Facio in tuam rem ſine dolo, bona fide.

Cum maxume. Non minus quam antea.

Iſta.

Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi,
Id nun reddendum est illi: neque tu scilicet
Eo nunc confugies; quid mea? num mihi datum est?
Num jussi? num illa oppignerare filiam
Meam me invito potuit? verum illud, Chreme,
Dicunt, jus summum sæpe summa malitia est.
C. Haud faciam. *S.* immo, aliis si licet, tibi non licet.
Omnes te in lauta, & bene parte aucta putant.
C. Quin egomet jam ad eam deferam. *S.* immo filium
Jube potius. *C.* quamobrem? *S.* quia enim in eum suspicio est
Translata amoris. *C.* quid tum? *S.* quia videbitur
Magis verisimile id esse, cum hic illi dabit:
Et simul conficiam facilius ego, quod volo.
Ipse adeo adest, abi, effer argentum. *C.* effero.

Ista. Antiphila.
Illi. Bacchidi.
Debet. Quia pro pecunia mutuo a Philtera Bacchidi data relicta erat arraboni. Vide scen. 3. Act. 3.
Eo confugies. Abibis ad istas excusationes, quominus des pecuniam.
Mea. Subaudi, refert?
Num, &c. Cur argentum reddam, quod mihi datum non est.
Illa. Philtera anus Corinthia, mater Antiphilæ credita.
Malitia. Jus summum, ut ajunt, summa injuria est: malitia, sæpe sumitur in re forensi pro technis ac tendiculis juris.
Non licet. Te parcum esse, & nolle dare argentum, quo filiam redimas.
Bene aucta parte. Opibus bene, & honeste partis, dives & lautus homo putaris esse.
Quin. Igitur.
Deferam. Pecuniam ad Bacchidem.
Filium. Clitiphonem: jube deferri hanc pecuniam a Clitiphone.
Suspicio.... Quia suspicatur Menedemus amari ab eo Bacchidem, ut simulavimus: eamque esse Clitiphonis uxorem.
Ipse. Clitipho.
Effer. Exporta huc domo.

SCENA QUARTA.

CLITIPHO, SYRUS.

Clitiphonem iratum placat Syrus, & quid a se cum Chremete actum fuerit monet.

C. NUlla eſt tam facilis res, quin difficilis ſiet,
Quam invitus facias: vel me hæc deambulatio
Quam non laborioſa, ad languorem dedit?
Nec quidquam magis nunc metuo, quam ne denuo
Miſer aliquo extrudar, hinc ne accedam ad Bacchidem.
Ut te omnes equidem Di, Deæque, quantum eſt, Syre,
Cum iſthoc invento, cumque incœpto perduint,
Hujuſmodi mihi res ſemper comminiſcere,
Ubi me excarnufices. S. i tu hinc quo dignus es,
Quam pene tua me perdidit protervitas.
C. Vellem hercle factum; ita meritus. S. meritus? quomodo?
Næ me iſthuc ex te prius audiſſe gaudeo,
Quam argentum haberes, quod daturus jam fui.
C. Quid igitur dicam tibi via? abiiſti, mihi
Bacchidem huc abduxti, quam non liceat viſere.

Deambulatio. Jusſerat procul abire Clitiphonem Chremes, Syro inſtante, dum Bacchis ad Chremetem deduceretur: redit iratior.

Quantum eſt. Quotquot ſunt.

Perduint. Perdant.

Quo... In malam rem.

Factum. Te perditum eſſe.

Meritus. Legunt aliqui *meritu's*, pro meritus es.

Næ me... Sententia eſt: gaudeo quod iſta ex te audiam,

S. Jam non ſum iratus : ſed ſcin' ubi nunc ſit tibi
Tua Bacchis? *C.* apud nos? *S.* non. *C.* ubi igitur? *S.* apud Cliniam.
C. Perii. *S.* bono animo es, jam argentum ad eam deferes,
Quod ei pollicitus. *C.* garris: unde id? *S.* a tuo patre.
C. Ludis fortaſſe me? *S.* ipſa re experibere.
C. Næ ego fortunatus homo ſum, deamo te, Syre.
S. Sed pater egreditur : cave quidnam admiratus ſies,
Qua cauſſa id fiat? obſecundato in loco;
Quod imperabit, facito; loquitur paucula.

diam, quod ita me graviter increpes & conviciis agites priuſquam habeas argentum, quod eram tibi jam daturus : quodque, ut ulciſcar, non dabo.

Jam non ſum iratus. Jam tibi ignoſco, mitius enim locutus erat Clitipho.

Experibere. Antique, pro experire.

Admiratus ſies. Admirari te ſignifices, quaſi rei ſis ignarus.

Qua cauſſa. Cur, & quare tam facile tibi pater argentum det.

Obſecundato. Subſervito mihi & fraudem adjuva.

SCENA QUINTA.

CHREMES, CLITIPHO, SYRUS.

Dat argentum Clitiphoni Chremes deferendum ad Bacchidem : invehitur in ſumptus fieri vulgo ſolitos a parentibus ad filios viris collocandas.

CH. UBI Clitipho nunc eſt? *S.* eccum me, inque: *CLIT.* eccum hic tibi?

Inquo. Dic: ab *inquio*.

Quid

CH. Quid rei eſſet, dixti huic? *S.* dixi: lera-
que omnia.
CH. Cape hoc argentum, ac defer. *S.* hei, quid
ſtas lapis?
Quin accipis? *CLIT.* cedo ſane. *S.* ſequere hac
me ocyus;
Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere:
Nam nihil eſt, illic quod moremur diutius.
CH. Minas quidem jam decem habet a me fi-
lia,
Quas pro alimentis eſſe nunc duco datas:
Haſce ornamentis conſequenter alteræ.
Porro hæc talenta dotis appoſcent duo.
Quam multa injuſta, ac prava fiunt moribus?
Mihi nunc, relictis omnibus, inveniendus eſt
Aliquis, labore inventa mea cui dem bona.

Quid rei. Quid ſtrueretur fraudis.

Lapis. Immotus inſtar lapidis: dicit hoc minus clare:

Tu. O Chreme, donec a Menedemo exeamus, nos expectabis.

Illic. Apud Menedemum.

Ornamentis. Ad emenda ornamenta.

Alteræ. Aliæ totidem.

Porro hæc. Ea quæ opus ſunt parandis nuptiis; ornamenta, epulæ, &c. poſcunt ut dotis nomine duo talenta addam ad iſtas 20. minas jam filiæ datas.

Moribus. Recepta conſuetudine: quam prave iſthæc viget conſuetudo, ut tanti ſumptus in filiarum nuptias fiant?

Relictis rebus. Occupationibus ſolitis, meis commodis, negotiis.

Aliquis. Gener.

SCENA SEXTA.

MENEDEMUS, CHREMES.

Monet Chremes Menedemum de fallacia; ut caute ac pedetentim filio det nummos, hortatur.

M. MUlto omnium nunc me fortunatiſſimum
Factum puto eſſe gnate, cum te intelligo
Reſipiſſe. *C.* ut errat! *M.* te ipſum quærebam, Chreme.
Serva, quod in te eſt, filium, & me, & familiam.
C. Cedo, quid vis faciam? *M.* inveniſti hodie filiam.
C. Quid tum? *M.* hanc tibi uxorem dari volt Clinia.
C. Quæſo, quid tu homini es? *M.* quid? *C.* jamne oblitus es,
Inter nos quid ſit dictum de fallacia,
Ut ea via abs te argentum auferretur? *M.* ſcio.
C. Ea res nunc agitur ipſa. *M.* quid dixti, Chreme?
Erravi. *C.* ſic res acta eſt. *M.* quanta ſpe excidi!
C. Immo hæc quidem, quæ apud te eſt, Chriphonis eſt
Uxor? *M.* ſic ajunt. *C.* & tu credis? *M.* omnia.

Reſipiſſe. Ad meliorem mentem rediiſſe, a reſipiſco, pro, reſipuiſſe, aut reſipiviſſe, dicit hæc ſecum tacitus de filio abſente.

Ut errat! Chremes remotior voce demiſſa dicit. Quam fallitur!

Serva. Illius honori, moribus, famæ conſule: da illi Antiphilam.

Quod in te eſt. Quod in tua poteſtate eſt: quam potes. Quantum potes.

Ea via. Ficto matrimonio.

Res acta eſt: Ita eſt factum, fingitur hoc matrimonium, ut a te pecunia obtineatur filio tuo tradenda.

Quanta ſpe excidi. Quia Cliniam ſperabam tibi generum fore, & ad frugem ſe meliorem recepiſſe credebam.

Immo. Deinde nonne uxorem

C. Et illum ajunt velle uxorem, ut cum desponderim,
Des, qui aurum, ac vestem, atque alia, quæ opus sunt, cumparet.
M. Id est profecto: id illi dabitur. C. scilicet
Daturum .... M. vah, frustra igitur gavisus misset!
Quidvis tamen jam malo, quam hunc amittere.
Quid nunc renuntiem abs te responsum, Chreme,
Ne sentiat me sensisse, atque ægre ferat?
C. Ægre? nimium illi Menedeme indulges. M. sine:
Inceptum est: perfice hoc mihi perpetuum, Chreme.
C. Die convenisse: egisse te de nuptiis.
M. Dicam: quid deinde? C. me facturum esse omnia,
Generum placere, postremo, etiamsi voles,
Desponsam quoque esse dicito. M. hem, isthuc volueram.
C. Tanto ocyus te ut poscat, & tu, id quod cupis,
Quam ocyssime ut des .... M. cupio. C. ne tu propediem,
(Ut istam rem video) istius obsaturabere.

rem Clitiphonis putasti esse hanc quæ apud te est?

Illum. Cliniam.

Ajunt. Syrus, Dromo, &c.

Desponderim. Promiserim illi Antiphilam.

Illi. Bacchidi.

Scilicet daturum. Scire licet: certum est omnino Cliniam non alteri quam Bacchidi daturum hanc pecuniam: *scilicet* cum infinitivo ita jungitur, pro scire licet, pronum est intelligere.

Perfice id mihi perpetuum. Rem istam totam ad finem usque perducito: perge ut cœpisti, ad extremum usque.

Convenisse. Me tecum transegisse hoc negotium.

Quod cupis. Pecuniam.

Istius. istius te sumptus & indulgentiæ satietas brevi te capiet.

Ut

Sed hæc ut ut sunt, cautim, & paullatim dabis,
Si sapiens. *M.* faciam. *C.* abi intro: vide, quid postulent.
Ego domi ero, si quid me voles. *M.* sane volo:
Nam te scientem faciam, quidquid egero.

Ut ut sunt. Quidquid sit de ista fraude, & tua dandi libidine.

Scientem. Certiorem: legitur etiam *te sciente*, te prius monito.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

MENEDEMUS, CHREMES.

Chremes ludi se tandem discit ex Menedemo, ac furit.

M. EGo me non tam astutum, neque ita perspicacem esse, id scio:
Sed hic adjutor meus, & monitor, & præmonstrator Chremes
Hoc mihi præstat: in me quidvis harum rerum convenit,
Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbens,
In illum nil potest: nam exuperat ejus stultitia hæc omnia.

Hoc mihi præstat. Ea re me vincit: est me minus astutus, multo est me stultior, quamvis sibi blandiatur quod me adjuvet, moneat, doceat.

Convenit. Cedunt in me omnia nomina, quæ conveniunt hominibus tardis ac stupidis.

Caudex. Truncus est arboris: *stipes*, *stipitis*, lignum est crassum & oblongum.

Ob-

C. Ohe, jam desine Deos, uxor, gratulande obtundere,
Tuam esse inventam gnatam: nisi illos ex tuo ingenio judicas,
Ut nihil credas intelligere, nisi idem dictum est centies.
Sed quid interim illic jamdudum gnatus cessat cum Syro?
M. Quos ais homines, Chreme, cessare? C. ehem, Menedeme, advenis?
Dic mihi, Clinia, quæ dixi, nuntiastin'? M. omnia.
C. Quid ait? M. gaudere adeo occepit, quasi qui cupiunt nuptias.
C. Ha, ha, hæ. M. quid risisti? C. servi venere in mentem Syri
Calliditates. M. itane? C. vultus quoque hominum fingit scelus.
M. Gnatus quod se assimulat lætum, id dicis? C. id. M. idem istuc mihi
Venit in mentem. C. veterator. M. magis, si magis noris, putes,
Ita rem esse. C. ain'tu? M. quin tu ausculta..... C. mane, hoc prius scire expero,
Quid perdideris; nam ubi desponsam nuntiasti filio,
Continuo injeciste verba tibi Dromonem, scilicet
Sponsæ vestem, aurum, ancillas opus esse; argentum ut dares.

Obtundere. Fatigare.
Illic. In Menedemi domo.
Cessat. Moratur diutius.
Vultus fingit. Docet homines vultum suum fingere, & ad simulandam nunc tristitiam, nunc lætitiam scite componere: ita docuit Cliniam vultum suum fingere, quasi si nuptias vellet.
Veterator. O Syre versipellis.
Magis. Id verum esse magis credas, si eum magis noris.
Desponsam. Antiphilam ei a me promissam.
Injeciste verba. Mentionem feciste. subaudi, arbitror: non dubium est quin Dromo statim a te petie-

M. Non. *C.* quid non? *M.* non inquam. *C.* neque ipse gnatus? *M* nihil prorsus, Chreme.
Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiæ.
C. Mira narras: quid Syrus meus? ne is quidem quidquam? *M.* nihil.
C. Quamobrem? *M* nescio equidem: sed te miror, qui alia tam plane scias ....
Sed ille tuus quoque Syrus idem mire finxit filium,
Ut ne paululum quidem suboleat esse uxorem hanc Cliniæ:
Clitiphonis uxor certe est. *C.* Menedeme, occidi.
M. Quamobrem? *C.* decem dierum vix mihi est familia.
M. Hæc sunt, quo verba facilius dentur mihi.
C. Derides? merito mihi nunc ego succenseo,
Quot res dedere, ubi possem persentiscere,
Nisi essem lapis? quæ vidi? væ misero mihi!
At næ illud haud inultum (si vivo) ferent,
Nam jam ..... *M.* Non tu te cohibes? non te respicis?
Non tibi exempli satis sum? *C.* præ iracundia,

petierit argentum ad vestes.

Quidquam. Subaudi, petiit.

Te miror. Miror quod hæc ignores.

Tam plane. Tam accurate, tam certo.

Finxit. Fingere ac simulare docuit, instituit, & erudivit.

Suboleat. Ut ne minima quidem suspicio sit mihi.

Hanc. Bacchidem.

Familia. Res familiaris, opes: vix opus mea sufficient ad alendam Bacchidem per decem dies.

Hæc sunt ... Nempe hæc omnia composita & ficta sunt ut ego decipiar, idcirco argentum non petiit Dromo, institit natus ut nuptiæ conficerentur, &c. innuit ipsum Chremetem ludi, ac decipi, non se.

Dedere, &c. Quam multa ipsi Clitipho nempe & Bacchis, detexerunt mihi signa argumenta id suspicandi?

Lapis. Stupidus, & sensus expers.

Nam jam ... Subaudi, Bacchidem exturbabo ... filium male multabo.

Menedeme, non ſum apud me. *M.* tene iſthuc loqui?
Nonne id flagitium eſt, te aliis conſilium dare,
Foris ſapere, tibi non poſſe auxiliarier?
C. Quid faciam? *M.* id quod me feciſſe ajebas parum,
Fac, te eſſe patrem ſentiat; fac ut audeat,
Tibi credere omnia, abs te petere, & poſcere,
Ne quam aliam quærat copiam, ac te deſerat.
C. Imo abeat potius multo, quovis gentium,
Quam hic per flagitium, ad inopiam redigat patrem.
Nam ſi illi pergam ſuppeditare ſumptibus,
Menedeme, mihi illæc vere ad raſtros res redit.
M. Quot incommoditates in hac re accipies, niſi caves?
Difficilem oſtendes te eſſe, & ignoſces tamen
Poſt, & id ingratum. *C.* ah, neſcis quam doleam. *M.* ut lubet:
Quid hoc, quod rogo, ut illa nubat noſtro? niſi quid eſt,
Quod mavis. *C.* imo & gener, & affines placent.
M. Quid dotis dicam te dixiſſe filio?
Quid obticuiſti? *C.* dotis? *M.* ita dico. *C.* ah. *M.* Chreme,
Nequid vereare, ſi minus eſt, nihil dos nos movet.

Foris. In alienis negotiis.

Copiam. Modum inveniendæ pecuniæ.

Suppeditare ſumptibus. Pecuniam ei ad tantos ſumptus ſubminiſtrare.

Ad raſtros. Ad inopiam ita redigar, ut mihi deinde vita fodiendo, & opus ruri raſtris faciendo, quæritanda ſit.

Ingratum. Scilicet, tum erit: id eſt nullam tibi apud filium gratiam conciliabit, cum videbit te non volentem, ſed invitum, & amicorum precibus expugnatum, ignoſcere.

Quid hoc. Subaudi, tibi videtur.

Illæ. Antiphila.

Noſtro. Cliniæ, meo filio.

Niſi quid. Hoc mihi ſane placet, niſi tu negas, & aliud vis.

Si eſt minus. Si dotem das minorem: non ita luculentam filiæ.

Re.

C. Duo talenta, pro te noſtra, ego eſſe decrevi ſatis.
Sed ita dictu opus eſt, ſi me vis ſalvum eſſe, & rem, & filium,
Me, mea omnia bona doti dixiſſe illi. M. quam rem agis?
C. Id mirari te ſimulato, & illum rogitato ſimul,
Quamobrem id faciam. M. quia ego vero, quamobrem id facias, neſcio.
C. Egone? ut ejus animum, qui nunc luxuria, & laſcivia
Diffluit, retundam, redigam; ut, quo ſe vortat neſciat.
M. Quid agis? C. mitte, ac ſine me in hac re gerere mihi morem. M. ſino.
Itane vis? C. ita. M. fiat. C. age jam, uxorem accerſat, paret.
Hic, ita ut liberos eſt æquum, dictis confutabitur.
Sed Syrum. M. quid eum? .... C. egone? ſi vivo, ego exornatum dabo,
Adeo depexum, ut dum vivat, meminerit ſemper mei:
Quid ſibi me pro ridiculo, ac delectamento putat.

Re. Opibus.

Dixiſſe. Dediſſe, in dotem promiſiſſe.

Illi. Antiphilæ. Id autem facit Chremes ut filium Clitiphonem corrigat, & eum inopiæ metu cogat redire ad bonam frugem, cum putabit ſe a patre exheredatum, & omnia bona ſorori data.

Illum. Clitiphonem.

Gerere mihi morem. Quod lubet facere, rem arbitratu meo gerere.

Age jam ...., Subaudi, proſpice fac ut Clinia tuus Antiphilam meam accerſat, nuptias paret.

Hic, ita ut .... Hic Clitipho confutabitur verbis, id eſt, verbis male a me mulctabitur, tantum, & caſtigabitur, ut liberos decet, ac filios a parentibus tractari.

Sed Syrum. Subaudi, verberibus tundam, nec tantum verbis caſtigabo.

Quid eum. Cur eum ita male tractabis? Quid illi facies?

Dabo. Reddam.

Depexum. Pexum, com-

Non (ita me Di ament) auderet hæc facere viduæ mulieri ,
Quæ in me fecit.

ptum, ironice: id est flagris sciissum & laceratum.

Viduæ. Viduæ mulieres patent ferme omnium injuriæ: sub hac Menedemus, uti rogatus a Chremete fuerat, domum suam excurrit, ubi paucis verbis Clitiphoni renunciat, ipsum a patre exheredatum, omnia bona doti data esse Antiphilæ: Quod cum ægre ferret Clitipho, exit cum Menedemo, patrem allocutus: interim expectat Chremes dum redeat Menedemus.

SCENA SECUNDA.

CLITIPHO, MENEDEMUS, CHREMES, SYRUS.

Clitiphonem graviter objurgat Chremes.

CL. ITANE tandem, quæso, est Menedeme, ut pater
Tam in brevi spatio omnem de me ejecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi miser?
Volgo id faciunt. *M.* Scio tibi esse hoc gravius multo, ac durius,
Cui fit; verum ego haud minus ægre patior, id, qui nescio,
Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo volo.
CL. Hic patrem adstare ajebat? *M.* eccum. *CH.* quid me incusas, Clitipho?

Volgo id faciunt. Alii juvenes ita se gerunt vulgo, nihil feci quod alii non faciunt.

Cui fit. Tibi, cui fit hoc malum qui illud pateris.

Nisi quod. Id ægre patior, quamvis, nesciam aliam hujus doloris mei rationem, nisi hanc, quia tibi bene volo, te amo.

Ajebat. Id, ut dixi in fine sce-

Quidquid ego hujus feci, tibi prospexi, & stultitiæ tuæ:
Ubi te vidi animo esse omisso, & suavis in præsentia
Quæ essent, prima habere, neque consulere in longitudinem;
Cœpi rationem, ut neque egeres, neque ut hæc posses perdere.
Ubi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare,
Abii ad proximos, tibi qui erant: eis commisi, & credidi.
Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium, Clitipho,
Victus, vestitus, quo in tectum te receptes. *CL.* hei mihi.
CH. Satius est, quam te ipso herede hæc possidere Bacchidem
S. Disperii, scelestus quantas turbas, concivi insciens?
CL. Emori cupio. *CH.* prius, quæso, disce quid sit vivere
Ubi scies, si displicebit vita, tum isthoc utitor.
S. Here, licetne? *CH.* loquere. *S.* at tuto. *CH.* loquere. *S.* quæ ista est pravitas,

scenæ superioris, a Menedemo acceperat.

Hujus. In ea re.

Omisso. Negligenti, prodigo.

Prima. Potissima, antiquissima: te præsentes voluptates omnibus rebus anteferre.

In longitudinem. In futurum.

Rationem. Viam excogitavi.

Hæc. Mea bona.

Ubi, &c. Si quidem per te & tua flagitia non mihi licuit tibi dare mea bona, cui decebat ea dari.

Proximos. Sororem tuam & ejus maritum.

Præsidium. Si tua stultitia redigaris ad inopiam. illi te alent, vestient, &c.

Satius est. Præstat eripi tua sic tibi bona, quam iis te frui, & dare illa Bacchidi.

Te ipso herede. Si tibi ut heredi hæc felicia fuerint.

Isthoc. Sermone: moriendi voto & consilio.

Licetne? Subaudi, mihi loqui? Dasne mihi veniam loquendi.

Quæve amentia, quod peccavi ego, id obesse huic? *CH.* ilicet.
Ne te admisce; nemo accusat Syre te, nec tu aram tibi,
Neque precatorem paratis. *S.* quid agis? *CH.* nihil succenseo,
Nec tibi, nec huic: nec vos est æquum, quod facio, mihi.

Ilicet. Ire licet i. licet tibi impune abire, noli te in hoc negotium interponere, ne quid mali struas in tuum caput.

Aram. Est perfugii locus, nemo te accusat, ne quære asylum aut patronum.

Nec huic. An Clitiphoni, an potius Menedemo?

Quod facio, mihi. In iis quæ facio mihi non decet vos succensere: neque graviter ferre, si filium hæreditate privatum volo.

SCENA TERTIA.

SYRUS, CLITIPHO.

Rationem juvandi Clitiphonis Syrus excogitat.

S. ABiit, ac rogasse vellem. *CL.* quid. *S.* unde mihi peterem cibum?
Ita nos abalienavit: tibi jam esse ad sororem intelligo.
CL. Adeone rem rediisse, ut periculum etiam fame mihi sit, Syre? .....
S. Modo liceat vivere, est spes. *CL.* quæ? *S.* nos esurituros satis.
CL. Irrides in te tanta, neque me quidquam consilio adjuvas?

Alienavit. Tanquam alienos tractavit, abdicavit, ad alios heros fugere coegit.

Esse. Tibi victum apud sororem paratum esse.

Fame. Subaudi, pereundi.

Ibi.

S. Imo, & ibi nunc ſum, & uſque dudum id egi, dum loquitur pater:
Et quantum ego intelligere poſſum ... *CL.* quid? *S.* non aberit longius
CL. Quid id ergo? *S.* ſic eſt, non eſſe horum te arbitror. *CL.* quid iſthuc, Syre?
Satin' ſanus es? *S.* ego dicam, quod mihi in mentem: tu dijudica
Dum iſtis fuiſti ſolus, dum nulla alia delectatio,
Quæ propior eſſet te; indulgebant, tibi dabant: nunc, filia
Poſtquam eſt inventa vera, inventa eſt cauſſa, qua te expellerent.
CL. Eſt veriſimile. *S.* an tu ob peccatum hoc, eſſe illum iratum putat?
CL. Non arbitror. *S.* nunc aliud ſpecta. Matres omnes filiis
In peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria
Solent eſſe: id non ſit: *CL.* verum dicis: quid ergo nunc faciam, Syre?
S. Suſpicionem iſtam ex illis quærere, rem profer palam.
Si non eſt verum, ad miſericordiam ambos adduces cito, aut

Ibi. In eo ſum ut te adjuvem?

Uſque dudum. Tandiu id cogitavi dum hic fuit, & locutus eſt pater tuus.

Non aberit longius. Brevi illud quod quæro inveniam, non eſt procul.

Eſſe horum. Eſſe Chremetis & Soſtratæ filium.

In mentem. Subaudi, venit.

Propior te. Carior: dum unicum te ſibi eſſe filium putabant, & nulla ex re majorem quam ex te voluptatem capiebant.

Indulgebant. Faciles erga te, ac indulgentes erant.

Expellerent. Ut ſpurium.

Ob peccatum hoc. Amorem Bacchidis.

Matres ... Solemne eſt veris matribus ut peccantibus filiis patrocinentur, eoſque contra patres infenſos tueantur.

Id non ſit. Non tua te adjuvat mater.

Suſpicionem ... Quære ab illis

Stibis cujus sis. *CL.* recte suades, faciam. *S.* sat recte hoc mihi.

In mentem venit: namque adolescens, quam minima in spe situs erit.

Tam facillime patris pacem in leges conficiet suas

Etiam haud scio anne uxorem ducat; ac Syro nil gratiæ.

Quid autem hoc? senex exit foras; ego fugio adhuc quod factum est,

Miror non jussisse me arripi: ad Menedemum hinc pergam,

Eum precatorem mihi paro: seni nostro fidei nihil habeo.

illis eam rem quam suspicaris, nempe te ex illis natum non esse.

Scibis. Scies: abit domum Clitipho ubi matri hanc suam suspicionem indicat: unde illa in sequenti scena ait, subditum se suspicatur.

In leges suas. In suum commodum; vel ad patris voluntatem & arbitrium: ita ut *suas* pro, *ejus* positum sit: quanto minus a patre sperabit, tanto facilius comparabit se ad obtinendam veniam: videtur id finxisse Syrus ut Clitipho parentes ad commiserationem flectere, maxime Sostratam: fallaciam autem hanc scelatam Clitiphonem voluisse, ut ille rem serio agi putans, magis ex animo loqueretur, ac dolorem veriorem ostenderet.

Etiam haud scio, &c. Fortasse etiam Clitipho ducturus est uxorem, jubente patre, mihi nemo prospiciet.

Nihil gratiæ. Subaudi, habebitur? vel, nihil dabitur veniæ?

Adhuc quod factum est. Ut sunt ea quæ hactenus facta sunt.

SCE-

SCENA QUARTA.

SOSTRATA, CHREMES.

Sostrata maritum deprecatur pro filio: ab eo graviter objurgatur.

S. PROFECTO, nisi caves tu, homo, aliquid gnato conficies mali:
Idque adeo miror, quomodo tam ineptum quidquam potuerit tibi
Venire in mentem, mi vir. C. oh, pergin' mulier esse? ullamne ego
Rem unquam volui, quin tu in ea re mihi adversatrix fueris, Sostrata?
At si rogitem jam, quid est quod peccem, aut quamobrem hoc faciam, nescias:
In qua re nunc tam confidenter restas stulta? S. ego nescio?
C. Imo scis potius, quam quidem redeat ad integrum hæc eadem oratio
S. Oh, iniquus es, qui me tacere de re tanta postules.
C. Non postulo: jam loquere, nihilominus ego hoc faciam tamen.
S. Facies? C. verum. S. non vides quantum mali ex ea re excites?
Subditum se suspicatur. C. subditum! ain' tu? S. certe inquam, mi vir.

Tam ineptum. Ut filium privares hereditate.

Mulier esse? Nempe importuna, garrula.

Nescias. Causam proferre non poteris.

Restas. Resistis, repugnas.

Ego nescio? Ain' tu vero id me nescire & causam afferre non posse?

Imo scis. . . . . Ironica concessio: esto scias; at cessa garrire, malo id tibi concedere, quam eam orationem de integro incipere, & retexere; idem audire a te centies.

Faciam. Quod constitui de filio, quidquid loquaris.

Subditum. Spurium, suppositicium.

C. Confitere tuum non esse. *S.* ah, obsecro te, istuc inimicis siet!
Egone confitear meum non esse filium, qui sit meus?
C. Quid metuis? ne non, cum velis, convincas illum esse tuum?
S. Quod filia est inventa? *C.* non, sed quod magis credendum siet,
Quod est consimilis moribus.
Convinces facile ex te natum; nam tui similis est probe:
Nam illi nihil vitii est relictum, quin id itidem sit tibi.
Tum præterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.
Sed ipse egreditur, quam severus! rem, cum videas, censeas.

Inimicis siet. Imprecandi formula.

Quod filia. An ut meam filiam certis indiciis inveni & meum probavi esse, ita illum meum esse probare possum? non possum certe: imo, inquit Chremes, tuum convinces a morum improbitate, qua tibi est simillimus.

Severus. Tetricus, morosus.

Rem cum videas, censeas. Qualis sit ex ipso vultu & aspectu facile cognosci potest. Cum illum videas, tum intelligas qui sint ejus mores, qui animus. *Donat.*

SCENA QUINTA.

CLITIPHO, SOSTRATA, CHREMES.

Chremes filium vehementer increpat.

CLI. Si unquam ullum fuit tempus, mater, cum ego voluptati tibi.

Si unquam.. Si quid feci ubi quod placeret, mater, cum me filium tuum appellari patiebare.

Tua

Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate, obsecro
Ejus ut memineris, atque inopis nunc te misereſcat mei:
Quod peto, & volo, patenter meos ut commonſtres mihi.
S. Obſecro, mi gnate, ne iſtuc in animum inducas tuum,
Alienum eſſe te. *CL.* ſum: *S.* miſeram me, hoccine quæſiſti obſecro?
Ita mihi, atque huic ſis ſuperſtes, ut ex me, atque hoc natus es:
Et cave poſthac (ſi me amas) unquam iſtud verbum ex te audiam.
CH. At ego (ſi me metuis) mores cave in te eſſe iſtos ſentiam.
CL. Quos? *CH.* ſi ſcire vis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo.
Ganeo, damnoſus; crede, & noſtruni te eſſe credito.
CL. Non ſunt hæc jam parentis dicta. *CH.* non, ſi ex capite ſis meo
Natus, item ut ajunt Minervam eſſe ex Jove, ea cauſſa magis.
Patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.
S. Diiſthæc. *CH.* Deos neſcio: ego, quod potero, enitar ſedulo.
Quæris id, quod habes, parentes: quod abeſt, non quæras, patri
Quomodo obſequare, & ut ſerves quod labore invenerit.

Tua voluntate. Quia ſic voluiſti.
Alienum. Ex aliis natum.
Gerro. Nugator, ineptus.
Fraus. Veterator.
Helluo. Comeſſator, popino.
Ganeo. *Ganeum*, eſt taberna tenebricoſa; *ganeo*, qui iſtis locis frequens eſt.
Non, ſi &c. Quamvis, &c.
Iſthæc. Subaudi, prohibeant.
Deos neſcio. Nempe neſcio an hæc prohibituri ſint nec ne, quid facturi ſint Dii neſcio.
Enitar. Ut ne tuis flagitiis infamis fiam.

Non mihi per fallacias adducere ante oculos, pudet.
Dicere hac præsente verbum turpe: at te illud nullo modo
Facere piguit. *CL.* eheu quam ego nunc totus displiceo mihi
Quam pudet! neque, quod principium inveniam ad placandum, scio.

Non mihi. Non es veritus adducere meam domum... *Addúcere*..... Dicturus erat, meretricem adducere. *Hac*. Sostrata. *Verbum* turpe. Meretricem nominare.

SCENA SEXTA.

MENEDEMUS, CHREMES, CLITIPHO, SOSTRATA.

Clitipho veniam a Patre ita impetrat, deprecante Menedemo, ut se, relicta Bacchide, uxorem ducturum promittat.

M. ENIMVERO, Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum,
Nimisque inhumane; exeo ergo, ut pacem concilient: optume,
Ipsos video. *CH.* ehem, Menedeme, cur non accersi jubes
Filiam, & quod dixi dotis, firmas? *S.* mi vir, te obsecro,
Ne facias. *CL.* pater, obsecro mihi ignoscas. *M.* da veniam, Chreme;
Sine te exoret. *CH.* egone mea bona ut dem Bacchidi dono, sciens?

Firmas. Ratum habes.

Non

Non faciam. *M.* at id nos non ſinemus. *CL.* ſi me vivum vis pater,
Ignoſce. *S.* age, Chreme. *M.* age, quæſo, ne tam obſtirma te, Chreme.
CH. Quid iſthuc? video non licere, ut cœperam hoc pertendere.
M. Faciſ, ut te decet. *CH.* ea lege hoc adeo faciam, ſi faciat.
Quod ego hunc æquum cenſeo. *CL.* pater, omnia faciam: impera.
CH. Uxorem ut ducas. *CL.* pater.... *CH.* nihil audio. *M.* ad me recipio,
Faciet. *CH.* nihil etiam audio ipſum. *CL.* perii *S.* an dubitas, Clitipho?
CH. Imo, utrum vult? *M.* faciet omnia. *S.* hæc, dum incipias gravia ſunt,
Dumque ignores: ubi cognoris, facilia. *CL.* faciam pater.
S. Nate mi, ego Pol tibi dabo uxorem quam tu facile ames,
Filiam Phanocratæ noſtri. *CL.* rufamne illam virginem.
Cæſiam, ſparſo ore, adunco naſo? non poſſum pater.
CH. Eja, ut elegans eſt? credas animum ibi eſſe? *S.* aliam dabo.

Non ſinemus. Ut tua bona dentur Bacchidi.

Pertendere. Ad extremum perducere; filium exhæredare.

A me recipio. Promitto.

Nihil etiam audio ipſum. Subaudi, reſpondere: nihil id ſe promittit.

An dubitas? An cunctaris id patri promittere?

Imo. Quæro utrum amborum velit? uxorem ducere, an exhæredari?

Hæc dum incipias, &c. Relinquere Bacchidem, o fili, grave incœptu eſt; ubi aſſueveris, & rem ipſam cognoveris, facile erit.

Cæſiam. Oculis glaucis, quales ſunt felibus.

Sparſo. Maculis fœdis decoloratо.

Elegans. Delicatus.

Credas. Quis credat illum ad eas res animum adeo advertere?

Hæc

CL. Quandoquidem ducenda eſt, egomet habeo propemodum
Quam volo. *S.* nunc laudo te gnate. *CL.* Archonidis filiam.
S. Perplacet. *CL.* pater, hoc nunc reſtat. *CH.* quid? *CL.* Syro ignoſcas volo,
Quæ mea cauſſa fecit. *CH.* fiat. Vos valete, & plaudite.

Habeo. Facile inveniam, occurrit mihi.

FINIS.

P. TE-

P. TERENTII

HECYRA.

ARGUMENTUM.

PAMPHILUS Lachetis & Soſtratæ filius Philumenam uxorem duxit, jubente patre. Amaverat hactenus Bacchidem, acciderateque ut ei daret annulum, quem Philumenæ per tenebras ignotæ detraxerat, cum ea aliquando inviſeret, paucis diebus antequam ipſam uxorem acciperet; Acceptam tamen non vidit, quia invitus duxerat, imo etiam peregre profectus eſt, hæreditatis cujuſdam adeundæ cauſſa. Poſt menſes admodum novem hic reverſus Philumenam gravidam & parturientem offendit. Mirari hoc adoleſcens, & ægre ſcilicet ferre; nolle hanc recipere, cujus partum alienum putabat; interim orare cum lacrymis mater Philumenæ Myrrhina, ut eam repudiet ſane ſi velit, rem tamen palam non faciat, honori filiæ conſulat. Annuit Pamphilus: renunciat patre & Socero, uxorem ſe recipere non poſſe, neque illis tamen veram cauſſam aut probabilem aliam affert: itaque ſuſpicantur ſenes in Soſtrata Pamphili matre, & Myrrhina matre Philumenæ culpam omnem & cauſſam diſſidii hærere; idque eo magis, quod Philumena, quæ domo Soſtratæ diſceſſerat, reduci ac Socrum videre non ſuſtineret, verum cum nihil eſſe moræ in Soſtrata vel Myrrhina ſenes comperiſſent, in Bacchidem conjiciunt omnem culpam, cujus amore irretitus Pamphilus adhuc teneatur. Illa, quæ Pamphilus ſpernere cœperat, ex quo ductam ab eo Philumenam viderat, viciſſimque ab illo fuerat neglecta; cum a ſenibus evocata ſe in cauſſa negaret eſſe cur Pamphilus uxorem recipere nollet; Myrrhi-

na

na in ejus digito annulum a Pamphilo ante menses novem Philumenæ detractum & eidem Bacchidi datum agnoscit; ex quo intellectum est, Philumenam e Pamphilo peperisse. Lætus ille uxorem accipit, & cum prole domum reducit.

PERSONÆ.

LACHES, senex Atheniensis, Pamphili pater.

PHIDIPPUS, senex Atheniensis, Philumenæ pater.

SOSTRATA, uxor Lachetis.

MYRRHINA, uxor Phidippi.

PHILOTIS. } ancillæ.
SYRA. }

BACCHIS, mulier a Pamphilo amata prius quam Philumenam uxorem acciperet.

PAMPHILUS, adolescens, Lachetis & Sostratæ filius.

PARMENO, } servi.
SOSIA, }

PHILUMENA, uxor Pamphili, Phidippi filia. } mutæ personæ.

SCIRTUS, servulus. } mutæ personæ.

P. TE-

P. TERENTII

HECYRA.

ACTA PRIMO LUDIS ROMANIS, SEX JULIO Cæsare, Cn. Cornelio Dolabella Ædil. Curul. Modos fecit Flaccus Claudii. Tibiis Paribus Tota Græca Appolodori non est peracta. Data secundo, Cn. Octavio. T. Manlio Coss. non est placita. Tertio relata, Q. Fulvio, L. Marcio Ædilib. Curulib. egit L. Ambivius Turpio., placuit.

Ludis Romanis. Sub regibus instituti fuerunt illi Ludi, in honorem Jovis, Junonis, & Minervæ: Magni quoque vocabantur, ob impensarum magnitudinem, quibus primo editi sunt, vel quia magnis Diis fiebant: de his loquitur Cicero in Verr. actione 1

Tibiis paribus. Tibiæ pares sunt duæ extræ, vel duæ sinistræ: impares, una dextra, & altera sinistra; dextra tibia dicebatur ea, quæ dextra oris parte inflabatur, unicum eadem habebat foramen & sonum graviorem emittebat: sinistra, duo foramina & sonum habebat acutiorem. Cum duæ tibiæ pares dextræ adhibebantur, modus ille vocabatur *Lydius*: cum duæ sinistræ: *Tyrius*, sive *Sarranus*: cum modo dextræ, modo sinistræ, id est, impares, *Phrygius*, sive *Barbarus*.

Non est peracta. Vide causam in prologo.

Relata. In theatrum, iterum edita.

Tertio relata... Cadit annus iste in annum ab Urbe Condita DLXXXVIII. ante Christum CLXIII.

PRO

PROLOGUS.

Fabulæ, poetæ, & actoris, qui prologum recitat, commendationem continet.

HECYRA eſt huic nomen fabulæ: hæc cum data ſit
Nova, novum intervenit vitium, & calamitas,
Ut neque ſpectari, neque cognoſci potuerit;
Ita populus ſtudio ſtupidus, in funambulo
Animum occuparat: nunc hæc plane eſt pro nova:
Et is, qui ſcripſit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre; ut iterum poſſit vendere.
Alias cognoſtis ejus, quæſo hanc noſcite.

Fabulæ. Comœdiæ. Hecyra autem græca vox eſt Socrum ſignificans; quia Soſtrata, Pamphili mater, & ſocrus Philumenæ, præcipuum hujus fabulæ nodum facit.

Hæc... Cum hæc comœdia primum eſt exhibita.

Vitium. Verbum eſt petitum ex augurum diſciplina: vitioſi enim dicebantur magiſtratus, ſeu vitio creati, qui interveniente aliquo infauſto omine, cum haberentur comitia, verbi gratia, tonitru, grandine, &c. facti fuiſſent. Eis acta fuit Hecyra, neque abſoluta, vel probata. Primum ob funambulum cujus viſendi ſtudio populus avocatus: iterum ob gladiatores, ad quos etiam ſpectandos populus abductus eſt a theatro; Denique tertium data, mirifice placuit, id agente in primis Ambivio actore magni nominis, qui hunc prologum recitat. Prima autem vice, ſine prologo acta fuiſſe dicitur: ſecunda cum prologo, qui incipit ab his verbis; *Hecyra eſt huic nomen*, &c. Uſque ad hæc verba, *Orator ad vos*: tertia demum vice, prologus hic eſt præfixus, *Orator ad vos venio*, &c. Itaque duo prologi in unum permixti ſunt.

Studio. Videndi curioſitate. *Stupidus*. Præ admiratione ſtupens.

Pro nova. Quaſi nunquam fuiſſet data.

Is. Terentius.

Iterum referre. Comœdiam hanc ſtatim poſt funambuli ſpectaculum rurſum dare in theatrum noluit, ut aliquanto ſpatio interjecto, eam pro nova hiſtrionibus venderet.

Alias ejus. Alias comœdias

ORATOR ad vos venio ornatu prologi
Sinite exorator fim, eodem uti jure ut ſenem
Liceat, quo jure fim uſus adoleſcentior,
Novas qui exactas feci tu inveteraſcerent,
Ne cum poeta ſcriptura evaneſceret.
In his, quas primum Cæcili didici novas,
Partim ſum earum exactus, partim vix ſteti.
Quia ſciebam, dubiam fortunam eſſe ſcenicam,
Spe incerta, certum mihi laborem ſuſtuli:
Eaſdem agere cœpi, ut ab eodem alias diſcerem.
Novas ſtudioſe, ne illum ab ſtudio abducerem:
Perfeci, ut ſpectarentur: ubi ſunt cognitæ,

dias ab eodem factas Terentio ſpectaviſtis.

Orator. Qui publica legatione fungitur, unde jure gentium orator eſt audiendus; ideo, ne expellatur, oratorem ſe, non prologum nominat. *Donat*. Item, *orator* eſt, qui alicujus cauſam defendit, qui aliquid petit; *exorator*, qui impetrat.

Ornatu. Dum partes ago prologi, pernomen & ſpeciem prologi.

Sinite, &c. Impetrem a vobis ut ſenex idem faciam, eadem utar facultate & felicitate, qua ſum uſus adoleſcens, cum feci ut comœdiæ Cæcilii poetæ quæ fuerant exactæ & exploſæ e theatro, cum novæ datæ eſſent, iterum favente populo ſpectarentur, idque ſæpius, adeo ut inveteraſcerent; id eſt, ſæpius agerentur, & quamdam quaſi in theatro ſenectutem ſuam obtinerent.

Ne cum... Ne poema & lucubratio (nempe Cæcilii) cum ipſo evaneſceret; id eſt, cum illius fama periret, obſoleſceret.

In his, &c. Sententia eſt: in his fabulis quas a Cæcilio compoſitas didici, exhibui, *partim ſum earum*, id eſt, in earum magna parte ſum exploſus, in alia parte vix auditus & probatus: cum tamen intelligerem fortunam comœdiarum, & theatri aleam valde eſſe ambiguam, modo averſam, modo proſperam, in ea ſpe incerta proſperi eventus, certum diſcendi & agendi laborem ſuſcepi; itaque eaſdem comœdias Cæcilii quæ fuerant exploſæ cum erant novæ, iterum egi, ut ab eodem alias novas ſtudioſius & accuratius factas diſcerem, & ut ne ille ſcribendi laborem deponeret.

Cæcilii. Fuit Cæcilius poeta comicus celeberrimus, Terentio paulo ſenior.

Steti. *Cadere*, fabula dicitur, quæ rejicitur: *ſtare*, quæ admittitur. Horat. in arte Poet. *Sectum*

lu-

Placitæ sunt, ita poetam restitui in locum,
Prope jam remotum injuria adversarium
Ab studio, atque ab labore, atque ab arte musica?
Quod si scripturam spreviſſem in præsentia,
Et in deterrendo voluiſſem operam sumere,
Ut in otio esset potius, quam in negotio,
Deterruiſſem facile, ne alias scriberet.
Nunc quid petam, mea causſa, æquo animo attendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium
Nunquam agere licitum est, ita eam oppressit calamitas,
Eam calamitatem vestra intelligentia
Sedabit, si erit adjutrix nostræ induſtriæ.
Cum primum ea agere cœpi, pugilum gloria,
Funambuli eodem accessit expectatio,
Concursum conventus, strepitus, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras.
Vetere, in nova, cœpi uti consuetudine,
In experiendo ut essem: refero denuo.
Primo actu placeo; cum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores; populus convolat,
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco:

cadat, an recte ſtet fabula talo.

In locum. In pistrinum dignitatis & famæ gradum.

Remotum, Deterritum, abductum.

Adversarium. Adversariorum.

Arte musica. A poesi, a scribendis comœdiis.

Quod si &c. Quod si fabulas a Cæcilio scriptas & explosas ego abjeciſſem & iterum agere spreviſſem, eumque a scribendo deterrere conatus essem.

Intelligentia. Prudentia.

Pugilum. Athletarum, qui inter se luctabantur, concertatio, gloriæ & laudis causſa susceptа.

Funambuli. Qui per extensum sublimem funem ambulat.

Foras. Ut excedere Theatro cogeret.

Vetere, &c. Ordo est: in hac nova Terentii fabula usus sum veteri mea consuetudine, qua eram olim usus in Cæcilii fabulis, nempe ut experirer iterum an placerent, ut eas denuo referrem: retuli Hecyram denuo, &c.

Lon

Ego interea meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla eſt, otium, & ſilentium eſt,
Agendi tempus mihi datum eſt, vobis datur
Poteſtas condecorandi ludos ſcenicos.
Nolite ſinere per vos artem muſicam
Recidere ad paucos; facite, ut veſtra auctoritas
Meæ auctoritati fautrix, adjutrixque ſit.
Si nunquam avare ſtatui pretium artri meæ,
Et eum eſſe quæſtum, in animum induxi, maxumum,
Quam maxume ſervire voſtris commodis:
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium ſuum, & ſe in veſtram commiſit fidem,
Ne eum circumventum inique iniqui irrideant.
Mea cauſſa cauſſam hanc accipite, & date ſilentium,
Ut liceat ſcribere aliis, mihique ut diſcere
Novas expediat poſthac, pretio empias meo.

Locum. In ſcena diutius manere.

Datum eſt. Ab Ædilibus.

Muſicam. Poeticam.

Recidere ad paucos. Nolite committere ut veſtro vitio pauci appellant animum ad poeſim.

Auctoritati. Quia ſenex, quia veluti Orator & Legatus eſt.

Circumventum. Deluſum, oppreſſum; Terentium dicit: eſt autem hic ordo; ſinite impetrare me, ne irrideant adverſarii iniqui eum, qui ſe artemque ſuam in fidem veſtram contulit.

Mea cauſſa. In meam gratiam; accipite defenſionem Terentii.

Pretio meo. A me ſtatuto & indicato: petebant Ædiles ab Hiſtrione aliquo primario fabulam quæ in ludis publicis ageretur: ſimulque illum jubebant indicare pretium quo illam vellet ipſis vendere. Id pretium aut pars certa perſolvebatur poetæ; quod ſi fabula explderetur, Ædiles repetere poterant pecuniam a ſe datam quod damnum Hiſtrionis erat.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PHILOTIS, SYRA.

Philotis & Syra ancillæ & comites Bacchidis indigne ferunt, Pamphilam uxorem duxisse, relicta, quam amare videbatur, Bacchide.

P. PER POL quam paucos fideles reperias, Syra.
Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi,
Quam sancte, ut quivis facile posset credere,
Nunquam illa viva ducturum uxorem domum:
Hem duxit? **S.** ergo propterea te sedulo
Et moneo, & hortor, ne cujusquam te miserat,
Quin spolies, mutiles, laceres, quemquem nacta sit.
P. Utin' eximium neminem habeam? **S.** neminem.
P. Tamen eamdem pol esse omnibus, injurium est.
S. Injurium est autem ulcisci adversarios?
Aut qua via captent te illi, eadem ipsos capi?

Per Pol. Per Pollucem.
Vel hic... Documento sit ille ipse Pamphilus noster..
Quemquem. Quemcumque.
Utin'... An id mones ut neminem, &c.
Eximium. Præcipue carum, exemptum ex illo numero.
Qua via... Cavent illi ne quid nobis dent pecuniæ, ad suas explendas libidines: nos operam demus, ut quam plurimum ab iis lucri faciamus.

SCENA SECUNDA.

PARMENO, PHILOTIS, SYRA.

Philotidi Parmeno totius fabulæ argumentum explicat.

PA. SENEX si quæret me modo, isse dicito
Ad portam percontatum adventum Pamphili.
Audin', quid dicam, Scirte? si quæret me, uti
Tum dicas, si non quæret, nullus dixeris:
Alias ut uti possim caussa hac integra
Sed videone ego Philotion? unde hæc advenit?
Philotis, salve multum. *PH.* o salvè, Parmeno.
S. Salve mecastor, Parmeno. *PA.* & tu, ædepol, Syre.
Dic mihi, Philotis, ubi te oblectasti tamdiu?
PH. Minime equidem me oblectavi, quæ cum viro
Corinthum hinc sum profecta inhumaniſſimo:
Biennium ibi perpetuum misera illum tuli.
PA. Ædepol, te desiderium Athenarum arbitror
Philotion, cepisse sæpe, & te tuum

Senex. Laches, Pamphili pater.

Pamphili. Qui Imbrum erat profectus, & quotidie expectabatur.

Scirte. Servulus hic intus erat, quem exiens Parmeno alloquitur foris.

Uti. Subaudi, moneo te ut tum dicas, nempe me isse ad portum.

Nullus. Non, neutiquam.

Alias... Ut alia in occasione possim hanc ipsi exeundi domo causam recentem & intactam afferre.

Philotion. Vox diminuta, ut blandientes solent: erat Bacchidis ancilla, ut Syra.

Mecastor. Me servet, juvet Castor, vel, per Castorem; ut, *me*, positum sit pro, μὰ Græcorum.

Ædepol. Per ædem Pollucis. Jurandi formula.

Corinthum. Est urbis Acha-

Consilium contempsisse. *PH.* non dici potest
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,
Vosque hic videndi, antiqua ut consuetudine
Agitarem inter vos libere convivium.
Nam illic haud licebat nisi præfinito loqui
Quæ illi placerent. *PA.* haud opinor commode
Finem statuisse orationi militem.
PH. Sed quid hoc negoti est? modo quæ narravit mihi
Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi
Fore, ut hac ille viva posset animum inducere
Uxorem habere. *PA.* habere autem? *PH.* eho tu, an non habet?
PA. Habet, sed firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ.
PH. Ita Di Deæque faxint, si in rem est Bacchidis.
Sed qui istuc credam ita esse, dic mihi, Parmeno.
PA. Non est opus prolato, hoc percunctarier.
Desiste. *PH.* nempe ea causa, ut ne id fiat palam
Ita me Di bene amabunt, haud propterea te rogo,
Ut hoc proferam, sed ut tacita mecum gaudeam.

chajæ in Græcia, in Isthmo Peloponnesiaco.

Consilium. Eundi Corinthum.

Præfinito. Subaudi, tempore vel sermone, &c. pro, ut præfinisset ac præscripsisset mihi miles incommodus.

Finem, &c. Video sane non tibi placuisse, quod miles tuæ orationi & loquacitati modum poneret.

Hac. Bacchide.

Ille. Pamphilus.

Habere autem. Corrigit hoc verbum: quid ais? habere uxorem, potius non habet quam habet, quia non diu stabunt, opinor, hæ nuptiæ: habere aliquid significat, hoc in loco ut proprium ac perpetuum possidere.

Istuc. Firmas non fore nuptias.

Ea causa. Nempe dicis hoc non esse proferendum ne arcanum palam fiat?

Nun-

PA. Nunquam dices tam commode, ut tergum meum
Tuam in fidem committam. *PH.* ah noli, Parmeno:
Quasi non tu multo malis narrare hoc mihi,
Quam ego, quæ perconter, scire. *PA.* vera hæc prædicat.
Et illud mihi maximum vitium est: si mihi fidem
Das te taciturum, dicam. *PH.* ad ingenium redis:
Fidem do, loquere. *PA.* ausculta. *PH.* istuc sum. *PA.* hanc Bacchidem
Amabat, ut cum maxime, tum Pamphilus,
Cum pater, uxorem ut ducat, orare occipit:
Et hæc, communia omnium quæ sunt patrum,
Se senem esse, dicere, illum autem esse uniatum:
Præsidium velle se senectuti suæ.
Ille primo se negare: sed postquam acrius
Pater instat, fecit animi ut incertus foret,
Pudorine, amne amori obsequeretur magis.
Tundendo, atque odio denique effecit senex:
Despondit ei gnatam hujus vicini proximi.

Nunquam dices. Nunquam tam me orabis, tam apte ad arcanum extorquendum loqueris, ut velim exponere me periculo vapulandi; si tu non taceueris, ut polliceris.

Noli. Noli tacere.

Mihi vitium est. Ut narrare velim, quæ scio, tacere ut non possim: hoc demissa paullulum voce dicit.

Ad ingenium redis. Vis loqui, tacere non potes, pro more tuo.

Istuc sum. Hoc ago, ausculto, attendo.

Et hæc. Subaudi, incipit.

Præsidium. Velle se habere a filio nepotes, quibus familia niteretur, & senectus sua.

Ut incertus foret. Ut dubitaret Pamphilus, an obsequeretur patri ob ejus reverentiam; an potius ob amorem Bacchidis negare pergeret.

Tundendo. Obtundendo filium, eadem sæpe repetendo.

Odio. Odiose & molestè flagitando.

Effecit. Id obtinuit quod a filio petebat.

Gnatam. Philumenam Phidippi filiam.

Uſque illud viſum eſt Pamphilo neutiquam grave,
Donec jam in ipſis nuptiis, poſtquam videt
Paratas, nec moram ullam, quin ducat, dari;
Ibi demum ita ægre tulit, ut ipſam Bacchidem
Si adeſſet, credo, ibi ejus commiſereſceret.
Ubicumque datum erat ſpatium ſolitudinis,
Ut colloqui mecum una poſſet; Parmeno,
Perii, quid ego egi? in quod me conjeci malum?
Non potero hoc ferre, Parmeno, perii miſer.
PH. At te Di Deæque perduint cum iſthoc odio Laches.
PA. Ut ad pauca redeam, uxorem deducit domum.
PH. Quid deinde fit? *PA.* diebus ſane pauculis
Poſt, Pamphilus me ſolum ſeducit foras:
Narratque ut virgo ab ſe integra etiam tum fiet:
Seſe ante, quam eam uxorem duxiſſet domum,
Speraſſe eas tolerare poſſe nuptias;
Sed quam decrerim me non poſſe diutius
Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
Quin integram itidem reddam, ut accepi a ſuis,
Neque honeſtum mihi, neque utile ipſi virgini eſt.
PH. Pium, ac pudicum ingenium narras Pamphili.

Uſque. Eatenus.

Nec moram, &c. Neque ullum ſpatium temporis dari ad nuptias diſturbandas.

Quin. Quominus.

Ut ipſum.... Ut ipſa Bacchis ejus commiſeratione permovere potuiſſet.

Perii. Subaudi, dicebat mihi.

At. Initio orationis, objurgandi vim magnam habet.

Perduint. Perdant.

Odio. Ob iſtam tuam importunitatem, qua coegiſti filium uxorem invitum ducere.

Sed quam, &c. Ordo eſt, ſed neque honeſtum mihi, neque illi utile eſt eam haberi ludibrio a me, & decipi, quam decreverim non habere amplius pro uxore, repudiare; quin reddam talem qualem a ſuis parentibus accepi.

PA. Hoc ego proferre, incommodum esse mihi arbitror.
Reddi patri autem, cui tu nihil dicas vitii,
Superbum est: sed illam spero, ubi hoc cognoverit,
Non posse se mecum esse, abituram denique.
PH. Quid interea? ibatne ad Bacchidem? *PA.* quotidie.
Sed, ut sit, postquam hunc alienum ab sese vidit,
Maligna multo magis & procax facta illico est.
PH. Non ædepol mirum. *PA.* atqui ea res multo maxime
Disjunxit illum ab illa, postquam & ipse sese,
Et illam, & hanc, quæ domi erat, cognovit satis,
Ad exemplum ambarum mores earum existimans.
Hæc, ita uti liberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta; incommoda atque injurias
Viri omnes ferre, & tegere contumelias:
Hic animus partim uxoris misericordia
Devinctus, partim vinctus hujusce injuriis,
Paullatim elapsus est Bacchidi, atque huictransstulit
Amorem; postquam par ingenium nactus est.

Hoc ego. Verba Pamphili ad Parmenonem.
Proferre. Palam renuntiare Phidippo & Myrrhinæ nolle me ipsarum filiam retinere diutius domi meæ.
Patri. Phidippo.
Cui... Si patri non explicem quid caussæ sit, quare illam repudiem.
Hoc. Nempe se non posse mecum vivere.
Abituram. Sponte.
Ibatne. Pamphilus.
Videt. Bacchis.
Illam. Bacchidem.
Hanc. Philumenam.
Ambarum... Alteram cum altera comparans, & æstimans ex altera.
Hæc. Philumena.
Hic animus, &c. Tunc animus Pamphili:
Hujus. Bacchidis.
Elapsus est. Divulsus est a Bacchide, & in hanc transtulit amorem, postquam animadvertit ingenium Philumenæ suo congruere.
Par. Suo ingenio accommodatum.

Interea, in Imbro moritur cognatus ſenex
Horunc', ad hos redibat lege hereditas.
Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater,
Reliquit cum matre hic uxorem : nam ſenex
Rus abdidit ſeſe, huc raro in urbem commeat.
PH. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiæ ?
PA. Nunc audies : primum, dies compluſculos
Bene conveniebat ſane inter eas ; interim
Miris modis odiſſe cœpit Soſtratam,
Neque lites ullæ inter eas, poſtulatio
Nunquam. *PH.* quid igitur ? *PA.* ſi quando ad eam acceſſerat
Confabulatum, fugere e conſpectu illico ;
Videre nolle : denique, ubi non quit pati,
Simulat ſe a matre accerſi ad rem divinam, abiit.
Ubi illic dies eſt complures, accerſi jubet ;
Dixere cauſſam tunc neſcio quam : iterum jubet :
Nemo remiſit. Poſtquam accerſivit ſæpius,
Ægram eſſe ſimulant mulierem : noſtra illico

Imbro. Eſt Imbrus Ægei maris inſula.

Horunc'. Horumce, nempe Lachetis & Pamphili.

Amantem. Philumenæ uxori ſuæ jam addictum, relicta Bacchide.

Extrudit. Abire perpulit.

Infirmitatis. Quid adhuc dixiſti cur eſſe illas nuptias parum firmas putem ?

Cœpit. Philumena.

Conveniebat. Nihil erat inter illas diſſenſionis, odii, jurgii.

Eas. Soſtratam & Philumenam.

Poſtulatio. Expoſtulationes, querelæ.

Pati'. Conſpectum & conſuetudinem Soſtratæ : quia ſe gravidam videbat, idque non e Pamphilo, ut putabat. *Pati*, ſumi poteſt hic pro, durare.

A matre. Myrrhina.

Rem divinam. Sacrificium celebrandum.

Ubi illic eſt. Poſtquam illic cum matre diu fuiſſet, eam jubet Soſtrata accerſi ad ſeſe.

Dixere. Myrrhina, & Philumena.

Cauſſam. Cur non rediret ad Socrum Philumena.

Nemo remiſit. Non remiſſa eſt ad Socrum Philumena.

Noſtræ. Hera Soſtrata.

Se-

It visere ad eam; admisit nemo. Hoc ubi senex
Rescivit, heri ea caussa jure huc advenit:
Patrem continuo convenit Philumenæ.
Quid egerint inter se, nondum etiam scio:
Nisi sane curæ est, quorsum eventurum hoc siet,
Habes omnem rem: pergam quo cœpi hoc iter.
PH. Et quidem ego: nam constitui cum quodam hospite,
Me esse illum conventuram. *PA.* Dii vertant bene
Quod agas. *PH.* Vale. *PA.* & tu bene vale Philotion:

Senex. Laches.
Patrem. Phidippum.
Nisi... Sed hoc me angit tamen, ad incertum tenet, quid eventurum ea re sit.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

LACHES, SOSTRATA.

Increpat uxorem suam Laches, quod duritie sua nurum Philumenam domo extruserit: negat id a se factum Sostrata.

L. PRo Deum atque hominum fidem! quod hoc genus est? quæ hæc conjuratio?
Ut omnes mulieres eadem æque studeant, nolintque omnia?
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias?
Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus,

Hoc genus. Natio mulierum.

Viris esse adversas æque studium est, similis pertinacia est.
Neodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam;
Et ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.
SO. Me miseram, quæ nunc, quamobrem accuser, nescio. L. hem,
Tu nescis? SO. Non, ita me Di bene ament, mi Laches,
Itaque una inter nos agere ætatem liceat. L. Di mala prohibeant.
SO. Meque abs te immerito esse accusatam, postmodum rescisces. L. scio.
Te immerito? an quidquam pro istis factis dignum te dici potest?
Quæ me, & te, & familiam dedecoras, filio luctum paras;
Tu autem, ex amicis inimici ut sint nobis affines, facis,
Qui illum decrerunt dignum, suos sui liberos committerent.
Tu sola exorere, quæ perturbas hæc tua impudentia. S egone?
L. Tu, inquam, mulier, quæ me omnino lapidem, haud hominem, putas.
An, quia rari esse crebro soleo, nescire arbitramini,
Quo quisque pacto hic vitam vestrorum exigat?
Multo melius, hic quæ fiunt, quam illic, ubi sum assidue, scio:

Ludo. Schola.
Hanc. Soſtratam.
Itaque. Et ita; nobis ita liceat diu pacate vivere, ut hoc nescio.
Mala. Prohibeant ne tecum ætatem agam.
Te immerito? Subaudi, accuso? nempe te immerito accuso? ironice?
Illum. Pamphilum.
Liberos. Philumenam.
Exorere. Exoreris.
Vestrorum. Vestrum.
Hic. In urbe, ubi jam sumus.

Ideo

Ideo quia, ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris:
Jam pridem equidem audivi cepisse odium tui Philumenam:
Minimeque adeo mirum, & ut id fecisset, magis mirum foret:
Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum:
Quod si sciissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.
At vide, quam immerito ægritudo hæc oritur mihi abs te, Sostrata.
Rus habitatum abii, contedens vobis, & rei serviens,
Sumptus vestros, otiumque ut nostra res posset pati,
Meo labori haud parcens, præter æquum, atque ætatem meam:
Non te pro his curasse rebus, nequid ægre esset mihi?
SO. Non mea opera, neque pol culpa evenit. L. immo maxime:
Sola hic fuisti, in te omnis hæret culpa sola, Sostrata:
Quæ hic erant, curares, cum ego vos solvi curis ceteris.
Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?

Ideo, &c. Ideireo tam accurate scio quæ domi agatis: quia talis erit mea fama inter homines, qualis vita vestra domi erit.

Ni id fecisset. Nisi eam odium tui cœpisset.

Sed non, &c. Non tamen credidi eo usque processurum hoc odium, ut, &c.

Concedens vobis. In id vestram utilitatem faciens.

Res. Augendi opibus.

Nostra res. Fortunæ, copes sufficere possent ad tolerandos sumptus, quos in urbana hac & otiosa vita facitis.

Curasse. Non te pudet non curasse pro tot meis beneficiis, ut, &c.

Curares. Curare debueras.

Solvi. Solutas esse volui, liberari.

Illius dices culpa factum. *SO.* haud quidem dico, mi Laches.

L. Gaudeo (ita me Di ament) gnati caussa: nam de te quidem

Satis scio, peccando detrimenti nihil fieri potest.

SO. Qui scis, an ea caussa, mi vir, me odisse assimulaverit,

Ut cum matre una plus esset? *L.* quid ais? non signi sat est,

Quod heri nemo voluit viventem te ad eum intermittere?

SO. Enim lassam oppido tum ajebant: eo ad eam non admissa sum.

L. Tuos esse illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem arbitror.

Et merito adeo: nam vestrarum nulla est, quin gnatum velit

Ducere uxorem; & qua vobis placita conditio est, datur:

Ubi duxere impulsu vestro, vestro impulsu eadem exigunt.

Gnati caussa. Qui habeat uxorem, quam accusare non possis.

Peccando, &c. Quia peccando fieri pejor non potes. Quantumcumque peccaveris, nihil de tua existimatione amittetur, quæ jam est, audisque pessima.

Plus. Diutius.

Tuos, &c. Puto illam ægrotare potius ob molestiam quam capit de tuis moribus, & sævitia tua; &c.

Conditio. Matrimonium, uxor: datis filiis vestris eas, quas vobis lubet, uxores.

Exigunt. Expellunt.

SCE-

SCENA SECUNDA.

PHIDIPPUS, LACHES, SOSTRATA.

Laches queritur cum Phidippo quod abierit Philumena: respondet Phidippus, eam, absente Pamphilo, apud socrum perdrrae non posse.

L. ETsi scio, Philumena, meum jus esse ut te cogam,
Quæ ego imperem, facere: ego tamen patrio animo victus, faciam
Ut ti i concedam, neque tuæ libidini adversabor.
Atque eccum Phidippum optime video; ex hoc jam scibo, quid siet.
Phidippe, etsi ergo meis omnibus scio me esse apprime obsequentem:
Sed non adeo, ut facilitas mea illorum corrumpat animos:
Quod si tu idem faceres, magis in rem & nostram, & vestrum id esset.
Nunc video in illarum potestate esse te. P. Eja vero.
L. Adii te heri de filia: ut veni, itidem incertum amisi.

[1] *Etsi scio.* Hoc tacitus & secum dicit, & quasi absolvens sermonem cum ipsa Philumena intus a se habitum.

Cogam. Redire domum faceri.

Concedam. Morem geram.

Libidini. Voluntati: *libido*, est voluntas quælibet temere susceptа: patiar domi meæ manere, si velis.

Meis. Liberis, conjugi.

Obsequentem. Commodum, comem.

In illarum... Te ad uxoris & filiæ tuæ arbitrium & quasi imperium omnia facere.

Eja vero. Bona verba quæso: vel annon illud dixeram jurgatorum mecum de Lachete.

De filia. Ut statueremus an reditura esset meam domum.

Ut veni... Ordo est amisti,

Haud ita decet, si perpetuam vis esse affinitatem hanc,
Celare te iras: si quid est peccatum a nobis, profer.
Aut ea, refellendo, aut purgando vobis, corrigemus,
Te judice ipso: sin ea est caussa retinendi apud vos,
Quia ægra est; te mihi injuriam facere arbitror Phidippe,
Si metuis, satis ut meæ domi curetur diligenter,
At (ita me Dii ament) haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,
Ut tu illam salvam magis velis, quam ego: id adeo gnati caussa,
Quem ego intellexi illam haud minus, quam seipsum, magnifacere.
Neque adeo me clam est, quam esse eum graviter laturum credam,
Hoc si resciverit: eo, domum studeo hæc prius, quam ille hoc redeat.
P. Laches, & diligentiam vestram, & benignitatem
Novi, & quæ dicis omnia esse, ut dicis, animum induco:
Et te hoc mihi cupio credere; illam ad vos redire studeo,
Si facere possim ullo modo. L. quæ res te facere id prohibet?
Eho, numquid nam accusat virum. P. minime; nam postquam attendi

sti, pro amisisti, id est dimisisti, reduxisti me tam incertum, quam veneram.

Refellendo. Refellit qui negat, purgat qui fatetur, & se sic defendit. *Donat.*

Adeo. Subaudi, facio.

Eo domum, &c. Sententia est; ideo studeo & curo, ut hæc, id est, Philumena domum prius meam redeat, quam ille, nempe Pamphilus, ex Insula Imbro revertatur.

Aliud

Magis, & vi cœpi cogere ut rediret, sancte adjurat
Non posse apud vos, Pamphilo & absente, perdurare.
Aliud fortasse aliis vitiis est; ego sum animo leni natus,
Non possum adversari meis. *L.* hem; Sostrata! *S.* heu me miseram!
L. Certumne est isthuc? *P.* nunc quidem, ut videtur, sed nunquid vis?
Nam est, quod me transire ad forum jam oportet. *L.* eo tecum una.

Aliud. Alii homines aliis fortasse vitiis laborabunt, ego nimia in liberos meos indulgentia pecco.
Hem ... Vides eam omnem culpam in te hærere.
Certumne est? An apud te Philumena manebit, tandiu dum aberit Pamphilus? an hoc tibi constitutum est?
Nunc quidem, &c. Certum est, ut res sunt.
Transire. Cito ire.

SCENA TERTIA.

SOSTRATA.

Queritur de virorum iniquitate.

S. Æ Depol ne nos mulieres sumus æque omnes invisæ viris,
Propter paucas, quæ, omnes faciunt dignæ ut videamur malo.
Nam (ita me Di ament) quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.
Sed non facile est expurgatus: ita animum induxerunt, socrus

Malo. Virorum odio.
Noxiam. Culpam.
Sed ... Non facile est me apud illos purgare, me insontem probare.

Omnes esse iniquas; haud pol me quidem: nam nunquam secus
Habui illam, ac si ex me esset nata, nec, qui hoc mihi eveniat, scio:
Nisi pol filium multis modis jam expecto ut redeat domum.

Iniquas. Nuribus infensas.
Me. Talem scio esse.
Qui. Quare.
Nisi... Certe, itaque.
Multis modis. Vehementer, multis de causis.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

PAMPHILUS, PARMENO, MYRRHINA.

Reversus ex Imbro Pamphilus aegrotare Philumenam audit, & a Socru dissidere.

PAM. NEmini ego plura acerba esse credo homini umquam oblata,
Quam mihi: heu me infelicem! hanccine ego vitam parsi perdere?
Haccine caussa ego eram tantopere cupidus redeundi domum?
Cui quanto fuerat praestabilius, ubivis gentium agere aetatem,
Quam huc redire? atque haec ita esse miserum me rescisCere?
Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labos,

Parsi perdere. Cavi ne perderem? cur vitam per tot labores ac pericula reservavi in hunc dolorem?

audierat nempe uxorem a sua matre graviter dissidere.
Nam nos omnes. Iste nomi-

Omne quod eſt interea tempus, prius quam id reſciſcum eſt, luero eſt.

PAR. At ſic, citius qui te expedias his ærumnis, reperies.

Si non rediſſes, hæ iræ factæ eſſent multo ampliores:

Sed nunc adventum tuum ambas, Pamphile, ſcio revereturas:

Rem cognoſces, iram expedies, rurſum in gratiam reſtitues.

Levia ſunt hæc, quæ tu pergravia eſſe in animum induxti tuum.

PAM. Quid conſolare me? an quiſquam uſquam gentium eſt æque miſer?

Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum:

Jam in hac re, ut taceam, cuivis facile ſcitu quam fuerim miſer:

Tamen nunquam auſus ſum recuſare eam, quam mihi obtrudit pater.

Vix me illinc abſtraxi, atque impeditum in ea expedivi animum meum:

Vixque huc contuleram, hem nova res orta eſt, porro ab hac quæ me abſtrahat.

minativus refertur ad aliquid quod expreſſum non eſt: v. g. ita comparati ſumus: vel, ſubaudi, apud nos omnes ejuſmodi oratio non cohærens, latinis oratoribus & poetis in uſu interdum eſt.

Omne quod eſt... Quamdiu ignoramus mala noſtra, non dolemus; & iſta temporis interjecti mora quoddam quaſi ſpatium eſt.

At ſic. Tuo reditu.

Iræ. Inter Soſtratam & Philumenam.

Expedies. Lenies, placabis; vel potius, quidquid eſt in mora quominus iras ponant, ſolves.

Amori. Bacchidis.

Jam in hac re. In amore Bacchidis.

Ut taceam. Quamvis ipſe id non dicam, facile tamen quivis poteſt ſcire....

Eam. Philumenam.

Illinc. A Bacchide.

Impeditum. Implicatum.

In ea. In Bacchide, in ejus amore.

Expedivi. Liberavi.

Huc. Ad amandum Philumenam.

Ob-

Tum matrem ex ea re, aut me uxorem in culpa inventurum arbitror:
Quod cum ita esse invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?
Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet:
Tum uxori obnoxius sum, ita olim suo me ingenio pertulit,
Tot meas injurias, quæ nunquam in ullo patefecit loco.
Sed magnum nescio quid necesse est eveniisse, Parmeno,
Unde ita inter eas intercessit, quæ tam permansit diu.
PAR. Haud quidem hercle parum est: si vis vero veram rationem exequi.
Non maximas, quæ maximæ sunt interdum iræ, injurias
Faciunt: nam sæpe est, quibus in rebus aliàs ne iratus quidem est,
Cum de eadem caussa est iracundus factus inimicissimus.
Pueri inter sese quam pro levibus noxis iras gerunt?
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.

Obnoxius. Addictus, obligatus.

Ingenio. Comitate.

Injurias. Cum Bacchidem illi præferebam.

Haud parum est. Certe oportet aliquid eveniisse gravius, ut ais: tamen si rem attentius consideras, graves iræ interdum oriuntur a levibus injuriis.

Non maximam... Est hypallage: nempe, iræ maximæ non oriuntur sæpe ex maximis injuriis: leves iniuriæ efficiunt interdum graves iras. Si nolis hypallagem, explica *faciunt* pro, ostendunt, arguunt: maximæ iræ non semper ostendunt factas esse maximas injurias.

Sæpe est. Accidit sæpe ut, ubi aliquis ne iratus quidem, ibi alius paullo iracundior, excandescat.

Iracundus. Homo ad iram propensior.

Ta-

Itidem illæ mulieres ſunt ferme, ut pueri, levi ſententia :
Fortaſſe unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit.
PAM. Abi Parmeno intro, ac me veniſſe nuntia. *PAR.* Hem, quid hoc eſt? *PAM.* tace :
Trepidari ſentio, curſari rurſum prorſum : agedum, ad fores
Accede propius. *PAM.* hem, ſenſiſtin'? *PAM.* noli fabularier !
Pro Jupiter! clamorem audio.... *PAR.* tute loqueris; me vetas?
M. Tace, obſecro, mea gnata. *PAM.* matris vox viſa eſt Philomenæ.
Nullus ſum. *PAR.* Qui dum? *PAM.* quia perii. *PAR.* quamobrem? *PAM.* Neſcio quod magnum malum
Profecto, Parmeno, me celant? *PAR.* uxorem Philumenam
Pavitare neſcio quid, dixerunt, id ſi forte eſt, neſcio.
PAM. Interii: cum mihi id non dixti: *PAR.* quia non poteram una omnia.
PAM. Quid morbi eſt? *PAR.* neſcio? *PAM.* quid? nemone medicum adduxit? *PAR.* neſcio.
PAM. Ceſſo hinc ire intro, ut hoc quam primum, quidquid eſt, certum ſciam.
Quonam modo, Philomena mea, nunc te offendam affectam?
Nam ſi periculum ullum in te eſt, periiſſe me una haud dubium eſt.

Tace, Jubet tacere ut audiatur ſi quid eſt murmuris.

Kurſum prorſum. Retro & ante; ſurſum deorſum.

Vetas. Loqui.

Tace, obſecro. Myrrhina laborantem vicino partu filiam ſilere & dolorem premere jubet, nequid emanet foras.

Vox viſa eſt. Audire mihi viſus ſum vocem Myrrhinæ, matris Philumenæ.

Pavitare. Ægrotare ex dolore, & metu, ut qui febri tentari occipiunt.

Uſus.

PAR. Non uſus facto eſt mihi nunc, hunc introſequi.
Nam inviſos omnes nos eſſe illis ſentio.
Heri nemo voluit Soſtratam intro admittere:
Si forte morbus amplior factus ſiet,
(Quod ſane nolim, maxime heri cauſa mei)
Servum illico introiſſe dicent Soſtratæ:
Aliquid tul'ſſe comminiſcentur mali,
Capiti, atque ætati illorum, morbus qui auctus ſiet:
Hera in crimen veniet, ego vero in magnum malum.

Uſus. Opus.
Qui. Unde.
Ætati. Vitæ.
In crimen. Alicujus veneficii ſuſpicionem, aut doli.
Malum. Plagas.

SCENA SECUNDA.

SOSTRATA, PARMENO, PAMPHILUS.

Soſtrata cum iret ad Philumenam, Pamphilum reducem ſalutat: is eum parturientem Philumenam offendiſſet, eam ægrotare ſimulat.

S. NEſcio quid jamdudum hic audio tumultuari miſera:
Male metuo, ne Philumenæ magis morbus aggravéſcat:
Quod te Æſculapi, & te Salus, nequid ſit hujus, oro.
Nunc ad eam viſam. *PAR.* heus Soſtrata. *S.* hem. *PAR.* iterum iſthinc excludere.

Æſculapi. Filius fuit Apollinis Medicinæ præſes.
Salus. Dea ſanitatis, & incolumitatis præſes.
Hujus. Tale, vel, hujus metus.

S. Ehem Parmeno, tunc hic eras? perii, quid faciam misera?
Non visam uxorem Pamphili, cum in proximo hic sit ægra?
PAR. Non visas, nec mittas quidem visendi caussa quemquam;
Nam qui amat, cui odio ipsius est, bis facere stulte dico:
Laborem manem ipsius capit, & illi molestiam affert.
Tum autem filius introiit videre, ut venit, quid agat.
S. Quid ais? an venit Pamphilus? *PAR.* venit. *S.* Dis habeo gratias.
Hem, isthoc verbo animus mihi rediit, & cura ex corde excessit.
PAR. Jam ea te caussa maxime huc nunc introire nolo.
Nam si remittent quidpiam Philumena dolores,
Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli,
Quæ inter vos intervenit, unde ortum est initium ire.
Atque eccum video ipsum egredi; quam tristis est! *S.* o mi gnate!
PAM. Mea mater, salve, *S.* gaudeo veniisse salvum: salvane
Philumena est? *PAM.* meliuscula est. *S.* utinam isthoc ita Di faxint.

Nam qui. Qui enim aliquem amat, cui ipse odio sit, eum dico bis esse stultum, dupliciter peccare; & quia sibi, & quia alteri molestus est.

Videre. Visum, ut videret.

Ut venit. Ubi primum venit.

Quid agat. Ordo est: praterea tuus filius Pamphilus, statim atque ex Imbro advenit, introivit domum Philumenæ, ut videret quid ageret illa, qui valeret.

Remittent. Lenientur, minuentur.

Omnem rem ... Omnem diffidii vestri caussam soli sola dicet.

Quæ. Quæ res inter vos exorta est, unde, &c.

Meliuscula est. Meliuscule habet.

Re-

Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam triſtis? *PAM* recte, mater.

S. Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente invaſit?

PAM. Ita factum eſt. *S.* quid morbi eſt? *PAM.* febrit. *S.* quotidiana? *PAM.* ita ajunt.

I ſodes intro, conſequar jam te, mea mater. *S.* fiat:

PAM Tu pueris curre Parmeno obviam, atque his onera adjuta.

PAR. Quid? non ſciunt ipſi viam, domum qua redeant? *PAM* ceſſas?

Recte. Nihil eſt; ita dicimus, cum nolumus interroganti reſpondere.

Tumulti. Antique pro tumultus.

Onera adjuta. His opem & lacertos præbe ut ferant e navi domum ſarcinas meas.

SCENA TERTIA.

PAMPHILUS.

Dolet vicem ſuam: an Philumenam recipiat, an repudiet incertus eſt.

P. NEqueo mearum rerum initium ullum invenire idoneum,

Unde exordiar narrare; quæ nec opinanti accidunt;

Partim quæ perſpexi his oculis, partim quæ accepi auribus:

Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.

Nam modo me intro ut corripui timidus, alio ſuſpicans

Rerum. Ærumnarum.

Qua me propter. Qua propter me.

Intro corripui. Raptim

Morbo me visurum affectam, ac sensi, esse uxorem : hei mihi !
Postquam me aspexere ancillæ adveniſſe, illico omnes simul
Lætæ exclamant, venit, id quod me repente aspexerant :
Sed continuo vultum earum sensi immutari omnium,
Quia tam incommode illis fors obtulerat adventum meum :
Una illarum forte interea propere præcucurrit, nuntians
Me veniſſe : ego ejus videndi cupidus, recta consequor :
Postquam introii, extemplo ejus morbum cognovi miser ;
Nam neque ut celati posset, tempus spatium illum dabat ;
Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri.
Postquam aspexi, o facinus indignum ! inquam, & corripui illico
Me inde lacrumans, incredibili re, atque atroci percitus.
Mater consequitur ; jam ut limen exirem, ad genua accidit
Lacrumans misera ; miseritum est : profecto hoc sic est, ut puto,
Omnibus nobis, ut res dant seſe, ita magni, atque humiles sumus,

ptim ingressus sum.

Ac sensi. Suspicans uxorem alio quodam laborare morbo, & non illo, quem deprehendi, nempe ex vicino partu.

Id quod. Subaudi, propter, quia me aspexerant.

Ac res. Dolor e vicino partu.

Mater. Myrrhina.

Jam ut limen. Tum quum limen exirem.

Ut res dant seſe. Prout fortunatæ, vel infaustæ contingunt.

Magni. Elati, superbi, aliorum contemptores. Hoc dicit videns, sive narrans potius, quomodo Myrrhina Philumenæ mater sibi acciderit

sup-

Hanc habere orationem mecum a principio institit.
O mi Pamphile, abs te quamobrem hæc abierit, causſam vides:
Nam injuria facta eſt virgini olim ab neſcio quo improbo!
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut celaret ſuum
(Sed cum orata ejus reminiſcor, nequeo quin lacrumem miſer)
Quæque ſors fortuna eſt, inquit, nobis, quæ ſe hodie obtulit,
Per eam te obſecramus ambæ, ſi jus, ſi fas eſt, uti
Adverſa ejus, per te tecta, tacitaque apud omnes ſient.
Si unquam erga te animo eſſe amico ſenſiſti eam, mi Pamphile,
Sine labore hanc gratiam te, ut ſibi des pro illa, nunc rogat.
Cæterum de reducenda id facias, quod in rem ſit tuam.
Maxime volo, doque operam, ut clam partus eveniat patrem,
Atque adeo omnes: ſed ſi fieri id non poteſt, quin ſentiant,
Dicam abortum eſſe: ſcio nemini aliter ſuſpectum fore,

ſupplex & humilis, ad genua.

Ab improbo. Is erat Pamphilus, ſed nondum id notum erat.

Orata. Preces.

Fors fortuna. Felix fortuna, caſus optandus.

Adverſa ejus. Ejus calamitas.

Sine labore. Libenter, ultro.

Pro illa. Pro illa gratia, quod animo erga te amico ſemper fuerit.

Reducenda. An velis eam recipere, an repudiare, id penes te erat, facies quod commodum eſſe tibi videbitur.

Clam patrem. Antique, pro, clam patre.

Nemini aliter. Nemo aliud ſuſpicabitur quam id quod eſt veriſimile, eum ex te natum eſſe filium.

Ex-

Quin, quod verisimile est, ex te recte eum natum putent :
Continuo exponetur; hic tibi nihil est quidquam incommodi,
Et illi miseræ indigne factam injuriam conte-xeris :
Pollicitus sum, & servare in eo certum est, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror,
Nec faciam : etsi amor me graviter, consuetudoque tenet.
Lacrumo, quæ posthac futura est vita, cum in mentem venit,
Solitudoque. O fortuna, ut nunquam perpetuo es bona.
Sed jam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit.
Quem ego cum consilio missum feci, idem nunc operam huic dabo.
Adest Parmeno cum pueris : hunc minime est opus
In hac re adesse scilicet; aliquo mihi est
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

Exponetur. Ad mortem, ut alienus partus.
Injuriam. Vim allatam invitæ celabis.
Quæ posthac . . . . Cum mecum cogito quanta posthac in solitudine & mœrore vitam acturus sim.
Consilio. Ratione & voluntate.
Missum feci. Quem amorem deposui.
Huic. Amori Philumenæ.
Idem. Ego idem qui spreVi Bacchidem, Philumenæ consulam.
Ablegandus. Amandandus, mittendus procul.

SCENA QUARTA.

PARMENO, SOSIA, PAMPHILUS.

Parmenonem onera cum servulis deportantem alio ablegat Pamphilus.

PAR. AIN' tu, tibi hoc incommodum evenisse iter?
S. Non hercle, Parmeno, verbis dici potest
Tantum, quam te ipsa navigare incommodum est.
PAR. Itane est? S. o fortunate, nescis quid mali.
Præterieris, qui nunquam es ingressus mare.
Nam alias ut omittam miserias, unam hanc vide:
Dies triginta, aut plus eo, in navi fui,
Cum interea semper mortem expectabam miser,
Ita usque adversa tempestate usi sumus.
PAR. Odiosum. S. haud clam me est: denique hercle aufugerim
Potius, quam redeam, si eo mihi redeundum fiet.
PAR. Olim quidem te causæ impellebant leves,
Quod nunc minitare facere, ut faceres, Sosia.
Sed Pamphilum ipsum video stare ante ostium:
Ite intro; ego hunc adibo, si quid me velit.

* *Ain' tu....* Loquuntur inter se pariter servi de navigationis periculis & incommodis.

Odiosum. Rem incommodam narras.

Haud clam me est. Sane id scio quam odiosum sit.

Aufugerim. Malim hercle rilem domum relinquere, si, &c.

Ut faceres. Ut fugeres. Quod nunc te facturum, te fugam arreptarum minitaris, si navigandum sit iterum, facile credo tibi, te tanti mali vitandi causa id facturum, cum

Here etiam tu nunc hic ſtas? *PAM.* & quidem te expecto. *PAR.* quid eſt?

PAM. In arcem tranſcurſo opus eſt. *PAR.* cui homini? *PAM.* tibi.

PAR. In arcem? quid eo? *PAM.* Callidemidem hoſpitem

Myconium, qui mecum una advectus eſt, conveni.

PAR. Perii; voviſſe hunc dicam, ſi ſalvus domum

Rediiſſet unquam, ut me ambulando rumperet?

PAM. Quid ceſſas? *PAR.* quid vis dicam? an conveniam modo?

PAM. Immo, quod conſtitui me hodie conventurum eum,

Non poſſe, ne me fruſtra illic expectet, volat:

PAR. At non novi homine faciem. *PAM.* at faciam ut moveris:

Magnus, rubicundus, criſpus, craſſus, cæſius,

Cadaveroſa facie. *PAR.* Dii illum perduint;

Quid, ſi non veniet? maneatne uſque ad veſperum?

PAM. Maneto? curre. *PAR.* non queo; ita defeſſus ſum.

---

cum jam olim levibus de cauſſis idem feceris. fugam adornaveris.

In arcem. Atheniēſis urbis.

Tranſcurſo. Hinc currendum.

Quid eo? Quid eo loci facturus ſum? vel propter quid huc eo, ibo.

Myconium. Mycone eſt inſula prope Delum in Ægeo mari.

Voviſſe hunc dicam. Exiſtimo Pamphilum in mari periclitantem hoc votum feciſſe, ut me curſitando, crebris itineribus occideret, adeo me ſtrenue exercet; legunt aliqui *voviſſe hunc dicas.*

Immo. Ita eſt: adi modo, & dic illi me non poſſe ipſum convenire, quod tamen conſtitueram, & illi pollicitus fueram.

Illic. Ille.

Cæſius. Glaucis oculis ut feles.

Cadaveroſa. Pallida, livida.

Ta-

PAM. Ille abiit : quid agam infelix ? prorſus neſcio
Quo pacto hoc celem , quod me oravit Myrrhina ,
Suæ gnatæ partum : nam me miſeret mulieris :
Quod potero faciam , tamen ut pietatem colam .
Nam me parenti potius , quam amori , obſequi
Oportet : at at eccum Phidippum , & patrem
Video , horſum pergunt : quid dicam , hiſce incertus ſum .

Tamen . Ita tamen ut : modo id fieri poſſit ſine graviori parentum offenſa : hoc faciam equidem , attamen ea lege ut ne parentibus diſpliceam .

Horſum . Verſus hunc locum , ad me veniunt .

SCENA QUINTA .

LACHES , PHIDIPPUS , PAMPHILUS .

Agunt ſenes cum Pamphilo de reducenda Philumena : id ſe facturum Pamphilus negat , quod Phidippus egre admodum fert .

L. DIxtine dudum , dixiſſe illam , ſe expectare filium ?
PH. Factum . *L.* veniſſe ajunt : redeat . *PAM.* quam cauſſam dicam patri ,
Quamobrem non reducam , neſcio . *L.* quem ego hic audivi loqui ?
PAM. Certum obfirmare eſt viam me , quam decrevi perſequi .

Dixtine . Nonne mihi dixeras , o Phidippe , Philumenam ut ad nos rediret , expectare ut reverſus fuiſſet filius meus Pamphilus ?

Factum . Dixi equidem .

Redeat . Ad nos Philumena .

Certum . Deliberatum mihi eſt obfirmare me , ut perſequar viam quam de-

L. Ipsus est, de quo hoc agebam tecum. *PAM.* salve, mi pater.

L. Gnate mi, salve. *PH.* bene factum te advenisse Pamphile,

Atque adeo, quod maximum est, salvum atque validum. *PAM.* creditur.

L. Advenis modo? *PAM.* admodum. *L.* cedo, quid reliquit Phania\

Consobrinus noster? *PAM.* sane hercle homo voluptati obsequens

Fuit, dum vixit: & qui sic sunt, haud multum heredem adjuvant:

Sibi vero hanc laudem reliquit, vixit, dum vixit, bene.

L. Tum tu igitur nihil attulisti huc plus una sententia?

PAM. Quidquid est id quod reliquit, profuit. *L.* immo obfuit:

Nam illum vivum, & salvum vellem. *PH.* impune optare isthuc licet.

Ille reviviscet jam nuquam; & tamen, utrum malis, scio.

decrevi, id est, ut ne reducam uxorem domum, & ejus tamen partum non detegam.

Creditur. Id est, credo te id gaudere: vel, me validum esse.

Admodum. Omnino: non dudum est cum veni.

Consobrinus. Cum duo nati sunt alter ex patre, alter e sorore, vocantur consobrini, inquit Donatus: aut, ut alii volunt, nati etiam e duabus sororibus. Nati vero e duobus fratribus, aut natæ, vocantur patrueles.

Hanc laudem. Hoc unum quod prædicari de illo posset.

Vixit, dum vixit, bene. Genio indulsit. Epicureorum vox, & vita.

Tum tu... Nihil tu pecuniæ ex Imbro refers, sed mera verba, & unam hanc præclaram sententiam.

Profuit. Quantulumcumque nobis reliquit, utile nobis erit, luero apponendum est. Pro fuit nobis.

Immo obfuit. Ego vero nollem nobis quidquam reliquisset, sed viveret potius, eoque frueretur: plus doloris ex ejus morte capio, quam voluptatis ex bonis ab eo relictis.

Utrum malis... Scio utrum tibi sit gratius: nempe mavis illum mortuum esse

L. Heri Philumenam ad ſe accerſi hic juſſit: die juſſiſſe te.

PH. Noli fodere, juſſi. *L.* ſed jam remittet eam. *PH.* ſcilicet.

PAM. Omnem rem ſcio, ut ſit geſta; adveniens audivi omnia.

L. At iſtos invidos Di perdant, qui hæc libenter nuntiant.

PAM. Ego ſcio me caviſſe, ne ulla merito contumelia
Fieri a vobis poſſet, idque ſi nunc memorare hic velim,
Quam fideli animo, & benigno in illam, & clementi fui,
Vere poſſim, ni te ex ipſa id magis velim reſciſcere:
Namque eo pacto maxime apud te meo erit ingenio fides,
Cum illa, quæ nunc in me iniqua eſt, æqua de me dixerit.
Neque culpa hoc eveniſſe diſſidium mea, id teſtor Deos.
Sed quando ſeſe indignam deputat matri meæ,

cujus hereditate frueris, quam unquam illum reviviſcere.

Hic. Phidippus.

Dic. Hoc demiſſa voce ad Phidippum converſus dicit: hem, inquit, dicito te id juſſiſſe.

Noli fodere. Admonere: *fodere*, eſt, cubito in latus graviter incuſſo, monere.

Juſſi. Clara voce hoc dicit.

Remittet. Domum tuam, ad breve enim tempus apud ſe eſſe juſſit.

Omnia. Jurgia, iras, diſſidia inter Soſtratam & Philumenam.

Ne ulla. Ne mihi quidquam jure poſſetis objicere.

Vere poſſim. Subaudi, memorare.

Iniqua eſt. Dum redire domum meam recuſat, dum adverſatur matri meæ: id prætexit quare illam nolit recipere.

Indignam, &c. A ſua dignitate putat abhorrere, ut obſequatur & cedat meæ matri, ſe digniorem putat, pluris ſe facit, quam ut ei cedat, ejuſque mores paullo forte acerbiores toleret modeſte, ac ferat.

Cui

Cui concedat, cujuſque mores toleret ſua modeſtia,
Neque alio pacto componi poteſt inter eas gratia:
Segreganda aut mater eſt a me, Phidippe, aut Philumena.
Nunc me pietas matris potius commodum ſuadet ſequi.
L. Pamphile, ad aures haud invito ſermo mihi acceſſit tuus,
Cum te poſtputaſſe omnes res præ parente intelligo.
Verum vide, ne impulſus ira prave inſiſtas, Pamphile.
PAM. Quibus iris impulſus nunc in illam iniquus ſim?
Quæ nunquam quidquam erga me commerita eſt, pater,
Quod nollem: & ſæpe, quod vellem, meritam ſcio.
Amoque, & laudo, & vehementer deſidero:
Nam fuiſſe erga me miro ingenio, expertus ſum,
Illique exopto, ut reliquam vitam exigat
Cum eo viro, me qui ſit fortunatior,
Quandoquidem illam a me diſtrahit neceſſitas.
PH. Tibi id in manu eſt, ne fiat. *L.* ſi ſanus es,
Jube illam redire. *PAM.* non eſt conſilium, pater,
Matris ſervibo commodis. *L.* quo abis? mane,
Mane, inquam: quo abis? *PH.* quæ hæc eſt pertinacia?

Cui concedat. Iſtud *cui* abundat, vel ponitur pro, ut legitur etiam, *quæ concedat*.

Inſiſtas. Male animum obſirmes.

Commerita eſt quod nollem. Admiſit mihi quod mihi ægre eſſet.

Meritam. Præſtitiſſe.

Ingenio. Benignitate.

Tibi in manu. In tua poteſtate.

Non eſt conſilium. Non eſt æquitati & rationi conſentaneum.

L. Dixin' Phidippe, hanc rem ægre laturum esse eum?
Quamobrem te orabam, ut filiam remitteres.
PH. Non credidi ædepol adeo inhumanum fore:
Ita nunc is sibi me supplicaturum putat?
Si est, ut velit reducere uxorem, licet:
Sin alio est animo, renumeret dotem huic, eat.
L. Ecce autem, tu quoque proterve iracundus es.
PH. Percontumax rediisti huc nobis, Pamphile.
L. Decedet jam ira hæc, etsi merito iratus es.
PH. Quia paullulum vobis accessit pecuniæ,
Sublati animi sunt. *L.* etiam mecum litigas?
PH. Deliberet, renuntietque hodie mihi,
Velitne, an non? ut alii, si huic non sit, siet.
L. Phidippe ades, audi paucis: abiit, quid mea?
Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet,
Quando nec gnatus, neque hic mihi quidquam obtemperant:
Quæ dico, parvipendunt: porro hoc jurgium
Ad uxorem cujus fiunt hæc consilio omnia,
Atque in eam hoc omne, quod mihi ægre est, evomam.

Ita nunc. An igitur?
Si est. Si ita est affectus, si res ita se habet, ut ...
Renumeret. Reddat mihi pecuniam sibi datam a me pro dote filiæ.
Eat. Valeat.
Accessit. Ex hereditate.
Sublati, &c. Estis, tu Laches, & filius, arrogantiores, & ferociores.
Alii. Alicui alii viro.
Siet. Collocetur, sit alteri uxor.
Quid mea? Subaudi, refert?
Porro. Renuntiabo uxori meæ.

SCE-

SCENA SEXTA.

MYRRHINA, PHIDIPPUS.

Phidippus partum filiæ cognoscit, objurgat Myrrhinam quod partum celaverit.

M. PErii, quid agam? quo me vertam? quid meo viro respondebo
Misera? nam audisse vocem pueri visus est vagientis.
Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam;
Quod si resciverit peperisse eam, id qua causa clam me habuisse
Dicam, non ædepol scio:
Sed ostium concrepuit: credo, ipsum ad me exire; nulla sum.
P. Uxor ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras: atque eccam
Video: quid agis Myrrhina? heus, tibi dico. *M.* Mihine mi vir?
P. Vir ego tuus sum? tu virum me, aut hominem deputas adeo esse?
Nam si utrumvis horum, mulier, unquam tibi visus forem,
Non sic ludibrio tuis factis habitus essem. *M.* quibus? *P.* at rogitas?
Peperit filia? hem races? Ex quo? *M.* isthuc rogare est æquum patrem?

Perii. Phidippus ingressus domum audit puerum vagientem, statim ad filiam pergens rem deprehendit, mox egressam foras Myrrhinam consecutus, objurgat. Itaque vacuum censeri theatrum vix potest, cum eodem fere puncto temporis quo Phidippus abit, Myrrhina ingressa illud fuerit.

Corripuit se. Raptim se intulit.

Se duxit. Duxit se, ivit foras.

Tibi dico. Te alloquor.

Tu, &c. An tu me esse æstimas?

Virum. Cui debes obsequi.

Hominem. Quem sapere judices.

Isthuc patrem. Non debes

Perii: ex quo censes nisi ex illo cui data est nuptum, obsecro?

P. Credo, neque adeo arbitrari patris est aliter; sed demiror

Quid sit, quamobrem tantopere hunc omnes nos celare volueris

Partum, præsertim cum & recte, & tempore suo pepererit:

Adeone pervicaci esse animo ut puerum præoptares perire,

Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires,

Potius, quam adversus animi tui libidinem esset cum illo nupta?

Ego etiam illorum esse hanc culpam credidi, quæ te est penes.

M. Misera sum. *P.* utinam sciam ita esset isthuc: sed nunc mihi in mentem venit.

Ex hac re quod locuta es olim, cum illum genuerum cepimus,

Nam negabas nuptam filiam tuam posse te pati

Cum eo, qui aliam amaret, qui pernoctaret foris.

M. Quamvis caussam hunc suspicari, quam ipram veram, malo.

P. Multo prius scivi, quam tu, illum aliam amare, Myrrhina.

---

tu Philumenæ pater cum sis, id rogare, videris enim suspicari filiam tuam esse adulteram.

Perii. Hoc tacita dicit, & ita ut tantum spectator audiat.

Ex quo firmiorem... Qui puer deberet esse pignus & vinculum amicitiæ firmioris.

Potius, &c. Ut malueris puerum exponi & necari, quam tuam filiam esse cum Pamphilo nuptam contra tuam voluntatem: credebam hanc culpam ad Pamphilum quoque & Philumenam pertinere, quæ ad te solam spectat.

Ita esse, Te esse miseram.

Quamvis caussam... Hoc demissa voce dicit: malo suspicetur Phidippus aliam quamlibet caussam cur Pamphilus repudiet Philumc-

Verum pol jam aderit, illam, & se quoque, cum oderit,
Sed ut olim te ostendisti eamdem esse, nihil cessavisti usque adhuc,
Ut filiam ab eo abduceres, neu, quod ego egissem, esset ratum.
Id nunc res indicium hæc facit, quo pacto factum volueris.
M. Adeone me esse pervicacem censes, cui mater siem,
Ut eo esse animo, si ex usu esset nostro hoc matrimonium?
P. Tunc prospicere, aut judicare nostram in rem quod sit, potes;
Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret
Exeuntem, aut introeuntem ad illam. Quid tum postea.
Si modeste ac raro hoc facit? nonne ea dissimulare nos
Magis humanum est, quam dare operam id scire, qui nos oderit?

menam: verbi gratia, amorem Bacchidis, quam veram, nempe vim ipsi allatam.

Aderit, &c. Veniet illud tempus & quidem brevi, cum non solum Bacchidem, sed se ipsum quoque non amabit: senectutem innuit, qua in ætate ipsi homines sibi displicent, aut ærumnas quas ex amore capiet.

Sed ut. Sed ut pergis, non cessas eadem esse quæ hactenus fuisti, nempe dura in nurum: desinet amare Bacchidem Pamphilus, tu non cessabis odisse Philumenam.

Res hæc. Partus celatus indicat ille quam parum probaveris, quam parum factas volueris, quam infectas volueris, istas, quas feceram, quarum auctor fueram, nuptias. *Factum aliquid velle*, est probare aliquid; sicut *nolle factum*, est improbare, pœnitere facti, rem nolle.

Pervicacem. Duram & iniquam, in eam quæ ex me nata sit? adeone me filiæ meæ inimicam esse censes.

Ad illam. Bacchidem.

Qui. Ut nos oderit,

Nam si is posset ab ea sese derepente avellere,
Qui cum tot consuesset annos, non cum hominem ducerem,
Nec virum satis firmum gnatæ. *M.* mitte adolescentem obsecro,
Et quæ me peccasse ais: abi, solum solus conveni;
Roga velitne, an non, uxorem: si est, ut dicat velle se,
Redde: sin est autem, ut nolit, recte consului meæ.
P. Si quidem ille ipse non vult, & tu sensisti esse in eo, Myrrhina,
Peccatum: aderam, cujus consilio ea par fuerat prospici.
Quamobrem incendor ira, te esse ausam facere hoc injussu meo.
Interdico, ne extuliisse extra ædes puerum usquam velis.
Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulem:
Ibo intro, atque edicam servis, ne quoquam efferri sinant.
M. Nullam pol credo mulierem me miseriorem vivere:

postquam cognoverit nos id scire.

Ab ea. Bacchide, ab amore Bacchidis.

Hominem. Constantem, tenacem propositi: perturbationibus humanis obnoxium & affectibus.

Firmum. Constantem in amore & nuptiis.

Mitte. Omitte: noli pluribus verbis infectari Pamphilum, & ea in quibus peccasse me dicis, mihi objicere; abi potius ad eum, &c.

Solum. Pamphilum.

Recte consului. Feci sapienter & in rem filiæ, quippe quæ eam ab illo segregaverim.

Ea prospici. His remedium afferri.

Hæc facere. Abducere filiam, celare partum, exponere puerum.

Interdico. Veto: edicimus quæ jubemus, interdicimus quæ vetamus. *Donat.*

Extuliisse: Exportare: *ne extuliisse velis*, est, ne efferas.

Puerum. Recens natum

Nam ut hic laturus hoc ſit, ſi ipſam rem, ut fiet, reſciverit,
Non ædepol clam me eſt, cum hoc quod levius eſt, tam animo iracundo tulit:
Nec, qua via ſententia ejus mutari poſſit, ſcio.
Hoc mihi unum ex plurimis miſeriis reliquum fuerat malum:
Si, puerum ut tollam, cogit, cujus nos quis ſit neſcimus parer.
Nam tum adoleſcentis forma in tenebris noſci non quita eſt,
Neque detractum ei tum quidquam eſt, qui poſt poſſit noſci, qui ſiet:
Ipſe eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens annulum:
Simul vereor Pamphilum, ne orata noſtra nequeat diutius
Celare, cum ſciet alienum puerum tolli pro ſuo.

rum e Philumena.

Laturus hoc ſit: Veram cauſſam cur nolit Pamphilus Philumenam reducere.

Hoc quod levius eſt. Celatum partum.

Tollam. Educem, alam.

Adoleſcentis. Is erat Pamphilus, ſed ignotus in tenebris.

Non quita eſt. Non potuit.

Neque, &c. Neque ereptum eſt adoleſcenti: verbi gratia, ſudarium, tænia, pugillares, unde poſtea cognoſci poteſt, quis foret.

Quem habuit. Quem habebat Philumena.

Orata. Quæ oravimus ut celaret.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

SOSTRATA, PAMPHILUS.

Renuntiat Pamphilo Soſtrata ſe rus abire, ne impedimento ſit, quominus Philumenam domum reducat.

S. NOn elam me eſt, mi gnate, tibi me ſuſpectam uxorem tuam
Propter meos mores hinc abiiſſe, etſi ea diſſimulas ſedulo?
Verum ita me Di ament, itaque obtingant ex te, quæ opto mihi,
Ut nunquam ſciens commerui, merito ut caperet odium illam mei,
Teque ante quam me amare rebar; ei rei firmaſti fidem.
Nam mihi intus tuus pater narravit modo, quo pacto me habueris
Præpoſitam amori tuo, nunc tibi me certum eſt contra gratiam
Referre, ut apud me præmium eſſe poſitum picatis ſcias.
Mi Pamphile, hoc vobis, & meæ commodum famæ eſſe arbitror,
Ego rus aſtituram hinc cum tuo me eſſe certo decrevi patre.

Teque ante ... Et quam rebar antea te amare me, me a te putabam amari: huic rei fidem firmaſti; hoc oſtendiſti: id eſt, planum feciſti quantum me amares. Ordo verborum eſt: Quam rebar te amare me antea, tam fidem firmaſti ei rei, nempe meæ opinioni de tuo in me amore.

Præpoſitam. Quia uxorem maluiſti deſerere, quam me.

Ego rus ... Ordo eſt: ego certo

Ne mea præſentia obſtet, neu cauſſa ulla reſtet reliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. *P.* quæſo, quid iſthuc conſilii eſt?
Illius ſtultitia victa, & urbe tu rus habitatum migres?
Haud facies, neque ſinam, ut quis nobis mater maledictum velit,
Mea pertinacia dicat eſſe factum, haud tua modeſtia.
Tum, tuas amicas te, & cognatas deſerere, & feſtos dies,
Mea cauſſa, nolo. *S.* nihil jam mihi iſthæc res voluptatis ferunt:
Dum ætatis tempus tulit, perfuncta ſatis ſum; facietas me jam tenet
Studiorum iſtorum: hæc mihi nunc cura eſt maxima, ut ne cui meæ
Longinquitas ætatis obſtet, mortemve exoptet meam.
Hic video me eſſe inviſam immerito: tempus eſt concedere.
Sic optime, ut ego opinor, omnes cauſſas præcidam omnibus;
Et me hac ſuſpicione exſolvam, & illis morem geſſero.
Sine me, obſecro, hoc effugere, vulgus quod male audit mulierum.
P. Quam fortunatus ceteris ſum rebus, abſque una hac foret,

certo decrevi me eſſe abiturum rus, &c.

Dicat eſſe factum. Ut expulſam te a me dicat pertinacia mea potius quam te ut mihi gratum faceres, ut noſtra diſſidia componeres, & ſponte abiiſſe.

Perfuncta. Iſtis rebus operam dedi.

Studiorum. Oblectationum.

Concedere. Abire.

Præcidam. Adimam.

Illis. Nurui obtemperabo quæ me extrudit.

Quod. Propter quod: ſine me effugere id quod vitio datur omnibus vulgo mulieribus, nempe ut ſocrus iniquæ ſint nuribus.

Hac una. Hac una re ex-

Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem! *S.* obsecro, mi Pamphile,
Non tute rem incommodam, ut quæque est, in animum inducas pati?
Si cetera sunt ita, ut tu vis, itaque ut esse ego illam existimo:
Mi gnate, da veniam hanc mihi, reduc illam. *P.* væ misero mihi!
S. Et mihi quidem! nam hæc res non minus me male habet quam te, gnate mi.

excepta, nempe injuria quæ illata est Philumenæ.

Non tute, &c. Hæc est germana sententia; nonne debes tibi inducere in animum, te pati incommodam rem, ut quæque est, id est, quæque illa fuerit, si cetera omnes aliæ ita sunt ut vis, si pudica & proba est uxor tua, ut ego illam esse existimo? hoc si est ita, levia sunt cetera, verbi gratia, quod illa sit obstinatior paullo, quod adversus socrum durior. Hoc enim unum dolere Pamphilo putabat Sostrata.

Da veniam hanc. Hoc annue.

SCENA SECUNDA.

LACHES, SOSTRATA, PAMPHILUS.

Laches laudat Sostratam, ob susceptum abeundi rus consilium: filium, ut reducat uxorem, hortatur.

L. QUem cum isthoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi, uxor:
Isthuc est sapere, qui, ubicumque opus est, animum possis flectere,

Cum isthoc. Pamphilo.
Procul. In hoc loco significat prope; quasi prx oculis.
Qui possit. Pro, si quis possit.

Quod,

Quod faciundum fortaſſe ſit poſt, idem hoc nunc ſi feceris.

S. Fors fuat, pol. *L.* abi rus ergo hinc: ibi ego te, & tu me feres.

S. Spero ecaſtor. *L.* i ergo intro, & compone quæ ſimul tecum

Ferantur: dixi: *S.* ita ut jubes faciam. *P.* pater.

L. Quid vis, Pamphile? *P.* hinc abire matrem? minime. *L.* quid ita iſthuc vis?

P. Quia de uxore incertus ſum etiam quid ſim facturus. *L.* quid eſt?

Quid vis facere, niſi reducere? *P.* equidem cupio, & vix contineo:

Sed non minuam meum conſilium; ex uſu quod eſt, id perſequar.

Credo ea gratia concordes magis, ſi non reducam, fore.

L. Neſcias: verum id tua refert nihil, utrum illæ fecerint.

Quod, &c. Hoc ſapere eſt; iſtud hominis eſt ſapientis, ſi feceris modo, quod poſtea fortaſſe neceſſario tibi erit faciendum.

Fors fuat: Aſpiret cœptis fortuna. Fors ſumitur vulgo pro felici fortuna. *Fuat*, antiqua vox & comica, pro, ſit bene, hoc velim evenire, bonum ſit.

Ecaſtor. Per ædem Caſtoris.

Compone. Sarcinas colligе?

Dixi. Ratum hoc ſit: audin'?

Minime. Neutiquam hoc ita fiat.

Contineo. Mihi vix tempero, quin eam reducam. Hæc demiſſa voce loquitur, & ſequentem verſum.

Non minuam. Non omittam; faciam quod decrevi nihilominus.

Ex uſu. Utile: videretur id demiſſa voce dicere.

Credo, &c. Ego vero arbitror ſi non recipiam Philumenam, eam & matrem inter ſe magis concordes fore quam ſi reducerem. Si enim non reducam, hæc Socrus eſſe deſinet, illa eſſe nurus, quæ una eſt cauſſa diſcordiæ.

Neſcias .... Id quidem incertum eſt, neque ſcire potes an magis inter eas conventurum idcireo ſit: verum nihil tua refert, cum

Quando hæc abierit; odiosa hæc est ætas adolescentulis,
E medio æquum est excedere: postremo jam nos fabulæ sumus,
Pamphile, senex, atque anus: sed video Phidippum per tempus egredi:
Accedamus.

cum abierit Soſtrata, an Philumena ipſi placata ſit, neene, ſiquidem ambæ loco erunt disjunctæ. Equidem puto magis concordes fore, quia hæc ætas, nimirum ſenectus in qua ſumus, odioſa eſt adoleſcentulis.

E medio. Ab hominum conſpectu.

Fabulæ. Ludibrium civitatis ſumus, cum ego ſenex, illa jam anus ſit.

Per tempus. Opportune.

SCENA TERTIA.

PHIDIPPUS, LACHES, PAMPHILUS.

Natum puerum Laches reſcit ex Phidippo: ambo Pamphilum jubent uxorem reducere: ille facturum ſe negat, cumque nihil afferat cauſſa, ſuſpicantur ſenes amorem Bacchidis in mora eſſe.

PH. TIbi quoque ædepol ſum iratus, Philumena,
Graviter quidem: nam hercle abs te factum eſt turpiter.
Etſi tibi cauſſa eſt de hac re, mater te impulit:
Huic vero nulla eſt. *L.* opportune te mihi
Phidippe in ipſo tempore oſtendis. *PH.* quid eſt?

Tibi quoque. Non ſolum tuæ matri.

Iratus. Quod viri domum reliqueris.

Cauſſa. Excuſatio aliqua.

Huic: Pamphilo. Nihil poteſt cauſſari, cur te no-

PA. Quid respondebo his? aut quo pacto hoc operiam?

L. Dic filiæ, rus concessuram hinc Soſtratam:
Ne revereatur, minus jam quo reddat domum.

PH. ah,
Nullam de his rebus culpam commeruit tua:
A Myrrhina hæc sunt mea uxore exorta omnia.

L. Mutatio fit. *PH.* ea nos perturbat, Laches.

PA. Dum ne reducam, turbent porro, quam velint.

PH. Ego. Pamphile, esse inter nos, si fieri potest,
Affinitatem hanc sane perpetuam volo:
Sin est, ut aliter tua fiet sententia,
Accipias puerum. *PA.* sensit peperisse: occidi.

L. Puerum? quem puerum? *PH.* natus est nobis nepos:
Nam abducta a vobis prægnans fuerat filia,
Neque fuisse prægnantem umquam ante hanc scivi diem.

L. Bene (ita me Di ament) nuntias, & gaudeo.

nolit recipere.

Minus jam quo. Quominus jam.

Tua. Soſtrata.

Mutatio fit. Nova rerum fit conversio, alia rerum facies jam erit: nam rus abimus ego & Soſtrata: id vero nobis dolet, nosque ea mutatio, discessus ille perturbat, quod sic abeatis, ait Phidippus; vel *ea nos perturbat*, de Myrrhina potius intelligendum aliqui volunt, de qua in priori versiculo erat locutus: Ea una est istarum turbarum causſa.

Turbent. Soſtrata & Myrrhina, turbas excitent ac tragœdias: hoc dicit demissa voce.

Sin est... Sin ita res se habet ut aliter sentias, id est, nolis affinitatem inter nos hanc esse perpetuam, rogo te saltem, & par est, ut puerum e Philumena modo natum accipias, ut tuum.

Quid

Natum illum, & illam ſalvam: ſed quid mulieris
Uxorem habes? aut quibus moratam moribus?
Noſne hoc celatos tamdiu? nequeo ſatis
Quam hoc mihi videtur factum prave proloqui.
PH. Non tibi illud factum minus placet, quam mihi Laches.
PA. Etſi jamdudum fuerat ambiguum hoc mihi.
Nunc non eſt, cum eam jam conſequitur alienus puer.
L. Nulla tibi Pamphile hic jam conſultatio eſt.
PA. Perii. *L.* hunc videre ſæpe optabamus diem,
Cum ex te eſſet aliquis, qui te appellaret patrem.
Evenit: habeo gratiam Dis. *PA.* nullus ſum.
L. Reduc uxorem, ac noli adverſari mihi.
PA. Pater, ſi illa ex me liberos vellet ſibi,
Aut ſe eſſe mecum nuptam, ſatis certo ſcio,
Non me clam haberet, quæ celaſſe intelligo.
Nunc, cum ejus alienum eſſe a me animum ſentiam,
Nec conventurum inter nos poſthac eſſe arbitror;
Quamobrem reducam? *L.* mater quod ſuaſit ſua,
Adoleſcens mulier fecit; mirandumne id eſt?
Cenſen' te poſſe reperire ullam mulierem,
Quæ careat culpa? an quia non delinquunt viri?

Quid mulieris. Qualem mulierem, qua indole præditam.

Non tibi. Tibi factum illud minus non placet quam mihi, æque amborbus diſplicet.

Etſi .... Hoc tacitus & minus clare dicit: etſi antea dubitarem de reducenda uxore, nunc mihi certum eſt eam non accipere, quia puerum habet ab alio quam ex me genitum.

Conſequitur. Metaphora, inquit Donat. ſumpta a pecoribus, quæ ut mox nata fuerint, matres ſequuntur.

Nulla tibi. Nihil reſtat præterea tibi deliberandum.

Quæ celaſſe. Nempe ſe eſſe prægnantem.

An quia... Delinquunt etiam viri, ergo id mulieribus magis etiam eſt concedendum.

Re-

PH. Vosmet videte jam, Laches, & tu Pamphile.
Remissam opus sit vobis, an reductam domum.
Uxor quid faciat, in manu non est mea.
Neutra in re vobis difficultas a me erit.
Sed quid faciemus puero? *L.* ridicule rogas.
Quidquid futurum est, huic reddas suum scilicet;
Ut alamus nostrum. *PA.* quem ipsa neglexit, pater,
Ego alam? *L.* quid dixti? eho, an non alemus, Pamphile?
Prodemus quæso potius? quæ hæc amentia est?
Enimvero jam prorsus tacere non queo.
Nam cogis ea, quæ nolo, ut præsente hoc loquar.
Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me?
Aut, quid sit id, quod sollicitere ad hunc modum?
Primum, ubi hanc dixti caussam, te propter tuam
Matrem non posse habere hanc uxorem domi,
Pollicita est ea, se concessuram ex ædibus.
Nunc, postquam ademptam quoque hanc tibi caussam vides,

Remissam. Repudiatam. In veteribus codicibus, Donato teste, est remissan' pro *remissane opus sit, an reducta domum*. Sententia est, videte an velitis plane eam repudiare; an domum reducere ac recipere.

Uxor. Myrrhina.

Manu. Potestate.

Neutra. Sive repudiabitur Philumena, sive reducetur.

Quicquid. Sive domum reducturus sit uxorem, sive non.

Nostrum. E filio nostro natum, nostrum nepotem.

Quem ipsa ... O pater, ego ne alam puerum quem ipsa mater ipsius Philumena neglexit? nempe quem hoc facto suo spurium esse indicat.

Prodemus. Exponemus, destituemus, & projiciemus?

Quod sollicitere. Cur ita sis anxius, & contumax.

Ea. Sostrata.

Concessuram. Abituram domo sua sua.

Na-

Puer quia clam te est natus, nactus alterat es.
Erras, tui animi si me esse ignarum putas:
Aliquando tandem huc animum ut adjungas tuum,
Quam longum spatium genio indulgendi dedi?
Sumptus, quos feciſti in eam, quam animo æquo tuli?
Egi, atque oravi tecum, uxorem ut duceres,
Tempus dixi esse: impulsu duxisti meo:
Quæ tum, obsecutus mihi, feciſti, ut decuerat:
Nunc animum rursus ad Bacchidem induxti tuum,
Cui tu obsecutus, facis huic adeo injuriam,
Nam in eamdem vitam te revolutum denuo
Video esse. *PA.* mene? *L.* te ipsum: & facis injuriam,
Cum fingis falsas causſas ad discordiam,
Ut cum illa vivas, testem hanc cum abs te amoveris.
Sensitque adeo uxor: nam ei causſa alia quæ fuit,
Quamobrem abs te abiret. *PH.* plane hic divinat: nam id est.
PA. Dabo jusjurandum, nihil esse istorum, tibi. *L.* ah!

Nactus es. Nanciſci dicitur is qui paratus ad tenendum, antequam possit reperire quod teneat, statim, quod occurrerit, deprehendit. *Donat.*

Huc. Ut aliquando tandem animum adverteres ad bonam frugem, ut serio cogitares de firmis & honestis nuptiis.

Egi .... Agit qui justam rem dicit, orat qui quasi beneficium postulat.

Tempus esse. Jam esse tempestivum & maturum.

Cui tu .... Bacchidi dum obsequeris, injuriam facis uxori.

Illa. Bacchide.

Hanc. Philumenam.

Divinat. Verum dicit.

Dabo .... Jurabo tibi, juratus affirmabo, hæc omnia esse falsa.

Ce-

Reduc uxorem? aut quamobrem non opus sit, cedo.
PA. Non est nunc tempus. *L.* puerum accipias, nam is quidem
In culpa non est: post de matre videro.
PA. Omnibus modis miser sum; nec, quid agam, scio;
Tot nunc me rebus miserum concludit pater.
Abibo hinc, præsens quando promoveo parum.
Nam puerum credo injussu non tollent meo,
Præsertim in ea re cum sit mihi adjutrix socrus.
L. Fugis? hem, nec quidquam certi respondes mihi,
Num tibi videtur esse apud sese? sine....
Puerum, Phidippe, mihi cedo, ego alam.
PH. maxime,
Non mirum fecit uxor mea, si hoc ægre tulit,
Amatæ mulieres sunt, non facile hæc ferunt:
Propterea hæc ira est: nam ipsa narravit mihi:
Id ego præsente hoc tibi nolebam dicere.
Neque illi credebam primo; nunc vero palam est.
Nam omnino abhorrere animum huic video a nuptiis,
L. Quid ergo agam, Phidippe? quid das consilii?
P. Quid agas? primum hanc Bacchidem adeundam censeo:
Oremus, accusemus gravius: denique
Minitemur, si cum illo habuerit rem postea....

Cedo. Dic, quare non sit necesse eam reducere?
Tempus. Id dicendi.
Concludit. In angustias redigit: translatio de fera indagata. *Donat*.
Promoveo. Proficio.
Esse apud se se. Sui esse compos.
Sine. Videtur admonere hac vocula Phidippum, qui retinere Pamphilum & persequi obeuntem vellet; aut minitantis est.
Maxime. Sit ita sane: illum accipe alendum.
Si cum illo.... Subaudi, nos ipsam pessime vexaturos, litem illaturos, &c.

Eho,

L. Faciam ut mones : eho, puer, curre ad Bachidem hanc
Vicinam noſtram ; hoc evoca verbis meis.
Et te oro porro, in hac re adjutor ſis mihi.
PH. ah !
Jam dudum dixi, idemque nunc dico, Lache,
Manere affinitatem hanc inter nos volo,
Si ullo modo eſt, ut poſſit, quod ſpero, fore.
Sed visne me adeſſe una, dum iſtam convenis ?
L. Immo vero abi, aliquam puero nutricem para.

Eho, puer . . . Servulum quem evocat.
Para, Quære. Ambo interim abeunt ; Laches domum, Bacchis dum veniat. Phidippus, quæſitum nutricem.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

BACCHIS, LACHES.

Laches Bacchidem graviter objurgat quod ad ſe filium recipiat : illa fiaenter negat.

B. NOn hoc de nihilo eſt, quod Laches
nunc me conventam eſſe expetit :
Nec pol me multum fallit, quin, quod ſuſpicor, ſit quod velit.
L. Videndum eſt, ne minus propter iram hanc impetrem, quam poſſiem,

De nihilo. Ob rem nullius momenti.
Nec pol, &c. Et ſane non dubito quin, quòd velit, ſit id quod ſuſpicor. Facile intelligo id eum velle, quod ipſa ſuſpicor.
Pol. Per templum Pollucis, per Pollucem. Quinam ſint illi Caſtor & Pollux, vide in Appendice de Diis & Heroibus Poeticis, addita Ovidio noſtro.
Videndum. Cavendum eſt mihi, ne propter iracundiam diutius agam cum ea, mi-

Aut nequid faciam plus, quod post me minus
feciſſe ſatius ſit.
Aggrediar: Bacchis, ſalve. *B.* ſalve Laches.
L. credo ædepol te
Nonnihil mirari Bacchis, quid ſit, qua propter
te hoc foras
Puerum evocare juſſi
B. Ego pol quoque etiam timide ſum, cum ve-
nit mihi in mentem, quæ ſim,
Ne nomen mihi meum obſtet apud te; nam mo-
res facile tueor.
L. Si vera dicis, nihil tibi pericli eſt a me mu-
lier: nam
Jam ea ætate ſum, ut non ſit peccato mihi i-
gnoſci æquum,
Quod magis, omnes res cautius, ne temere fa-
ciam, accuro.
Nam ſi id nunc facis, facturave es, bonas quod
par eſt facere, inſcitum
Offerre injuriam tibi me immerenti, iniquum
eſt.
B. Eſt magna ecaſtor gratia de hac re quam ti-
bi habeam.

minuſque facile ab illa impetrem quam poſſem impetrare lenius agendo. Laches monitus adeſſe Bacchidem prodit.

Nomen. Meretricium.

Obſtet. Obſit, me tibi odioſam faciat, ne vera me dicturam non putes.

Nam mores. Nam mores meos a calumnia facile vindicabo: bonos eſſe præſtabo.

Nam jam &c. Non agam tecum durius & impotentius, ſum enim ea ætate jam, ut non ſit æquum, mihi ignoſci in peccato, ideſt per iracundiam aut temeritatem peccati: poteſt etiam exponi ea vox; *peccato*, poſtquam peccatum a me fuerit; ſic ducitur, *cognito*; poſtquam cognitum eſt, &c.

Accurro. Studeo diligenter.

Inſcitum. Non humanum, non benignum foret tibi injuriam vel merenti facere; eſſet vero etiam iniquum, immerenti offerre.

Offerre. Offerimus injuriam non merenti, reddimus merenti. *Donat.*

Ecaſtor. Per ædem Caſtoris.

Ex-

Nam qui poſt factam injuriam ſe expurget, parum mihi proſit.
Sed quid iſthuc eſt? *L.* meum recepta filium ad te Pamphilum. *B.* ah.
L. Sine dicam: uxorem hanc prius quam duxit, veſtrum amorem pertuli.
Mane, nondum etiam dixi id, quod volui: hic nunc uxorem habet.
Quare alium tibi amicum firmiorem, dum tempus conſulendi eſt.
Nam neque ille hoc animo erit ætatem, neque pol tu eadem iſthæc.
B. Quis id ait? *L.* ſocrus. *B.* mene? *L.* te ipſam, & filiam abduxit ſuam,
Puerumque ob eam rem clam voluit, qui natus eſt, extinguere.
B. Aliud ſi ſcirem, qui firmare meam apud vos poſſem fidem:
Sanctius quam jusjurandum, id pollicerer tibi, Laches,
Me ſegregatum habuiſſe, uxorem ut duxit, e me Pamphilum.
L. Lepida es: ſed ſcin' quid volo potius, ſodes, facias? *B.* quid vis, cedo.
L. Eas ad mulieres huc intro, atque iſthuc jusjurandum idem

Expurget. Se excuſet: Qui ſe excuſet poſtquam me læſerit, nihil me juvat, parum mihi prodeſt.

Mane. Parabat reſpondere Bacchis, illam reprimit Laches.

Conſulendi. Tuis rebus proſpiciendi.

Ætatem. Per integram ætatem, per totam vitam: ſententia eſt, non ſemper filius meus tibi addictus erit, neque tu diu eris, eadem iſthæc, id eſt, talis qualis nunc es, ætate nimirum florida & juvenili: legunt nonnulli: *neque pol tu eadem iſthac ætate*, ſeneſcet ætas ac forma tua, & marceſcet aliquando, non ſemper eris hac ætate.

Mene... Mene, Myrrhina ait, Pamphilum recepiare.

Ut duxit. Ex quo duxit.

Sodes: Particula rogantis.

Ex-

Polliceare illis exple animum his, teque hoc crimine expedi.
B. Faciam: quod pol, si esset alia, non faceret, scio,
Ut de tali caussa nuptæ mulieri se ostenderet,
Sed esse falsa fama nolo gnatum suspectum tuum,
Nec leviorem vobis, quibus est minime æquum, viderier
Immerito: nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodent.
L. Facilem, benevolumque lingua tua jam tibi me reddidit:
Nam non sunt solæ arbitratæ hæ; ego quoque hoc etiam credidi.
Nunc autem, cum ego te esse præter nostram opinionem comperi,
Fac eadem ut sis: porro nostra utere amicitia, ut voles.
Aliter si facias.... sed reprimam me, ne ægre quidquam ex me audias.
Verum te hoc moneo unum, qualis sim amicus, aut quid possim,
Potius quam inimicus, periculum facias. *B.* faciam sedulo.

Exple animum. Fac illis ea in re satis, leva eas metu & sollicitudine.

De tali caussa. Ut cum agitur de mariti flagitiis uxorem alloqui ipsius vellet.

Leviorem. Minus carum: contra *gravis*, est carus, honore dignus. *Donat.* vel potius, inconstantem, infidum, qui datam uxori fidem non servet.

Quod queam. Quantum in me erit.

Commodent. Gratum illi faciam.

Arbitratæ. Non solæ Sostrata & Myrrhina putarunt Pamphilum a te receptari.

Esse te comperi. Nimirum innoxiam.

Præter. Contra. Contra quam putabamus.

Aliter si facias. Reticuit, inultum haud feres, non tibi erit impune.

SCENA SECUNDA.

LACHES, PHIDIPPUS, BACCHIS.

Nutricem adducit Phidippus, illi eadem confirmat Bacchis, quæ affirmaverat Lacheti.

P. NIhil apud me tibi defieri patiar', quin, quod opus sit
Benigne præbeatur.
Sed cum tu futura, atque ebria eris, puer ut fatur sit, facito.
L. Noster socer, video, venit: puero nutricem adduxit.
Phidippe, Bacchis dejerat persancte. *P.* hæccine ea est? *L.* hæc est.
P. Nec pol istæ metuunt Deos; neque has respicere Deos opinor.
B. Ancillas dedo, quolibet cruciatu per me exquire,
Hæc res hic agitur, Pamphilo me facere ut redeat uxor,
Oportet: quod si perficio, non pœnitet me famæ,
Solam feciſſe id, quod aliæ omnes facere fugitant:

Defieri. Deesse.
Benigne. Large.
Puer &c. Large lac puero præbe, ut large tibi daburtur cibi.
Dejerat. Deos jurat, se nimirum vacare culpa, se Pamphilum amplius non videre, vel, *dejerat* est, valde jurat. *Donat.*
Respicere. Curare.
Dedo. Permitto tibi, do in quæstionem.
Per me. Per me licet, me permittente.
Hæc res, &c. Id nunc agitur, oportet me efficere, ut Pamphilo sua uxor redeat, ad eum reducatur.
Non pœnitet. Consequar egregiam famam: dicar enim id feciſſe sola, quod aliæ meretrices facere fugitant, nempe ut viro uxorem concilient.

No-

L. Phidippe, noſtras mulieres ſuſpectas fuiſſe falſo,
Nunc in re ipſa invenimus, porro hanc nunc experiamur.
Nam ſi compererit crimini tua ſe falſo uxor credidiſſe,
Miſſam iram faciet: ſin autem eſt ob eam rem iratus gnatus,
Quod peperit uxor clam, id leve eſt; cito ab eo hæc ira abſcedet:
Profecto in hac re nihil mali eſt, quod ſit diſſidio dignum.

P. Velim quidem hercle. *L.* exquire: adeſt, quod ſatis ſit, faciet. *B.* faciam.

P. Quid iſthæc mihi narras? an quia non tute ipſe audiſti dudum,
De hac re animus meus ut ſit, Laches? illis modo exple animum.

L. Quæſo ædepol, Bacchis, quod mihi es pollicita, tute ut ſerves.

B. Ob eam rem vis ut ego introeam? *L.* i, atque exple animum his, ut credant.

B. Eo, etſi ſcio pol his fore meum conſpectum inviſum hodie.

* *Noſtras mulieres*. Soſtratam, & Myrrhinam.

Suſpectas. In ſuſpicione poſitas, quaſi eſſent in cauſſa cur Philumena diffideret a Pamphilo.

In re ipſa . . . Ipſa res nos hoc docuit: nam quamvis Soſtrata ſe rus abiturum dixerit, &c. tamen negavit ſe Pamphilus uxorem ducturum: reſtat nunc ut experiamur Bacchidem, & utrum vera prædicet, videamus.

Tua uxor. Myrrhina.

Falſo crimini. Quod Pamphilus amaret Bacchidem: ſi hoc falſum eſſe deprehendat. Ordo verborum eſt: ſi uxor tua compererit ſe credidiſſe falſo crimini.

Miſſam iram faciet. Iram ponet, redibit in gratiam cum Pamphilo.

In hac re. In celato partu.

Quod ſatis, &c. Nobis ſatisfaciet.

Illis modo, &c. Sententia eſt, ut ſatis noſti quis meus ſuper ea re animus ſit, mihi ſatis jam factum eſt; tantum hoc fac

L. At hæ amicæ erunt, ubi, quamobrem advenerit, reſciſcent.

P. At eaſdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognoverint.
Nam illas errore, & te ſimul ſuſpicione exſolves.

B. Perii, pudet Philumene: ſequimini me intro huc ambæ.

L. Quid eſt, quod mihi malim, quam quod huic intelligo evenire,
Ut gratiam ineat ſine ſuo diſpendio, & mihi una proſit?
Nam ſi eſt, ut hæc nunc Pamphilum vere ab ſe ſegregarit;
Scit ſibi nobilitatem ex eo, & rem natam, & gloriam eſſe;
Referetque gratiam ei; unaque nos ſibi opera amicos junget.

ut Myrrhinæ & Soſtratæ ſatisfiat.

Pudet me Philumenæ. Pudet me prodire in conſpectum Philumenæ, cujus virum nempe antea amavi.

Ambæ. Ancillæ.

Huic. Bacchidi: nihil malim evenire Bacchidi, quam quod huic modo accidit, nempe ut gratiam a nobis ineat ſine damno ſuo.

Scit ſibi... Intelligit ſe ex ea re, ex eo quod ſe a Pamphilo ſegregaverit, famam nobilem & opes etiam obventuras.

Referet. Bacchis; gratum faciet Pamphilo de ſe alias bene merito, illi beneficium reponet; dum palam prædicabit, eum abs ſe eſſe ſegregatum. Dum abeunt Phidippus & Laches, Bacchis domum intrat & de improviſo annulum agnoſcens prodit ſtatim foras: neque magis cenſendum eſt vacuum theatrum abeuntibus ab una parte Phidippo, Lachete, Bacchide, & ex altera ſubeunte Parmenone, quam in Eunucho Actu III. inter Scenam 3. & 4. in Adelphis Actu IV. Scena 3. 4. 6.

SCE-

SCENA TERTIA.

PARMENO, BACCHIS,

Redit Parmeno: jubetur a Bacchide continuo accersere Pamphilum.

P. ÆDepol næ meam herus esse operam deputat parvi pretii,
Qui ob rem nullam misit, frustra ubi totum desedi diem,
Myconium hospitem dum expecto in arce Callidemidem.
Itaque ineptus hodie dum illic sedeo, ut quisque venerat,
Accedebam, Adolescens, dicdum quæso, es tu Myconius?
Non sum: at Callidemides? non: hospitem ecquem Pamphilum
Hic habes? omnes negabant: neque eum quemquam esse arbitror.
Denique hercle jam pudebat; abii: sed, quid Bacchidem
Ab nostro affine exeuntem video? quid huic hic est rei?
B. Parmeno, opportune te offers: propere curre ad Pamphilum.
P. Quid eo? B. dic me orare, ut veniat. P. ad te? B. immo ad Philumenam.
P. Quid rei est? B. tua quod nihil refert, percontari desinas.

Misit. Subaudi, illuc, nempe in arcem: vide act. superiorem.

Desedi. Otiosus consedi.

At. Subaudi; esne? an vocaris?

Ecquem. An aliquem.

Eum. Callidemidem; non puto revera esse ullum alium quem qui sic vocetur, sed nomen & hominem ab hero animi causa fictum fuisse.

Ab nostro affine. Ex domo Phidippi Soceri Pamphili.

Quid eo. Propter quid eo

P. Nihil aliud dicam? *B.* etiam, cognosse annulum illum Myrrhinam
Gnatæ suæ fuisse, quem ipsus mihi olim dederat? *P.* scio.
Tantumne est? *B.* tantum: aderit continuò, hæc ubi ex te audierit:
Sed cessas? *P.* minime equidem, nam hodie mihi potestas haud data est.
Ità cursando, atque ambulando totum hunc contrivi diem.

eo ad Pamphilum? *Etiam.* Immo istud dices. *Ipsus.* Pamphilus. *Tantumne est?* Nihilne illi præterea dicam? *Potestas.* Cessandi, & quiescendi.

SCENA QUARTA.

BACCHIS.

Bacchis sibi & Pamphilo gratulatur.

B. QUantam obtuli adventu meo lætitiam Pamphilo hodie?
Quot commodas res attuli? quot autem ademi curas?
Gnatum ei restituo, qui pene harum ipsiusque opera periit.
Uxorem, quam nunquam est ratus posthac se habiturum, reddo.
Quare suspectus suo patri, & Phidippo fuit, exsolvi.
Hoc adeo his rebus annulus fuit initium inveniundis.
Nam nemini, ab hinc menses decem fere ad me nocte prima

Exsolvi. Feci ne suspectus esset amplius suo patri, &c. Hæc autem omnia ut invenirentur, in causa fuit annulus. *Nocte prima.* Ineunte no-

Confugere anhelantem domum, ſine comite, vini plenum,
Cum hoc annulo: extimui illico, mi Pamphile, inquam, amabo,
Quid exanimatus es, obſecro? aut unde annulum iſtum nactus?
Dic mihi: ille, alias res agere, ſe ſimulare; poſtquam id video,
Neſcio quid ſuſpicarier magis cœpi, inſtare ut dicat,
Homo ſe fatetur in via inveniſſe virginem
Neſcio quam, dicitque ſe illi annulum detraxiſſe;
Eum hæc cognovit Myrrhina in digito modo me habentem:
Rogat, unde ſit; narro omnia hæc: inde cognitio facta,
Philumenam hanc ipſam eſſe; & filium inde hunc natum.
Hæc tot propter me gaudia illi contigiſſe lætor.
Nunquam animum quæſti gratia ad malas adducam partes.
Ego, dum illo licitum eſt, uſa ſum benigno, & lepido, & comi.
Incommode mihi nuptiis evenit: factum, fateor;
At pol me feciſſe arbitror, ne id merito mihi eveniret.
Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum eſt ferre:

nocte; prima parte noctis veniſſe ad me, &c.

Alias res agere. Non animadvertere id quod dicebam.

Inſtare. Subaudi, cœpit.

Homo. Pamphilus.

Quæſti. Quæſtus, lucri. Nunquam propter quæſtum quidquam improbe faciam.

Incommode evenit. Quia Pamphilum amiſi.

Nuptiis. Ex nuptiis; iſtæ nuptiæ Pamphili cum Philumena non ſunt in rem meam, fateor, ſed id nulla mea culpa factum arbitror, non puto me de Pamphilo male meritam fuiſſe.

Ejus incommoda. Quæ ab eo naſcuntur incommoda: decet pati ſi quid ab eo tibi eveniat incommodi, a quo multa commoda fuerint orta.

SCENA QUINTA.

PAMPHILUS, PARMENO, BACCHIS.

Triumphat Pamphilus annulo cognito, & uxorem recipit.

PAM. VIde, mi Parmeno etiam ſodes, ut mihi hæc certa, & clara attuleris,
Ne me in breve conjicias tempus, gaudio hoc falſo frui.
PAR. Viſum eſt. *PAM.* certone? *PAR.* certo. *PAM.* Deus ſum, ſi hoc ita eſt. *PAR.* verum reperies.
PAM. Manedum, ſodes: timeo ne aliud credam, atque aliud nunties.
PAR. Maneo. *PAM.* ſic te dixiſſe opinor, inveniſſe Myrrhinam,
Bacchidem annulum ſuum habere. *PAR.* factum? *PAM.* eum, quem olim ei dedi,
Eaque, hoc te mihi nuntiare juſſit: itane eſt factum? *PAR.* Ita inquam.
PAM. Quis me eſt fortunatior? venuſtatiſque adeo plenior?
Egon' te pro hoc nuntio quid donem? quid? quid? neſcio. *PAR.* at ego ſcio.

In breve, &c. Ne me in gaudium brevi tempore fruendum adducas.

Frui. Ut fruar.

Viſum eſt. Dixerat Pamphilus, vide ne, &c. reſpondet, vidi, proviſum eſt.

Deus ſum. Id eſt, feliciſſimus.

Manedum. Ut, agedum, diedum.

Suum. Ordo eſt: nonne hoc dixiſti? nempe agnoviſſe Myrrhinam ſuum annulum in digito Bacchidis? erat hic annulus Philumenæ, ſed illi a matre Myrrhina olim datus, ereptus Philumenæ a Pamphilo, traditus ab eodem Bacchidi, cujus in digito invenitur.

Ni-

PAM. Quid? *PAR.* nihil enim: nam neque in nuntio, nec in me ipso boni quid sit scio.
PAM. Egone, qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,
Sinam sine munere a me abire? ah! nimium me ingratum putas,
Sed Bacchidem eccam video stare ante ostium:
Me expectat: credo; adibo. *B.* salve, Pamphile.
PAM. O Bacchis, o mea Bacchis, servatrix mea!
B. Bene factum, & volupe est. *PAM.* factis, ut credam, facis:
Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
Ut voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocumque adveneris,
Semper fiet. *B.* at tu, ædepol, morem antiquum, atque ingenium obtines,
Ut unus hominum homo te vivat nunquam quisquam blandior.
PAM. Ha, ha, he, tunc mihi isthuc? *B.* recte amasti, Pamphile, uxorem tuam .....
Nam nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.
Perliberalis visa est. *PAM.* dic verum. *B.* ita me Di ament Pamphile.

Nihil enim. Utique nihil: nihil est quod mihi quidquam pro isto nuntio dones.

Nam neque. Neque enim quid iste nuntius tibi afferat commodi scio: redibat ab arce Parmeno, quo a Pamphilo missus fuerat: itaque nondum sciebat quid esset in illo nuntio & annulo boni.

Volupe. Gratum.

Factis, ut credam, facis. Ut credam tibi gratum id esse, facis rebus ipsis, non verbis tantum: facta, quod dicis verum esse tibi, tibi esse volupe, arguunt.

Obitus. Ea vox hic significat aditum, occursum, sed inexpectatum; ut adventus, destinatum & voluntarium: *ob*, est, *contra*; *obire*, ire contra, occurrere.

Tune mihi isthuc. Tune ista tam urbana dicis?

Quod nossem. Ita ut eam

PAM. Dic mihi, harum rerum nunquid dixti
jam patri? *B.* nihil. *PAM.* neque opus
est
Adeo mutito: placet non fieri hoc itidem, ut
in comœdiis,
Omnia omnes ubi resciscunt: hi quos par fuerat resciscere,
Sciunt; quos non autem scire æquum est, neque resciscunt, neque scient.
B. Immo etiam; hoc qui occultari posse facilius credas, dabo:
Myrrhina ita Phidippo dixit, jurejurando meo
Se fidem habuisse, & propterea te sibi purgatum. *PAM.* optime est;
Speroque hanc rem eventuram nobis ex sententia.
PAR. Here, licetne me scire ex te, hodie quid
fit quod feci boni?
Aut quid isthuc est, quod vos agitis? *PAM.* non
licet. *PAR.* tamen suspicor:
Egone hunc ab orco mortuum? quo pacto? *PAM.* nescis, Parmeno,
Quantum hodie profueris mihi, & ex quanta ærumna me extraxeris.
PAR. Immo vero scio, neque hoc imprudens
feci. *PAM.* ego isthuc satis scio.

---

eam nossem: vel quod meminissem, quod quidem sciam.

Neque opus est adeo mutito. Ne opus quidem est mutire; ut, *opus dictu est*, pro opus dicere; ne verbum quidem hac de re patri tuo faciendum est.

Quos par, &c. Myrrhina, Philumena.

Quos autem. Laches, Phidippus, &c.

Resciscent. Rescimus ex alio, inquit Donatus: scimus etiam per nostram opinationem.

Dabo. Ostendam, dicam.

Meo. Cum ipsi affirmavi jurata, te segregatum a me fuisse, ex quo uxorem duxisti.

Purgatum. Excusatum abunde esse.

Ex sententia: Ut volumus, ex voto.

Hunc. Subaudi; extraxi.

Pro-

PAR. An temere quidquam Parmenonem prætereat, quod facto uſus ſit?
PAM. Sequere me intro Parmeno. *PAR.* ſequor: equidem plus hodie boni
Feci imprudens, quam ſciens ante hunc diem unquam. Plaudite.

Prætereat. Lateat, omittatur.
Uſus. Opus: quod utile ſit. An me tam negligentem eſſe putas, ut facile omittam aliquid, quod tuam in rem ſit?
Imprudens. Inſciens.

FINIS.

P. TERENTII EUNUCHUS.

ARGUMENTUM.

Miles quidam, cui nomen Thraſo, Thaidem ut ſibi conciliaret, mittebat illi dono fidicinam quandam Pamphilam nomine, emptam a mercatore mancipiorum, quæ cum eſſet Chremetis viri Athenienſis ſoror, olim a prædonibus abducta ex Attica in Inſulam Rhodum fuerat & ibi venum expoſita. Pamphilam, cum ad Thaidem duceretur, conſpicatus Chærea filius Laches, eam ſibi quoque pretio uxorem expetit. Chæreæ frater Phædria Thaidem etiam interdum viſebat, ſibique præferri ab ea Thraſonem dolens, ad eam ſibi conciliandam ipſe mittebat muneri ancillulam ex Æthiopia & Eunuchum. Chærea interim ſecutus Pamphilam uſque in ædes Thaidis, cum flagraret ejus videndæ cupiditate, id cepit conſilii, ut, ſumpta veſte & ornatu Eunuchi, demum Thaidis deduceretur. Ubi rem cognovit Thais, inique tulit; iniquius multo Laches Chæreæ pater, qui placari filio ante non potuit quam eſt agnita Pamphila Chremetis ſoror: tum enim illam, annuente patre, ac Thaide, uxorem accepit.

Scena Athenis.

PERSONÆ.

LACHES, senex Athenienſis Pater Phædriæ & Chæreæ.

PHÆDRIA, *CHÆREA*, } filii Lachetis.

THRASO, miles.

GNATHO, Paraſitus.

CHREMES, adoleſcens, frater Pamphilæ.

ANTIPHO, adoleſcens, amicus Chæreæ.

DORUS, Eunuchus.

PARMENO, ſervus Lachetis.

THAIS, amata a Thraſone & Phædria.

SOPHRONA, nutrix Pamphila.

PYTHIAS, *DORIAS*, } ancillæ.

SANGA, Lixa.

STRATO, *DONAX*, *SANNIO*, *STRISCUS*, } ſervi, perſonæ mutæ.

PAMPHILA, ſoror Chremetis agnita, data primum Thaidi pro mancipio, mox Chæreæ in matrimonium collata; perſona muta.

P. TERENTII

EUNUCHUS.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS L. Posthumio Albino & L. Cornelio Merula Ædilib. Curulib. egerunt L. Ambivius Turpio, & L. Attilius Prænestinus. Modulavit Flaccus Claudii, tibiis duabus dextris. Græca est Menandro. Acta IJ. M. Valerio Messala & C. Fannio Strabone Consul.

Ludis, &c. Quinam isti ludi fuerint vide in Andria. Voces ejusdem Proœmii quasdam explicatas habes in prioribus comœdiis.

Acta. Acta *IL.* secundo, altera vice. Cadit iste annus in 593. ab Urbe condita; & 158. ante Christum.

Menandro. Genitivus Græcus Μενάνδρου: *Menandri*.

PROLOGUS.

Terentius defenditur: ejus æmulus P. Lavinius in odium & invidiam adducitur.

SI quisquam est, qui placere se studeat bonis,
Quam plurimis, & minime multos lædere:
In his poeta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimat esse, sic existimet: sciat
Responsum, non dictum esse, quia læsit prius,
Qui bene vertendo, & easdem describendo male,
Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas:
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit:
Atque in Thesauro scripsit, caussam dicere

Poeta hic, Terentius.

Profitetur. Palam edit, adscribit.

Si quis est. L. Lavinium notat, qui acerbius in se se dictum fuisse quidpiam a Terentio querebatur.

Sic existimet. Sic apud se statuat.

Responsum &c. Non esse hoc maledictum censendum, sed responsionem meram maledictis, quibus prior læsus a Livinio fuit Terentius.

Non dictum. Hic nomen est; superius, participium.

Qui bene. Quia prius læsit Terentium poeta ille, qui bene quidem & cum fide vertendo in Latinum sermonem Græcas fabulas, male tamen sententiam & mentem auctoris exprimendo, &c. potest enim bene verti aliquid e Græco in Latinum, & male tamen scribi, si verborum major quam rerum & sententiarum ratio habeatur, &c.

Phasma. Ea vox Græca spectrum seu visum significat: nomen est comœdiæ a Menandro scriptæ, in qua scribenda & danda multa peccata per Lavinium fuisse innuit Terentius: quæ porro fuerint illa, non explicat.

Nunc nuper. Nuperrime.

Atque in thesauro. Videtur nomen esse alterius comœdiæ Menandri, in qua id mendose fecerat P. Lavinius, ut aliquis a quo inventum aurum petebatur, prius caussam diceret, quæ-

stem-

Prius unde petitur, aurum quare sit suum?
Quam ille, qui petit, unde esset thesaurus sibi;
Aut unde in patrium monimentum pervenerit.
Dehinc ne frustretur ipse se, aut sic cogitet;
Defunctus jam sum: nihil est quod dicat mihi.
Is ne erret, moneo, & desinat lacessere.

stenderetque aurum ad se pertinere, quam is qui illud petebat, ostenderet esse suum: petitor autem sive actor prius debet causam proponere & agere, quam reus, seu defensor. Senex quidam cum haberet filium prodigum, jusserat in suo monumento thesaurum defodi, caveratque testamento, ut post annos tantum decem aperiretur monumentum, & eo epulæ inferrentur quas mortuis adhiberi mos erat: eo consilio nimirum, ut hæc summa filio servaretur & absumptis opibus paternis hoc subsidium restaret adolescenti male prodigo. Interim agrum in quo id monumentum erat, senex alter ab hoc adolescente emerat, atque dum aperiretur sepulcrum reperit thesaurum illum: Sibi vindicat tanquam si ab aliquo cives flagrante bello, hic defossus esset. Adolescens ipsi litem intendit, ac judicem capit, apud quem reus senex prior causam dicit, quam adolescens; cum ille esset ordo potior, ut adolescens prior causam proponeret qui petitor inducebatur: actore enim non probante, ut habet juris regula, reus quamvis nihil præstiterit, absolvitur. Itaque prius debebat adolescens probare quomodo aurum in patris sui monumentum pervenerit, id est positum fuerit in paterno sepulcro, &c. siquidem est petitor.

Unde. Eam a quo; sic Virgil. *genus unde Latinum*.

Quam ille . . . Subaudi ostenderet, unde esset sibi, id est ad se pertineret, quo pacto inclusum in patris sepulcro fuisset.

Frustretur. Ne se præterea Lavinius deludat falsa spe.

Defunctus. Omni soluto periculo & metu sum, satis est auctoritas mea confirmata & fama: vel, evomuit iram in me suam & stomachum abunde Terentius, impune jam possum scribere, nihil præterea mihi objiciet. *Defungi*, est expediri aliquo negotio & labore; cui

Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur,
Quæ proferentur poſt, ſi perget lædere
Ita ut facere inſtituit. Nunc quam acturi ſumus
Menandri Eunuchum; poſtquam Ædiles emerunt,
Perfecit, ſibi ut inſpiciundi eſſet cópia:
Magiſtratus cum ibi adeſſet, occepta eſt agi,
Exclamat, furem, non poetam fabulam
Dediſſe, & nil dediſſe verborum tamen;
COLACEM eſſe Navi, & Plauti veterem fabulam,
Paraſiti perſonam inde ablatam & militis.
Si id eſt peccatum, peccatum imprudentia eſt
Poetæ, non qui furtum facere ſtuduerit.
Id ita eſſe, vos jam judicare poteritis.
Colax Menandri eſt; in ea eſt paraſitus colax,
Et miles glorioſus: eas ſe non negat.

cui finis impoſitus fuerit: alias ſignificat aliquid agere leviter ac perfunctorie.

Condonabitur. Condono cum accuſativo antique jungebatur: quæ illi condonabuntur.

Emerunt. Mediam corripo. Ædiles ludorum publicorum curam gerebant: emebantque in eam rem comœdias a poetis, & eas ante expendebant: effecit igitur Lavinius ut Eunuchum iſtam cum in manibus adhuc ædilium eſſet, inſpiceret.

Exclamat. Cum cœpta eſt agi comœdia, exclamare cœpit Lavinius, &c.

Nihil dediſſe verborum. Eum tamen Ædilibus non impoſuiſſe, nihil fraudis aut damni illis feciſſe, ſi quidem alienas Nævii ac Plauti fabulas bonas dederat, qui ſi dediſſet ſuas, malas dediſſet. *Dare verba*, eſt fallere.

Colacem. Comœdia eſt Nævii & Plauti eodem utraque nomine: quæ itidem antea fuerat a Menandro facta. *Colax* adulatorem ſonat.

Inde. . . Ex hac Colace fabula, Terentium ſumpſiſſe perſonam Paraſiti & militis.

Imprudentia. Ignorantia.

Non qui, &c. Non ea mente ut furtum de induſtria faceret.

Perſonas tranſtuliſſe in Eunuchum ſuam
Ex Græca; ſed eas fabulas factas prius
Latinas ſciſſe ſeſe, id vero pernegat.
Quod ſi perſonis iiſdem uti aliis non licet,
Qui magis licet currentes ſervos ſcribere,
Paraſitum edacem, glorioſum militem,
Puerum ſupponi, falli per ſervum ſenem,
Amare, odiſſe, ſuſpicari? denique
Nullum eſt jam dictum, quod non dictum ſit prius.
Quare æquum eſt vos cognoſcere, atque ignoſcere
Quæ veteres factitarunt, ſi faciunt novi.
Date operam, & cum ſilentio animadvertite,
Ut pernoſcatis, quid ſibi Eunuchus velit.

Suam. Subaudi, comœdiam.

Ex græca. E Colace Menandri.

Facta . . . A Nævio & Plauto, & hinc a ſe ſumptas.

Quod ſi, &c. Si nefas eſt poetis aliis & recentioribus, uti perſonis iiſdem quibus veteres uſi fuerint, inde ſequeretur nefas quoque fore deſcribere ſervulos curſitantes, &c. quod omnibus tamen conceditur & quod omnes æque faciunt, ac impune.

Cognoſcere. Rem totam prudenter & benigne interpretari atque expendere.

Date operam. Hoc agite: adeſte animis.

Velit. Quid agatur in hac fabula.

ACTUS

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PHÆDRIA, PARMENO.

Phædria excluſus olim a Thaide, nunc ab ea revocatus, deliberat, quæritque cum Parmenone, num adire ad eam debeat.

PH. QUid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem,
Cum accerſor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti mulierum contumelias?
Excluſit: revocat; redeam? non, ſi me obſecret.
PA. Siquidem hercle poſſis, nil prius, neque fortius;
Verum ſi incipies, neque pertendes naviter:
Atque, ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam venies, judicans
Te amare, & ferre non poſſe: actum eſt; iliacet,
Periiſti: eludet, ubi te victum ſenſerit.

Eam. An redibo ad Thaidem.

Non ſi ... Non ibo, quamvis me obſecret.

Nil prius. Nihil eſt melius, nihil antiquius debet eſſe.

Pertendes. Conſtans eris in propoſito.

Naviter. Strenue: a navi quæ recta via celerrime defertur.

Atque ubi, &c. Sententia eſt, ſi non perſeverabis fortiter, ſi venies ultro ad eam, ubi durare & pati ejus abſentiam non poteris, cum ipſa te non expetet, antequam te vocet; nempe antequam pacem cum ipſa feceris, antequam redieris cum illa in gratiam; ſi adibis ad eam tum, indicans ipſi, te abſentiam ejus ferre non poſſe: actum eſt, &c.

Ce-

PH. Proin tu, dum eſt tempus, etiam atque etiam cogita.
PA. Here, quæ res in ſe neque conſilium, neque modum
Habet ullum, eam conſilio regere non potes.
In amore hæc omnia inſunt vitia, injuriæ,
Suſpicione, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum: incerta hæc ſi tu poſtules,
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Egone illam? quæ illum? quæ me? ſine modo:
Mori me malim ..... ſentiet qui vir ſiem.
Hæc verba una me hercule falſa lacrimula,
Quam, oculos terendo miſere, vix vi expreſſerit,
Reſtinguet: & te ultro accuſabit, & dabis ei
Ultro ſupplicium. *PH.* o indignum facinus! nunc ego &
Illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum ſentio:
Et tædet, & amore ardeo: & prudens, ſciens,
Vivus, videnſque pereo; nec, quid agam, ſcio,
PA. Quid agas? niſi ut te redimas captum quam queas

Cogita. Juva me tuo conſilio, cogita quid mihi ſit opus.
Induciæ. Pax in paucos dies.
Certa facere. Stabilia reddere.
Agas: Promoveas.
Egone. Subaudi, adibo?
Quæ illum. Mihi prætulit.
Quæ me. Non admiſit.
Sine modo. Patere, me indulgere modo ultioni & iracundiæ: verba ſunt Phædriæ indignantis, quæ recitat Parmeno.
Dabis ſupplicium. Dabis illi pœnas, ab ea vapulabis; & fruetur dolore tuo.
Redimas captum. In liber-

Minimo; si nequeas paullulo : at quanti queas :
Et ne te afflictes. *PH.* Itane suades? *PA.* si sapis,
Neque præterquam quas ipse amor molestias
Habet, addas : & illas quas habet, recte feras.
Sed ipsa egreditur nostri fundi calamitas,
Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

bertatem afferas.

Minimo. Subaudi; pretio.

Paullulo. Si non potes minimo, certe exiguo aliquo, certe quantolibet poteris, parvo vel magno.

Calamitas. Pernicies : proprie calamitatem rustici appellant grandinem, quia calamos, seu culmos segetum comminuat.

Intercipit. Eam pecuniam quam e fundo pereipere deberemus, antequam ad nos pervenit, arripit.

SCENA SECUNDA.

THAIS, PHÆDRIA, PARMENO.

Excusat se apud Phædriam Thais quod eum exclusérit : impetrat ab eo ut militem apud se biduum esse patiatur.

T. MIseram me? vereor ne illud gravius Phædria
Tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromissus non est. *PH.* totus, Parmeno,
Tremo horreoque, postquam aspexi hanc. *PA.* bono animo es,
Accede ad ignem hunc, jam calescés plus satis.

Aliorsum. Aliam in partem, nempe in contumeliam, quod ego necessitate adducta feci.

Bono. Euge, perge sane...

Ignem. Thaidem, cujus amor igni similis est.

Tu-

SCENA QUINTA.

PAMPHILUS, PARMENO, BACCHIS.

Triumphat Pamphilus annulo cognito, & uxorem recipit.

PAM. VIde, mi Parmeno etiam ſodes, ut mihi hæc certa, & clara attuleris;
Ne me in breve conjicias tempus, gaudio hoc falſo frui.
PAR. Viſum eſt. *PAM.* certone? *PAR.* certo. *PAM.* Deus ſum, ſi hoc ita eſt. *PAR.* verum reperies.
PAM. Manedum, ſodes: timeo ne aliud credam, atque aliud nunties.
PAR. Maneo. *PAM.* ſic te dixiſſe opinor, inveniſſe Myrrhinam,
Bacchidem annulum ſuum habere. *PAR.* factum? *PAM.* eum, quem olim ei dedi,
Eaque, hoc te mihi nuntiare juſſit: itane eſt factum? *PAR.* Ita inquam.
PAM. Quis me eſt fortunatior? venuſtatiſque adeo plenior?
Egon' te pro hoc nuntio quid donem? quid? quid? neſcio. *PAR.* at ego ſcio.

In breve, &c. Ne me in gaudium brevi tempore fruendum adducas.

Frui. Ut fruar.

Viſum eſt. Dixerat Pamphilus, vide ne, &c. reſpondet, vidi, proviſum eſt.

Deus ſum. Id eſt, felicitſſimus.

Manedum. Ut, agedum, diedum.

Suum. Ordo eſt: nonne hoc dixiſti? nempe agnoviſſe Myrrhinam ſuum annulum in digito Bacchidis? erat hic annulus Philumenæ, ſed illi a matre Myrrhina olim datus, ereptus Philumenæ a Pamphilo, traditus ab eodem Bacchidi, cujus in digito invenitur.

Ni-

PAM. Quid? *PAR.* nihil enim: nam neque in nuntio, nec in me ipso boni quid sit scio.
PAM. Egone, qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,
Sinam sine munere a me abire? ah! nimium me ingratum putas,
Sed Bacchidem eccam video stare ante ostium: Me expectat credo; adibo. *B.* salve, Pamphile.
PAM. O Bacchis, o mea Bacchis, servatrix mea!
B. Bene factum, & volupe est. *PAM.* factis, ut credam, facis:
Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,
Ut voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocumque adveneris,
Semper fiet. *B.* at tu, ecastor, morem antiquum, atque ingenium obtines,
Ut unus hominum homo te vivat nunquam quisquam blandior.
PAM. Ha, ha, he, tunc mihi isthuc? *B.* recte amasti, Pamphile, uxorem tuam .....
Nam nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.
Perliberalis visa est. *PAM.* dic verum. *B.* ita me Di ament Pamphile.

Nihil enim. Utique nihil: nihil est quod mihi quidquam pro isto nuntio dones.

Nam neque. Neque enim quid ille nuntius tibi afferat commodi scio: redibat ab arce Parmeno, quo a Pamphilo missus fuerat: itaque nondum sciebat quid esset in illo nuntio & annulo boni.

Volupe. Gratum.

Factis, ut credam, facis. Ut credam tibi gratum id esse, facis rebus ipsis, non verbis tantum: facta, quod dicis verum esse tibi, tibi esse volupe, arguunt.

Obitus. Ea vox hic significat aditum, occursum, sed inexpectatum; ut adventus, destinatum & voluntarium: *ob*, est, *contrà*; *obire*, ire contra, occurrere.

Tunc mihi isthuc. Tunc ista tam urbana dicis?

Quod nossem. Ita ut eam

PAM. Dic mihi, harum rerum nunquid dixti
jam patri? *B.* nihil. *PAM.* neque opus
est
Adeo mutito: placet non fieri hoc itidem, ut
in comœdiis,
Omnia omnes ubi resciscunt: hi quos par fue-
rat resciscere,
Sciunt; quos non autem scire æquum est, neque
resciscunt, neque scient.
B. Immo etiam; hoc qui occultari posse facilius
credas, dabo:
Myrrhina ita Phidippo dixit, jurejurando meo
Se fidem habuisse, & propterea te sibi purga-
tum. *PAM.* optime est;
Speroque hanc rem eventuram nobis ex senten-
tia.
PAR. Here, licetne me scire ex te, hodie quid
fit quod feci boni?
Aut quid isthuc est, quod vos agitis? *PAM.* non
licet. *PAR.* tamen suspicor;
Egone hunc ab orco mortuum? quo pacto?
PAM. nescis, Parmeno,
Quantum hodie profueris mihi, & ex quanta
ærumna me extraxeris.
PAR. Immo vero scio, neque hoc imprudens
feci. *PAM.* ego isthuc satis scio.

---

eam nossem: vel quod me-
minissem, quod quidem
sciam.

*Neque opus est adeo mu-
tito*. Ne opus quidem est
mutire; ut, *opus dictu est*,
pro opus dicere: ne ver-
bum quidem hac de re
patri tuo faciendum
est.

Quos par, &c, Myrrhi-
na, Philumena.

Quos autem. Laches,
Phidippus, &c.

Resciscent.... Rescimus
ex alio, inquit Donatus:
scimus etiam per nostram
opinationem.

Dabo. Ostendam, di-
cam.

Meo. Cum ipsi affirmavi
jurata, te segregatum a me
fuisse, ex quo uxorem du-
xisti.

Purgatum. Excusatum a-
bunde esse.

Ex sententia: Ut volu-
mus, ex voto.

Hunc. Subaudi; extra-
xi.

Pro-

PAR. An temere quidquam Parmenonem prætereat, quod facto uſus ſit?

PAM. Sequere me intro Parmeno. *PAR.* ſequor: equidem plus hodie boni
Feci imprudens, quam ſciens ante hunc diem unquam. Plaudite.

Prætereat. Lateat, omittatur.

Uſus. Opus: quod utile ſit. An me tam negligentem eſſe putas, ut facile omittam aliquid, quod tuam in rem ſit?

Imprudens. Inſciens.

FINIS.

P. TERENTII EUNUCHUS.

ARGUMENTUM.

Miles quidam, cui nomen Thraſo, Thaidem ut ſibi conciliaret, mittebat illi dono fidicinam quandam Pamphilam nomine, emptam a mercatore mancipiorum, quæ cum eſſet Chremetis viri Athenienſis ſoror, olim a prædonibus abducta ex Attica in Inſulam Rhodum fuerat & ibi venum expoſita. Pamphilam, cum ad Thaidem duceretur, conſpicatus Charea filius Laches, eam ſibi quoque pretio uxorem expetit. Chæreæ frater Phædria Thaidem etiam interdum viſebat, ſibique præferri ab ea Thraſonem dolens, ad eam ſibi conciliandam ipſi mittebat muneri ancillulam ex Æthiopia & Eunuchum. Charea interim ſecutus Pamphilam uſque in ædes Thaidis, cum flagraret ejus videndæ cupiditate, id cepit conſilii, ut, ſumpta veſte & ornatu Eunuchi, demum Thaidis deduceretur. Ubi rem cognovit Thais, inique tulit; iniquius multo Laches Chæreæ pater, qui placari filio ante non potuit quam eſt agnita Pamphila Chremetis ſoror: tum enim illam, annuente patre, ac Thaide, uxorem accepit.

Scena Athenis.

PERSONÆ.

LACHES, senex Athenienſis Pater Phædriæ & Chæreæ.
PHÆDRIA, } filii Lachetis.
CHÆREA, }
THRASO, miles.
GNATHO, Paraſitus.
CHREMES, adoleſcens, frater Pamphilæ.
ANTIPHO, adoleſcens, amicus Chæreæ.
DORUS, Eunuchus.
PARMENO, ſervus Lachetis.
THAIS, amata a Thraſone & Phædria.
SOPHRONA, nutrix Pamphila.
PYTHIAS, } ancillæ.
DORIAS, }
SANGA, Lixa.
STRATO, } ſervi,
DONAX, } perſonæ
SANNIO, } mutæ.
STRISCUS, }
PAMPHILA, ſoror Chremetis agnita, data primum Thaidi pro mancipio, mox Chæreæ in matrimonium collata; perſona muta.

P. TERENTII

EUNUCHUS.

ACTA LUDIS MEGALENSIBUS L. Posthumio Albino & L. Cornelio Merula Ædilib. Curulib. egerunt L. Ambivius Turpio, & L. Attilius Prænestinus. Modulavit Flaccus Claudii, tibiis duabus dextris. Græca est Menandru. Acta II. M. Valerio Messala & C. Fannio Strabone Consul.

Ludis, &c. Quinam isti fuerint ludi vide in Andria. Voces ejusdem Proœmii quasdam explicatas habes in prioribus comœdiis.

Acta. Acta *II.* secundo, altera vice. Cadit iste annus in 593. ab Urbe condita: & 158. ante Christum.

Menandru. Genitivus Græcus Μενάνδρου: *Menandri*.



PRO-

PROLOGUS.

Terentius defenditur : ejus æmulus P. Lavinius in odium & invidiam adducitur.

SI quisquam est, qui placere se studeat bonis,
Quam plurimis, & minime multos lædere :
In his poeta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimat esse, sic existimet : sciat
Responsum, non dictum esse, quia læsit prius,
Qui bene vertendo, & easdem describendo male,
Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas :
Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit :
Atque in Thesauro scripsit, caussam dicere

Poeta hic, Terentius.

Profitetur. Palam edit, adscribit.

Si quis est. L. Lavinium notat, qui acerbius in se se dictum fuisse quidpiam a Terentio querebatur.

Sic existimet. Sic apud se statuat.

Responsum &c. Non esse hoc maledictum censendum, sed responsionem meram maledictis, quibus prior læsus a Livinio fuit Terentius.

Non dictum. Hic nomen est; superius, participium.

Qui bene. Quia prius læsit Terentium poeta ille, qui bene quidem & cum fide vertendo in Latinum sermonem Græcas fabulas, male tamen sententiam & mentem auctoris exprimendo, &c. potest enim bene verti aliquid e Græco in Latinum, & male tamen scribi, si verborum major quam rerum & sententiarum ratio habeatur, &c.

Phasma. Ea vox Græca spectrum seu visum significat: nomen est comœdiæ a Menandro scriptæ, in qua scribenda & danda multa peccata per Lavinium fuisse innuit Terentius : quæ porro fuerint illa, non explicat.

Nunc nuper. Nuperrime.

Atque in thesauro. Videtur nomen esse alterius comœdiæ Menandri, in qua id mendose fecerat P. Lavinius, ut aliquis a quo inventum aurum petebatur, prius caussam diceret, quæ-

sten-

Prius unde petitur, aurum quare sit suum?
Quam ille, qui petit, unde esset thesaurus sibi;
Aut unde in patrium monimentum pervenerit.
Dehinc ne frustretur ipse se, aut sic cogitet;
Defunctus jam sum: nihil est quod dicat mihi.
Is ne erret, moneo, & desinat lacessere.

ostenderetque aurum ad se pertinere, quam is qui illud petebat, ostenderet esse suum: petitor autem sive actor prius debet causam proponere & agere, quam reus, seu defensor. Senex quidam cum haberet filium prodigum, jusserat in suo monumento thesaurum defodi, caveratque testamento, ut post annos tantum decem aperiretur monumentum, & eo epulæ inferrentur quas mortuis adhiberi mos erat: eo consilio nimirum, ut hæc summa filio servaretur & absumptis opibus paternis hoc subsidium restaret adolescenti male prodigo. Interim agrum in quo id monumentum erat, senex alter ab hoc adolescente emerat, atque dum aperiretur sepulcrum reperit thesaurum illum: Sibi vindicat tanquam si ab aliquo cives flagrante bello, hic defossus esset. Adolescens ipsi litem intendit, ac judicem capit, apud quem reus senex prior causam dicit, quam adolescens; cum ille esset ordo potior, ut adolescens prior causam proponeret qui petitor inducebatur: actore enim non probante, ut habet juris regula, reus quamvis nihil præstiterit, absolvitur. Itaque prius debebat adolescens probare quomodo aurum in patris sui monumentum pervenerit, id est positum fuerit in paterno sepulcro, &c. siquidem est petitor.

Unde. Eum a quo; sic Virgil. *genus unde Latinum*.

Quam ille . . . Subaudi ostenderet, unde esset sibi, id est ad se pertineret, quo pacto inclusum in patris sepulcro fuisset.

Frustretur. Ne se præterea Lavinius deludat falsa spe.

Defunctus. Omni soluto periculo & metu sum, satis est auctoritas mea confirmata & fama; vel, evomuit iram in me suam & stomachum abunde Terentius, impune jam possum scribere, nihil præterea mihi objiciet. *Defungi*, est expediri aliquo negotio & labore, cui

Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur,
Quæ proferentur poſt, ſi perget lædere
Ita ut facere inſtituit. Nunc quam acturi ſumus
Menandri Eunuchum; poſtquam Ædiles emerunt,
Perfecit, ſibi ut inſpiciundi eſſet cópia:
Magiſtratus cum ibi adeſſet, occepta eſt agi,
Exclamat, furem, non poetam fabulam
Dediſſe, & nil dediſſe verborum tamen;
COLACEM eſſe Navi, & Plauti veterem fabulam;
Paraſiti perſonam inde ablatam & militis.
Si id eſt peccatum, peccatum imprudentia eſt
Poetæ, non qui furtum facere ſtuduerit.
Id ita eſſe, vos jam judicare poteritis.
Colax Menandri eſt; in ea eſt paraſitus colax,
Et miles glorioſus: eas ſe non negat.

cui finis impoſitus fuerit: alias ſignificat aliquid agere leviter ac perfunctorie.

Condonabitur. Condono cum accuſativo antique jungebatur: quæ illi condonabuntur.

Emerunt. Mediam corripo. Ædiles ludorum publicorum curam gerebant: emebantque in eam rem comœdias a poetis, & eas ante expendebant: effecit igitur Lavinius ut Eunuchum iſtam cum in manibus adhuc ædilium eſſet, inſpiceret.

Exclamat. Cum cœpta eſt agi comœdia, exclamare cœpit Lavinius, &c.

Nihil dediſſe verborum. Eum tamen Ædilibus non impoſuiſſe, nihil fraudis aut damni illis feciſſe, ſiquidem alienas Nævii ac Plauti fabulas bonas dederat, qui ſi dediſſet ſuas, malas dediſſet. *Dare verba*, eſt fallere.

Colacem. Comœdia eſt Nævii & Plauti eodem utraque nomine: quæ itidem antea fuerat a Menandro facta. *Colax* adulatorem ſonat.

Inde. . . Ex hac Colace fabula, Terentium ſumpſiſſe perſonam Paraſiti & militis.

Imprudentia. Ignorantia.

Non qui, &c. Non ea mente ut furtum de induſtria faceret.

Suam.

Perſonas tranſtuliſſe in Eunuchum ſuam
Ex Græca; ſed eas fabulas factas prius
Latinas ſciſſe ſeſe, id vero pernegat.
Quod ſi perſonis iiſdem uti aliis non licet,
Qui magis licet currentes ſervos ſcribere,
Paraſitum edacem, glorioſum militem,
Puerum ſupponi, falli per ſervum ſenem,
Amare, odiſſe, ſuſpicari? denique
Nullum eſt jam dictum, quod non dictum ſit prius.
Quare æquum eſt vos cognoſcere, atque ignoſcere
Quæ veteres factitarunt, ſi faciunt novi.
Date operam, & cum ſilentio animadvertite,
Ut pernoſcatis, quid ſibi Eunuchus velit.

Suam. Subaudi, comœdiam.

Ex græca. E Colace Menandri.

Facta . . . A Nævio & Plauto, & hinc a ſe ſumptas.

Quod ſi, &c. Si nefas eſt poetis aliis & recentioribus, uti perſonis iiſdem quibus veteres uſi fuerint, inde ſequeretur nefas quoque fore deſcribere ſervulos curſitantes, &c. quod omnibus tamen conceditur & quod omnes æque faciunt, ac impune.

Cognoſcere. Rem totam prudenter & benigne interpretari atque expendere.

Date operam. Hoc agite: adeſte animis.

Velit. Quid agatur in hac fabula.

ACTUS

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PHÆDRIA, PARMENO.

Phædria excluſus olim a Thaide, nunc ab ea revocatus, deliberat, quæritque cum Parmenone, num adire ad eam debeat.

PH. QUid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem,
Cum accerſor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti mulierum contumelias?
Excluſit: revocat; redeam? non, ſi me obſecret.
PA. Siquidem hercle poſſis, nil prius, neque fortius;
Verum ſi incipies, neque pertendes naviter:
Atque, ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam venies, judicans
Te amare, & ferre non poſſe: actum eſt; iliicet,
Periiſti: eludet, ubi te victum ſenſerit.

Eam. An redibo ad Thaidem.

Non ſi ... Non ibo, quamvis me obſecret.

Nil prius. Nihil eſt melius, nihil antiquius debet eſſe.

Pertendes. Conſtans eris in propoſito.

Naviter. Strenue: a navi quæ recta via celerrime defertur.

Atque ubi, &c. Sententia eſt, ſi non perſeveraveris fortiter, ſi venies ultro ad eam, ubi durare & pati ejus abſentiam non poteris, cum ipſa te non expetet, antequam te vocet; nempe antequam pacem cum ipſa feceris, antequam redieris cum illa in gratiam; ſi adibis ad eam tum, indicans ipſi, te abſentiam ejus ferre non poſſe: actum eſt, &c.

Co-

PH. Proin tu, dum eſt tempus, etiam atque etiam cogita.
PA. Here, quæ res in ſe neque conſilium, neque modum
Habet ullum, eam conſilio regere non potes,
In amore hæc omnia inſunt vitia, injuriæ,
Suſpicione, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum: incerta hæc ſi tu poſtules,
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Egone illam? quæ illum? quæ me? ſine modo:
Mori me malim .... ſentiet qui vir ſiem.
Hæc verba una me hercule falſa lacrimula,
Quam, oculos terendo miſere, vix vi expreſſerit,
Reſtinguet: & te ultro accuſabit, & dabis ei
Ultro ſupplicium. *PH.* o indignum facinus! nunc ego &
Illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum ſentio:
Et tædet, & amore ardeo: & prudens, ſciens,
Vivus, videnſque pereo; nec, quid agam, ſcio,
PA. Quid agas? niſi ut te redimas captum quam queas

Cogita. Juva me tuo conſilio, cogita quid mihi ſit opus.
Induciæ. Pax in paucos dies.
Certa facere. Stabilia reddere.
Agas. Promoveas.
Egone. Subaudi, adibo?
Quæ illum. Mihi prætulit.
Quæ me. Non admiſit.
Sine modo. Patere, me indulgere modo ultioni & iracundiæ: verba ſunt Phædriæ indignantis, quæ recitat Parmeno.
Dabis ſupplicium. Dabis illi pœnas, ab ea vapulabis; & fruetur dolore tuo.
Redimas captum. In liber-

Minimo; ſi nequeas paullulo : at quanti queas :
Et ne te affligtes. *PH.* Itane ſuades? *PA.* ſi ſapis,
Neque præterquam quas ipſe amor moleſtias
Habet, addas : & illas quas habet, recte feras.
Sed ipſa egreditur noſtri fundi calamitas,
Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

beratem afferas.

Minimo. Subaudi; pretio.

Paullulo. Si non potes minimo, certe exiguo aliquo, certe quantolibet poteris, parvo vel magno.

Calamitas. Pernicies : proprie calamitatem ruſtici appellant grandinem, quia calamos, ſeu culmos ſegetum comminuat.

Intercipit. Eam pecuniam quam e fundo percipere deberemus, antequam ad nos pervenit, arripit.

SCENA SECUNDA.

THAIS, PHÆDRIA, PARMENO.

Excuſat ſe apud Phædriam Thais quod eum excluſerit : impetrat ab eo ut militem apud ſe biduum eſſe patiatur.

T. MIſeram me? vereor ne illud gravius Phædria
Tulerit, neve aliorſum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromiſſus non eſt. *PH.* totus, Parmeno,
Tremo horreoque, poſtquam aſpexi hanc. *PA.* bono animo es,
Accede ad ignem hunc, jam caleſces plus ſatis.

Aliorſum. Aliam in partem, nempe in contumeliam, quod ego neceſſitate adducta feci.

Bono. Euge, perge ſane..

Ignem. Thaidem, cujus amor igni ſimilis eſt.

Tu-

T. Quis hic loquitur? hem, tune eras hic, n' Phædria?
Quid hic ſtabas? cur non recta introibas? *PA.* ceterum
De excluſione verbum nullum. *T.* quid taces?
PH. Sane quia vero hæ mihi patent ſemper fores,
Aut quia ſum apud te primus. *T.* miſſa iſt hæc face.
PH. Quid miſſa? o Thais, Thais utinam eſſet mihi
Pars æqua amoris tecum; ac pariter fieret, ut
Aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet:
Aut ego iſthuc abs te factum nihili penderem.
T. At obſecro ne crucia te, mi Phædria.
Non pol, quo quemquam plus amem, aut plus diligam,
Eo feci: ſed ita erat res; faciundum fuit.
PA. Credo, ut fit, miſera præ amore excluſiſti hunc foras.
T. Sicne ais Parmeno? age; ſed, huc qua gratia
Te accerſi juſſi, auſculta. *PH.* fiat. *T.* dic mihi

Tune eras? Qui loquebaris.

Nullum. Subaudi, facit: hoc tacitus dicit.

Sane quia... Ironia: nimirum facio perperam qui non ingrediar, quia tua domus mihi ſemper patet, &c. Nihil eſt quod taceam & ſim triſtis, tua enim domus ſemper mihi eſt aperta. Id eſt, merito iraſcor & taceo, quia tu me excludis.

Primus. Præcipuus.

Miſſa iſthæc face. Omitte, obliviſcere.

Pars æqua. Utinam amori meo ex æquo reſponderes; amorem & dolorem ex æquo mecum partireris.

Ac pariter, &c. Ut tam tibi doleret ea quæ mihi a te fit injuria, quam mihi dolet: aut eam, perinde ac tu, poſſem nihili facere.

Plus autem, &c. Amare plus quidam eſt quam diligere: amamus veluti voluntate, diligimus judicio.

Ita erat res. Ita rerum mearum ratio neceſſitaſque poſcebat.

Age. Eſto, ſane, perge.

Per-

Hoc primum: potin' eſt hic tacere? *PA.* egone? optime.
Verum, heus tu, lege hac tibi meam adſtringe fidem;
Quæ vera audivi, taceo, & contineo optime:
Sin fallum, aut vanum, aut fictum eſt, continuo palam eſt.
Plenus rimarum ſum, hac, atque illac perfluo.
Proin taceri ſi vis, vera dicito.
T. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
PA. Poteſt taceri hoc. *T.* ibi tum matri parvulam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. *PH.* civemne? *T.* arbitror;
Certum non ſcimus; matris nomen, & patris
Dicebat ipſa: patriam, & ſigna cetera
Neque ſciebat, neque per ætatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat; e prædonibus,
Unde emerat, ſe audiſſe, abreptam e Sunio,
Matri ubi accepit, cœpit ſtudioſe omnia
Docere, educare, ita ut ſi eſſet filia.
Sororem plerique eſſe credebant meam.
Ego cum illo, quocum uno tum verſabar hoſpite,
Abii huc; qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia.
PA. Utrumque hoc falſum eſt, effluet. *T.* qui iſthuc? *PA.* quia

Perfluo. Ut dolium rimoſum.
Samia. Samos eſt Inſula maris Ægei.
Rhodi. Rhodus eſt inſula e regione Ciliciæ, ad meridiem Aſiæ minoris.
Ipſa. Parvula puella.
Potuerat... Scire patriam ſuam, &c.
Unde. A quibus.
Sunio. Eſt Atticæ promontorium.
Matri. Mea.
Ubi accepit. Ubi audivit eam abductam e Sunio fuiſſe; vel, ubi eam domi ſuæ habuit.
Hoſpite. Mercatore Athenienſi.
Huc. E Rhodo Athenas.
Effluet. Non tacebitur.

Cum

Neque tu cum uno tantum eras, neque solus hæc dedit :
Nam hic quoque bonam, magnamque partem ad te attulit.
T. Ita est : sed sine me pervenire, quo volo.
Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam est profectus : te interea loci
Cognovi : tute scis, post illa quam intimum
Habeam te, & mea consilia ut tibi credam omnia.
PH. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. *PA.* oh! dudium ne id est ?
T. Hoc agite, amabo : mater mea illic mortua est
Nuper : ejus frater aliquantum ad rem est avidiore
Is ubi hanc forma videt honesta virginem,
Et fidibus scire, pretium sperans, illico
Producit, vendit : forte fortuna adfuit
Hic meus amicus, emit eam dono mihi.
Imprudens harum rerum, ignarusque omnium,
Is venit : postquam sensit me tecum quoque
Versari, fingit causas, ne det, sedulo :
Ait, si fidem habeat se iri præpositum tibi

Cum uno. Militem enim Thrasonem etiam admisisti, atque adeo non fuisti tantum cum uno.

Hic. Phædria.

Pervenire. Narrando sine ut absolvam.

Cariam. Regio est Minoris Asiæ contra Rhodum.

Interea loci. Interim.

Tacebit. Quia falsum est.

Hoc agite. Attendite, ne me interpellate.

Illic. In Rhodo.

Ad rem avidior. Plus æquo avarus.

Stire. Subaudi ; canere.

Producit. Venalem proponit.

Hic. Miles Thraso dicus.

Imprudens, &c. Nesciens unde abrepta foret, cujæ esset...

Venit. Ex Rhodo Athenas nunc advenit.

Me det. Ne mihi det hanc puellam quam mihi emit.

Sedulo. Dedita opera causas varias comminiscitur.

Si fidem habeat. Si con sta-

Apud me, ac non id metuat, ne, ubi acceperim,
Sese relinquam: velle se illam mihi dare:
Verum id vereri: sed ego quantum suspicor,
Ad virginem animum adjecit. *PH.* etiamne amplius?
T. Nil: nam quæsivi. Nunc ego eam, mi Phædria,
Multæ sunt caussæ, quamobrem cupio abducere.
Primum, quod soror est dicta: præterea, ut suis
Restituam, ac reddam: sola sum, habeo hic neminem,
Neque amicum, neque cognatum: quamobrem Phædria
Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.
Id amabo, adjuta me, quod id fiat facilius.
Sine illum priores partes hosce aliquot dies
Apud me habere: nihil respondes? *PH.* Pessuma!
Egone quidquam cum istis factis tibi respondeam?
PA. Eu noster, laudo, tandem perdoluit: vir es:

stare ipsi possit, si habeat unde possit credere futurum ut se tibi præponam, ac si non metuat ne se relinquam ubi ab ipso puellam acceperim, &c.

Vereri. Ne se deseram, ne te sibi præponam.

Animum adjecit. Illam sibi expetit.

Etiamne. Nihilne est præterea?

Abducere. Habere a milite, facere ut illam mihi det.

Dicta. Mea soror putata est.

Beneficio. Nempe affines puellæ & parentes, quibus eam restituere cupio, mihi volo devincere.

Eu. εὖ recte, o mi here; præclare dicis.

Perdoluit. Tandem aliquando ægre fert acceptas a Thaïde injurias. Hoc demissa voce dicit: mox vocem tollens, vir es, inquit, nempe facis quod virum fortem decet.

Quor-

PH. At ego nesciebam quorsum tu ires. Parvula
Hinc est abrepta; eduxit mater pro sua,
Soror dicta est, cupio abducere, ut reddam suis,
Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique,
Ego excludor, ille recipitur: qua gratia?
Nisi illum plus amas, quam me, & istam nunc times,
Quæ advecta est, ne illum talem præcipiat tibi?
T. Egone id timeo? *PH.* quid te ergo aliud sollicitat? cedo.
Num solus ille dona dat? nunc ubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier,
Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quæsivi? Eunuchum porro dixti velle te,
Quia solæ utuntur his reginæ: repperi:
Heri minis viginti pro ambobus dedi:
Tamen contemptus abs te, hæc habui in memoria:
Ob hæc facta abs te spernor. *T.* quid isthuc Phædria?
Quamquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id fieri posse maxime: verumtamen,
Potius quam te inimicum habeam, faciam, ut jusseris.

Quorsum tu ires? Quo pergeres narrando: quid tibi velles; quo spectares.

Et istam. Et hoc times ne ista puella plus ab eo quam tu diligatur, & sic tibi miles eripiatur, ideoque vis illam suis reddere.

Nunc ubi. Nunquid alicubi.

Claudier. Deesse, occludi.

His. Ejusmodi mancipiis ex Africa petitis.

Reginæ. Matronæ divites.

Minas. Vide Adelphos act. 2. sc. 1.

Hæc habui .... Memini hæc a te peti, & ut emerem cogitavi.

Quid isthuc. Itane dicis, an ita sentis?

Hac re. Si dies aliquot hinc absis.

Quam

PH. Utinam isthuc verbum ex animo aeque vere diceres!
Potius quam te inimicum habeam: si isthuc crederem
Sincere dici, quidvis possem perpeti.
PA. Labascit, victus uno verbo: quam cito!
T. Ego non ex animo misera dico? quam joco
Rem voluisti a me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem ut concedas solum. *PH.* Si quidem biduum .....
Verum ne fiant isti viginti dies.
T. Profecto non plus biduum, aut. *PH.* aut? nihil moror.
T. Non fiet: hoc modo sine te uxorem. *PH.* scilicet
Faciundum est, quod vis. *T.* merito te amo. *PH.* bene facis:
Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum:
Ita facere certum est, mos gerundus est Thaidi.
Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur. *PA.* maxume.
PH. In hoc biduum Thais vale. *T.* mi Phædria,
Et tu, nunquid vis aliud? *PH.* Egone quid velim?

Quam joco . . . Quid a me petisti etiam per jocum quid tibi dederim?

Si quidem biduum . . Subaudi, tantum petis laciam, concedam.

Ne fiant . . . Subaudi, cave, velim ea lege concedo ne pro isto biduo fiant dies 20.

Aut . Subaudi, triduum . . .

Aut? nihil moror. Quid sibi vult istud aut? an plures dies petis? at ego nihil tibi more majoris concedo.

Non fiet. Non excurram ultra triduum.

Adducantur. Eunuchus & ancilla Æthiops.

Et tu. Subaudi, vale?

Quid velim? Rogasne me quid velim? nempe ut brevi te revisam.

T. Me miseram, forsitan hic mihi parvam habeat fidem,
Atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet.
Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certo scio,
Neque me finxisse falsi quidquam, neque meo
Cordi esse quemquam cariorem hoc Phædria:
Et quidquid hujus feci, caussa virginis
Feci: nam me ejus spero fratrem propemodum
Jam reperisse, adolescentem adeo nobilem:
Et is hodie venturum ad me constituit domum:
Concedam hinc intro, atque expectabo, dum venit.

Me judicet. Me similem putet aliarum meretricum, quarum ingenia sunt ad mentiendum, & fallendum compositа.
Hujus. In ea re, quidquid istius rei feci.
Adeo. Profecto.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

PHÆDRIA, PARMENO.

Phædria rus abiturus, mancipia jubet ad Thaidem a Parmenone deduci.

PH. FAc ita ut jussi, deducantur isti. PA. faciam. PH. at diligenter. PA. Fiet. PH. at mature. PA. fiet. PH. satne hoc mandatum est tibi?

Isti. Eunuchus scilicet & Æthiopissa.

Uti-

PA. Ah! rogitare? quasi difficile sit: utinam
Tam aliquid invenire facile possis, Phædria,
Quam hoc peribit! *PH.* ego quoque una pereo, quod mihi est carius.
Ne isthuc tam iniquo patiare animo. *PA.* minime: quin
Effectum dabo: sed nunquid aliud imperas?
PH. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris, &
Istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito.
PA. Meminimi, tametsi nullus moneas. *PH.* ego rus ibo, atque ibi manebo.
PA. Censeo. *PH.* sed heus tu. *PA.* quid vis? *PH.* censen' posse me obstirmare, &
Perpeti, ne redeam interea? *PA.* tene? non hercle arbitror.
Nam aut jam revertere, aut mox noctu te adigent horsum insomnia.
PH. Opus faciam, ut defatiger usque, ingratiis ut dormiam.
PA. Vigilabis lassus; hoc plus facies. *PH.* abisis, nihil dicis, Parmeno.
Ejiciunda hercle hæc mollities animi, nimis me indulgeo.

Utinam, &c. Utinam tam facile aliquid boni invenias, lucri aliquid facias, quam facile & certo hoc perdet, quam facile hæc tibi mancipia peribunt, hic sumptus.

Quod mihi est carius. Pro, qui mihi sum carior, nempe istis mancipiis . . .

Ne isthuc. Quo minus debes ægre ferre, si mancipia & pecunia mihi pereant.

Minime. Neutiquam istud fero iniquo animo: pereas sane tu & tua munera, si quidem ita vis: efficiam quod jubes.

Quod poteris. Quod, quantum poteris.

Istum. Militem.

Nullus. Non.

Horsum. Huc, in urbem adigent, redire cogent: nullam somni & quietis partem capere poteris, atque ade brevi huc redibis.

Opus faciam. Me labore macerabo.

Ingratiis. Invitus, velim nolim, adverbium ex ablativo.

Nihil dicis. Falleris: verum non dicis.

Tandem ego non illa caream, si sit opus, vel totum triduum? *PA.* hui!
Universum triduum? vide quid agas. *PH.* stat sententia.
PA. Di boni quid hoc morbi est? adeone homines immutarier
Ex amore, ut non cognoscas eundem esse? hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis severus quisquam, nec magis continens.
Sed quis hic est, qui huc pergit? at at, hic quidem est parasitus Gnatho
Militis; ducit secum una virginem huic dono, papæ!
Facie honesta: mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo,
Cum meo decrepito hoc Eunucho: hæc superat ipsam Thaidem.

Stat sententia. Deliberatum hoc mihi & certum est.

Virginem. De qua sermo fuit in scena ultima primi actus.

Huic. Thaidi.

Mirum, ni.... Profecto hodie me ludibrio exponam cum meo Eunucho, quando eum adducam ad Thaidem, ita deformis est, & dissimilis isti virgini, quam Gnatho adducit.

Decrepito. Rugoso, veternoso: proprie decrepiti sunt dicti quorum funera crepitu & plangore familia conclamata sunt. *Donat.*

Superat. Forma.

SCE-

SCENA SECUNDA.

GNATO, PARMENO.

Gnatho qui militis parasitus erat, dum ab eo virginem adducit ad Thaidem, incidit in Parmenonem, cum quo jocatur facete.

G. DI immortales homini homo quid præstat? stulto intelligens
Quid interest? hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.
Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc, atque ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.
Video sentum, squalidum, ægrum, pannis, annisque obsitum.
Quid isthuc ornati est, inquam? quoniam miser, quod habui, perdidi: hem
Quo redactus sum! omnes noti me atque amici deserunt.
Hic ego illum contempsi præ me: quid, homo, inquam, ignaviſſime,

Quid præstat.... Quantum alii homines ab aliis discrepant: alii aliis præstantiores sunt! quantum est discriminis inter stultum & prudentem!

Hoc adeo... Cur id putem in caussa est ea res quam narrabo jam.

Conveni. Inveni; offendi.

Loci. Conditionis, generis.

Haud impurum. Ingenuum, non improbum.

Itidem. Ut ego.

Abligurierat. Decoxerat.

Sentum. Horridum; ut sentes & dumi sunt.

Obsitum. Plenum, pannosum, & annosum: ager proprie obsitus dicitur, qui segete refertus est & ad plenum satus.

Ornati. Antique pro ornatus, ornamenti.

Quoniam. Verba sunt illius quem Gnatho convenerat.

Perſonas tranſtuliſſe in Eunuchum ſuam
Ex Græca; ſed eas fabulas factas prius
Latinas ſciſſe ſeſe, id vero pernegat.
Quod ſi perſonis iiſdem uti aliis non licet,
Qui magis licet currentes ſervos ſcribere,
Paraſitum edacem, glorioſum militem,
Puerum ſupponi, falli per ſervum ſenem,
Amare, odiſſe, ſuſpicari? denique
Nullum eſt jam dictum, quod non dictum ſit prius.
Quare æquum eſt vos cognoſcere, atque ignoſcere
Quæ veteres factitarunt, ſi faciunt novi.
Date operam, & cum ſilentio animadvertite,
Ut pernoſcatis, quid ſibi Eunuchus velit.

Suam. Subaudi, comœdiam.

Ex græca. E Colace Menandri.

Facta . . . A Nævio & Plauto, & hinc a ſe ſumptas.

Quod ſi, &c. Si nefas eſt poetis aliis & recentioribus, uti perſonis iiſdem quibus veteres uſi fuerint, inde ſequeretur nefas quoque fore deſcribere ſervulos curſitantes, &c. quod omnibus tamen conceditur & quod omnes æque faciunt, ac impune.

Cognoſcere. Rem totam prudenter & benigne interpretari atque expendere.

Date operam. Hoc agite: adeſte animis.

Velit. Quid agatur in hac fabula.

ACTUS

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PHÆDRIA, PARMENO.

Phædria excluſus olim a Thaide, nunc ab ea revocatus, deliberat, quæritque cum Parmenone, num adire ad eam debeat.

PH. QUid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem,
Cum accerſor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti mulierum contumelias?
Excluſit: revocat; redeam? non, ſi me obſecret.
PA. Siquidem hercle poſſis, nil prius, neque fortius;
Verum ſi incipies, neque pertendes naviter:
Atque, ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam venies, judicans
Te amare, & ferre non poſſe: actum eſt; ilicet,
Periiſti: eludet, ubi te victum ſenſerit.

Eam. An redibo ad Thaidem.

Non ſi ... Non ibo, quamvis me obſecret.

Nil prius. Nihil eſt melius, nihil antiquius debet eſſe.

Pertendes. Conſtans eris in propoſito.

Naviter. Strenue: a navi quæ recta via celerrime defertur.

Atque ubi, &c. Sententia eſt, ſi non perſeverabis fortiter, ſi venies ultro ad eam, ubi durare & pati ejus abſentiam non poteris, cum ipſa te non expetet, antequam te vocet; nempe antequam pacem cum ipſa feceris, antequam redieris cum illa in gratiam; ſi adibis ad eam tum, indicans ipſi, te abſentiam ejus ferre non poſſe: actum eſt, &c.

Ce-

PH. Proin tu, dum eſt tempus, etiam atque etiam cogita.
PA. Here, quæ res in ſe neque conſilium, neque modum
Habet ullum, eam conſilio regere non potes.
In amore hæc omnia inſunt vitia, injuriæ,
Suſpicione, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum: incerta hæc ſi tu poſtules,
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Egone illam? quæ illum? quæ me? ſine modo:
Mori me malim .... ſentiet qui vir ſiem.
Hæc verba una me hercule falſa lacrimula,
Quam, oculos terendo miſere, vix vi expreſſerit,
Reſtinguet: & te ultro accuſabit, & dabis ei
Ultro ſupplicium. *PH.* o indignum facinus! nunc ego &
Illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum ſentio:
Et tædet, & amore ardeo: & prudens, ſciens,
Vivus, videnſque pereo; nec, quid agam, ſcio,
PA. Quid agas? niſi ut te redimas captum quam queas

Cogita. Juva me tuo conſilio, cogita quid mihi ſit opus.
Induciæ. Pax in paucos dies.
Certa facere. Stabilia reddere.
Agas. Promoveas.
Egone. Subaudi, adibo?
Quæ illum. Mihi prætulit.
Quæ me. Non admiſit.
Sine modo. Patere, me indulgere modo ultioni & iracundiæ: verba ſunt Phædriæ indignantis, quæ recitat Parmeno.
Dabis ſupplicium. Dabis illi pœnas, ab ea vapulabis; & fruetur dolore tuo.
Redimas captum. In liber-

Minimo; ſi nequeas paullulo : at quanti queas :
Et ne te afflictes. *PH.* Itane ſuades? *PA.* ſi ſapis,
Neque præterquam quas ipſe amor moleſtias
Habet, addas : & illas quas habet, recte feras.
Sed ipſa egreditur noſtri fundi calamitas,
Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

bertatem afferas.

Minimo. Subaudi; pretio.

Paullulo. Si non potes minimo, certe exiguo aliquo, certe quantolibet poteris, parvo vel magno.

Calamitas. Pernicies : proprie calamitatem ruſtici appellant grandinem, quia calamos, ſeu culmos ſegetum comminuat.

Intercipit. Eam pecuniam quam e fundo percipere deberemus, antequam ad nos pervenit, arripit.

SCENA SECUNDA.

THAIS, PHÆDRIA, PARMENO.

Excuſat ſe apud Phædriam Thais quod eum excluſerit : impetrat ab eo ut militem apud ſe biduum eſſe patiatur.

T. MIſeram me? vereor ne illud gravius Phædria
Tulerit, neve aliorſum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromiſſus non eſt. *PH.* totus, Parmeno,
Tremo horreoque, poſtquam aſpexi hanc. *PA.* bono animo es,
Accede ad ignem hunc, jam caleſces plus ſatis.

Aliorſum. Aliam in partem, nempe in contumeliam, quod ego neceſſitate adducta feci.

Bono. Euge, perge ſane..

Ignem. Thaidem, cujus amor igni ſimilis eſt.

Tu-

T. Quis hic loquitur? hem, tune eras hic, n' Phædria?
Quid hic stabas? cur non recta introibas? *PA.* ceterum
De exclusione verbum nullum. *T.* quid taces?
PH. Sane quia vero hæ mihi patent semper fores,
Aut quia sum apud te primus. *T.* missa ist hæc face.
PH. Quid missa? o Thais, Thais utinam esset mihi
Pars æqua amoris tecum; ac pariter fieret, ut
Aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet:
Aut ego isthuc abs te factum nihili penderem.
T. At obsecro ne crucia te, mi Phædria.
Non pol, quo quemquam plus amem, aut plus diligam,
Eo feci: sed ita erat res; faciundum fuit.
PA. Credo, ut fit, misera præ amore exclusisti hunc foras.
T. Sicne ais Parmeno? age; sed, huc qua gratia
Te accersi jussi, ausculta. *PH.* fiat. *T.* dic mihi

Tune eras? Qui loquebaris.

Nullum. Subaudi, facit: hoc tacitus dicit.

Sane quia... Ironia: nimirum facio perperam qui non ingrediar, quia tua domus mihi semper patet, &c. Nihil est quod taceam & sim tristis, tua enim domus semper mihi est aperta. Id est, merito iraicor & taceo, quia tu me excludis.

Primus. Præcipuus.

Missa isthæc face. Omitte, obliviscere.

Pars æquâ. Utinam amori meo ex æquo responderes; amorem & dolorem ex æquo mecum partireris.

Ac pariter, &c. Ut tam tibi doleret ea quæ mihi a te fit injuria, quam mihi dolet: aut eam, perinde ac tu, possem nihili facere.

Plus autem, &c. Amare plus quidam est quam diligere: amamus veluti voluntate, diligimus judicio.

Ita erat res. Ita rerum mearum ratio necessitasque poscebat.

Age. Esto, sane, perge.

Per-

Hoc primum: potin' eſt hic tacere? *PA.* egone? optime.
Verum, heus tu, lege hac tibi meam adſtringe fidem;
Quæ vera audivi, taceo, & contineo optime:
Sin falſum, aut vanum, aut fictum eſt, continuo palam eſt.
Plenus rimarum ſum, hac, atque illac perfluo.
Proin taceri ſi vis, vera dicito.
T. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
PA. Poteſt taceri hoc. *T.* ibi tum matri parvulam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. *PH.* civemne? *T.* arbitror;
Certum non ſcimus; matris nomen, & patris
Dicebat ipſa: patriam, & ſigna cetera
Neque ſciebat, neque per ætatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat; e prædonibus,
Unde emerat, ſe audiſſe, abreptam e Sunio,
Mater ubi accepit, cœpit ſtudioſe omnia
Docere, educare, ita ut ſi eſſet filia.
Sororem plerique eſſe credebant meam.
Ego cum illo, quocum uno tum verſabar hoſpite,
Abii huc; qui mihi reliquit hæc, quæ habeo, omnia.
PA. Utrumque hoc falſum eſt, efflues. *T.* qui iſthuc? *PA.* quia

Perfluo. Ut dolium rimoſum.
Samia. Samos eſt Inſula maris Ægei.
Rhodi. Rhodus eſt inſula e regione Ciliciæ, ad meridiem Aſiæ minoris.
Ipſa. Parvula puella.
Potuerat... Scire patriam ſuam, &c.
Unde. A quibus.
Sunio. Eſt Atticæ promontorium.
Mater. Mea.
Ubi accepit. Ubi audivit eam abductam e Sunio fuiſſe; vel, ubi eam domi ſuæ habuit.
Hoſpite. Mercatore Athenienſi.
Huc. E Rhodo Athenas.
Efflues. Non tacebitur.

Cum

Neque tu cum uno tantum eras, neque ſolus hæc dedit :
Nam hic quoque bonam, magnamque partem ad te attulit.
T. Ita eſt : ſed ſine me pervenire, quo volo.
Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam eſt profectus : te interea loci
Cognovi : tute ſcis, poſt illa quam intimum
Habeam te, & mea conſilia ut tibi credam omnia.
PH. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. *PA.* oh! dudium ne id eſt ?
T. Hoc agite, amabo : mater mea illic mortua eſt
Nuper : ejus frater aliquantum ad rem eſt avidiore
Is ubi hanc forma videt honeſta virginem,
Et fidibus ſcire, pretium ſperans, illico
Producit, vendit : forte fortuna adfuit
Hic meus amicus, emit eam dono mihi.
Imprudens harum rerum, ignaruſque omnium,
Is venit : poſtquam ſenſit me tecum quoque
Verſari, fingit cauſſas, ne det, ſedulo :
Ait, ſi fidem habeat ſe iri præpoſitum tibi

Cum uno. Militem enim Thraſonem etiam admiſiſti, atque adeo non fuiſti tantum cum uno.

Hic. Phædria.

Pervenire. Narrando ſine ut abſolvam.

Cariam. Regio eſt Minoris Aſiæ contra Rhodum.

Interea loci. Interim.

Tacebit. Quia falſum eſt.

Hoc agite. Attendite, ne me interpellate.

Illic. In Rhodo.

Ad rem avidior. Plus æquo avarus.

Scire. Subaudi ; canere.

Producit. Venalem proponit.

Hic. Miles Thraſo dictus.

Imprudens, &c. Neſciens unde abrepta foret, cujus eſſet...

Venit. Ex Rhodo Athenas nunc advenit.

Me det. Ne mihi det hanc puellam quam mihi emit.

Sedulo. Dedita opera cauſſas varias comminiſcitur.

Si fidem habeat. Si conſta-

Apud me, ac non id metuat, ne, ubi acceperim,
Sese relinquam: velle se illam mihi dare:
Verum id vereri: sed ego quantum suspicor,
Ad virginem animum adjecit. *PH.* etiamne amplius?
T. Nil: nam quæsivi. Nunc ego eam, mi Phædria,
Multæ sunt causæ, quamobrem cupio abducere.
Primum, quod soror est dicta: præterea, ut suis
Restituam, ac reddam: sola sum, habeo hic neminem,
Neque amicum, neque cognatum: quamobrem Phædria
Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.
Id amabo, adjuta me, quod id fiat facilius.
Sine illum priores partes hosce aliquot dies
Apud me habere: nihil respondes? *PH.* Pessuma!
Egone quidquam cum istis factis tibi respondeam?
PA. Eu noster, laudo, tandem perdoluit: vir es:

stare ipsi possit, si habeat unde possit credere futurum ut se tibi præponam, ac si non metuat ne se relinquam ubi ab ipso puellam acceperim, &c.

Vereri. Ne se deseram, ne te sibi præponam.

Animum adjecit. Illam sibi expetit.

Etiamne. Nihilne est præterea?

Abducere. Habere a milite, facere ut illam mihi det.

Dicta. Mea soror putata est.

Beneficio. Nempe affines puellæ & parentes, quibus eam restituere cupio, mihi volo devincere.

Eu. sic recte, o mi here; præclare dicis.

Perdoluit. Tandem aliquando ægre fert acceptas a Thaïde injurias. Hoc demissa voce dicit; mox vocem tollens, vir es, inquit, nempe facis quod virum fortem decet.

Quer-

PH. At ego nesciebam quorsum tu ires. Parvula
Hinc est abrepta; eduxit mater pro sua,
Soror dicta est, cupio abducere, ut reddam suis,
Nempe omnia hæc nunc verba huc redeunt denique,
Ego excludor, ille recipitur: qua gratia?
Nisi illum plus amas, quam me, & istam nunc times,
Quæ advecta est, ne illum talem præcipiat tibi?
T. Egone id timeo? *PH.* quid te ergo aliud sollicitat? cedo.
Num solus ille dona dat? nunc ubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier,
Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Æthiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quæsivi? Eunuchum porro dixti velle te,
Quia solæ utuntur his reginæ: repperi:
Heri minis viginti pro ambobus dedi:
Tamen contemptus abs te, hæc habui in memoria:
Ob hæc facta abs te spernor. *T.* quid istuc Phædria?
Quamquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id fieri posse maxime: verumtamen,
Potius quam te inimicum habeam, faciam, ut jusseris.

Quorsum tu ires? Quo pergeres narrando: quid tibi velles; quo spectares.

Et istam. Et hoc times ne ista puella plus ab eo quam tu diligatur, & sic tibi miles eripiatur, ideoque vis illam suis reddere.

Nunc ubi. Nunquid alicubi.

Claudier. Deesse, occludi.

His. Ejusmodi mancipiis ex Africa petitis.

Reginæ. Matronæ divites.

Minas. Vide Adelphos act. 2. sc. 1.

Hæc habui.... Memini hæc a te peti, & ut emerem cogitavi.

Quid istuc. Itane dicis, an ita sentis?

Hac re. Si dies aliquot hinc absis.

Quam

PH. Utinam isthuc verbum ex animo ac vere diceres!
Potius quam te inimicum habeam: si isthuc crederem
Sincere dici, quidvis possem perpeti.
PA. Labascit, victus uno verbo: quam cito!
T. Ego non ex animo misera dico? quam joco
Rem voluisti a me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem ut concedas solum. *PH.* Si quidem biduum .....
Verum ne fiant isti viginti dies.
T. Profecto non plus biduum, aut. *PH.* aut? nihil moror.
T. Non fiet: hoc modo sine te uxorem. *PH.* scilicet
Faciundum est, quod vis. *T.* merito te amo. *PH.* bene facis:
Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum:
Ita facere certum est, mos gerundus est Thaidi.
Tu, Parmeno, huc fac illi adducantur. *PA.* maxume.
PH. In hoc biduum Thais vale. *T.* mi Phædria,
Et tu, nunquid vis aliud? *PH.* Egone quid velim?

Quam joco . . . Quid a me petisti etiam per jocum quid tibi dederim?

Si quidem biduum . . Subaudi, tantum petis laciam, concedam.

Ne fiant . . . Subaudi, cave, vel ea lege concedo ne pro isto biduo fiant dies 20.

Aut . Subaudi, triduum . . .

Aut? nihil moror . Quid sibi vult istud aut? an plures dies petis? at ego nihil tibi more majoris concedo.

Non fiet. Non excurram ultra triduum.

Adducantur. Eunuchus & ancilla æthiops.

Et tu . Subaudi, vale?

Quid velim? Roga sine me quid velim? nempe ut brevi te revisam.

T. Me miseram, forsitan hic mihi parvam habeat fidem,
Atque ex aliarum ingeniis nunc me judicet.
Ego pol, quæ mihi sum conscia, hoc certo scio,
Neque me finxisse falsi quidquam, neque meo
Cordi esse quemquam cariorem hoc Phædria:
Et quidquid hujus feci, caussa virginis
Feci: nam me ejus spero fratrem propemodum
Jam reperisse, adolescentem adeo nobilem:
Et is hodie venturum ad me constituit domum:
Concedam hinc intro, atque expectabo, dum venit.

Me judicet. Me similem putet aliarum meretricum, quarum ingenia sunt ad mentiendum, & fallendum composita.
Hujus. In ea re, quidquid istius rei feci.
Adeo. Profecto.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

PHÆDRIA, PARMENO.

Phædria rus abiturus, mancipia jubet ad Thaidem a Parmenone deduci.

PH. FAc ita ut jussi, deducantur isti. PA. faciam. PH. at diligenter. PA. Fiet. PH. at mature. PA. fiet. PH. satne hoc mandatum est tibi?

Isti. Eunuchus scilicet & Æthiopissa.

Uti-

PA. Ah! rogitare? quasi difficile sit: utinam
Tam aliquid invenire facile possis, Phædria,
Quam hoc peribit! *PH.* ego quoque una pereo, quod mihi est carius.
Ne isthuc tam iniquo patiare animo. *PA.* minime: quin
Effectum dabo: sed nunquid aliud imperas?
PH. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris, &
Istum æmulum, quod poteris, ab ea pellito.
PA. Meminî, tametsi nullus moneas. *PH.* ego rus ibo, atque ibi manebo.
PA. Censeo. *PH.* sed heus tu. *PA.* quid vis? *PH.* censen' posse me obstirmare, &
Perpeti, ne redeam interea? *PA.* tene? non hercle arbitror.
Nam aut jam revertere, aut mox noctu te adigent horsum insomnia.
PH. Opus faciam, ut defatiger usque, ingratiis ut dormiam.
PA. Vigilabis lassus; hoc plus facies. *PH.* abisis, nihil dicis, Parmeno.
Ejiciunda hercle hæc mollities animi, nimis me indulgeo.

Utinam, &c. Utinam tam facile aliquid boni invenias, lucri aliquid facias, quam facile & certo hoc perdet, quam facile hæc tibi mancipia peribunt, hic sumptus.

Quod mihi est carius. Pro, qui mihi sum carior, nempe istis mancipiis . . .

Ne isthuc. Quo minus debes ægre ferre, si mancipia & pecunia mihi pereant.

Minime. Neutiquam istud fero iniquo animo: pereas sane tu & tua munera, si quidem ita vis: efficiam quod jubes.

Quod poteris. Quod, quantum poteris.

Istum. Militem.

Nullus. Non.

Horsum. Huc, in urbem adigent, redire cogent: nullam somni & quietis partem capere poteris, atque ade brevi huc redibis.

Opus faciam. Me labore macerabo.

Ingratiis. Invitus, velim nolim, adverbium ex ablativo.

Nihil dicis. Falleris; verum non dicis.

Tandem ego non illa caream, ſi ſit opus, vel totum triduum? *PA.* hui!
Univerſum triduum? vide quid agas. *PH.* ſtat ſententia.
PA. Di boni quid hoc morbi eſt? adeone homines immutarier
Ex amore, ut non cognoſcas eundem eſſe? hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis ſeverus quiſquam, nec magis continens.
Sed quis hic eſt, qui huc pergit? at at, hic quidem eſt parafitus Gnatho
Militis; ducit ſecum una virginem huic dono, papæ!
Facie honeſta: mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo,
Cum meo decrepito hoc Eunucho: hæc ſuperat ipſam Thaidem.

Stat ſententia. Deliberatum hoc mihi & certum eſt.

Virginem. De qua ſermo fuit in ſcena ultima primi actus.

Huic. Thaidi.

Mirum, ni.... Profecto hodie me ludibrio exponam cum meo Eunucho, quando eum adducam ad Thaidem, ita deformis eſt, & diſſimilis iſti virgini, quam Gnatho adducit.

Decrepito. Rugoſo, veternoſo; proprie decrepiti ſunt dicti quorum funera crepitu & plangore familia conclamata ſunt. *Donat.*

Superat. Forma.

SCE-

SCENA SECUNDA.

GNATO, PARMENO.

Gnatho qui militis paraſitus erat, dum ab eo virginem adducit ad Thaidem, incidit in Parmenonem, cum quo jocatur facete.

G. DI immortales homini homo quid præſtat? ſtulto intelligens
Quid intereſt? hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.
Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc, atque ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.
Video ſentum, ſqualidum, ægrum, pannis, annisque obſitum.
Quid iſthuc ornati eſt, inquam? quoniam miſer, quod habui, perdidi: hem
Quo redactus ſum! omnes noti me atque amici deſerunt.
Hic ego illum contempſi præ me: quid, homo, inquam, ignaviſſime,

Quid præſtat.... Quantum alii homines ab aliis diſcrepant: alii aliis præſtantiores ſunt! quantum eſt diſcriminis inter ſtultum & prudentem!

Hoc adeo... Cur id putem in cauſſa eſt ea res quam narrabo jam.

Conveni. Inveni, offendi.

Loci. Conditionis, generis.

Haud impurum. Ingenuum, non improbum.

Itidem. Ut ego.

Abligurierat. Decoxerat.

Sentum. Horridum; ut ſentes & dumi ſunt.

Obſitum. Plenum, pannoſum, & annoſum: ager proprie obſitus dicitur, qui ſegete refertus eſt & ad plenum ſatus.

Ornati. Antique pro ornatus, ornamenti.

Quoniam. Verba ſunt illius quem Gnatho convenerat.

Itan' parasti te, ut spes nulla reliqua in te siet tibi?
Simul consilium cum re amisti? viden' me ex eodem ortum loco?
Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis?
Omnia habeo, neque quidquam habeo: nihil cum est, nihil desit tamen.
At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati
Possum. Quid? tu his rebus credis fieri? tota erras via.
Olim isti fuit generi quondam quæstus apud sæclum prius;
Hoc novum est aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam:
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt: hos consector; hisce ego non paro me ut rideant,
Sed his ultro arrideo, & eorum ingenia admiror simul:
Quidquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque:
Negat quis, nego; ait, aio: postremo imperavi egomet mihi

Parasti te. Vitam instituisti.

Cum re. Cum opibus.

Amisti. Amisisti.

Habitudo. Firmitas, vigor cutis & carnis ἕξις.

Omnia habeo. Nihil mihi deest, etsi nihil habeam; nihil mihi fortuna dedit, omnia industria.

At ego . . . Voces alterius.

Quid tu. Loquitur Gnato. Quid? tune putas nisi plagis emi felicitatem istam non posse?

Credis fieri. Subaudi, ut dives sim, & bene habitus.

Isti generi. Scurrarum, & plagipatidarum: olim quæstum faciebant parasiti perferendis plagis, at nunc &c.

Hoc, &c. Ars quam exerceo, nempe adulandi & assentandi, est nova, & instar aucupii: ut enim aves es, ita laudibus stulti rapiuntur.

Primos omnium rerum. In omnibus rebus præstantissimos, omni laude ornatissimos.

Paro. Præbeo.

Sci-

Omnia aſſentari : is quæſtus nunc eſt multo uberrimus.
P. Scitum hercle hominem ! hic homines prorſus ex ſtultis inſanos facit.
G. Dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi venimus,
Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, aucupes ;
Quibus & re ſalva, & perdita profueram, & proſum ſæpe :
Salutant, ad cœnam vocant, adventum gratulantur.
Ille ubi miſer famelicus videt me eſſe in tantum honorem,
Et tam facile victum quærere, ibi homo cœpit me obſecrare,
Ut ſibi liceret diſcere id de me : ſectari juſſi.
Si eſt, ut tanquam philoſophorum habent diſciplinæ ex ipſis
Vocabula, paraſiti item ut Gnathonici vocentur.
P. Viden' otium, & cibus quid faciat alienus ?
G. ſed ego ceſſo

Scitum. Lepidum & ingenioſum !

Dum hæc loquitur. Ego & iſte mei loci atque ordinis.

Interea loci. Ea vox, *loci*, abundat, idemque eſt ac *interea temporis*.

Macellum. A mactandis pecoribus dictum.

Cupedinarii. Qui eſculenta & poculenta vendunt.

Cetarii. Qui cete, id eſt, magnos piſces vendunt.

Lanii. Qui laniant pecora, qui carnes diſtrahunt.

Fartores. Qui intrita & farcimina faciunt.

Re ſalva. Cum opibus florerem, antequam bona patria dilapidaſſem, cum de meo impenderem.

Et perdita. Cum de alieno paſcor & expendo. *Donat.*

In tantum honorem. Pro, in tanto honore: ita Cicero dixit, *eſſe in poteſtatem*, pro, in poteſtate.

Sectari. Se mihi dedere comitem ac diſcipulum.

Si eſt ut.. Si fieri poteſt, ut paraſiti aliquando appellentur a meo nomine Gnatho-

Ad Thaidem hanc deducere, & rogitare ad cœnam ut veniat ;
Sed Parmenonem ante oſtium Thaidis triſtem video.
Rivalis ſervum : ſalva res eſt, nimirum hic homines frigent.
Nebulonem hunc certum eſt ludere. *P.* hice hoc munere arbitrantur
Suam Thaidem eſſe. *G.* plurima ſalute Parmenonem
Summum ſuum impertit Gnatho : quid agitur ? *P.* ſtatur. *G.* video.
Nunquidnam hic, quod nolis, vides ? *P.* te. *G.* credo, at nunquid aliud ?
P. Qui dum ? *G.* quia triſtis es. *P.* nihil equidem. *G.* ne ſis : ſed quid videtur
Hoc tibi mancipium ? *P.* non malum hercle. *G.* uro hominem. *P.* ut falſus animi eſt !
G. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare eſſe ? *P.* hoc nunc dicis ;
Ejectos hinc nos : OMNIUM RERUM HEUS VICISSITUDO EST.
G. Sex ego te totos Parmeno hos menſes quietum reddam ;

thonici, tanquam ſectæ Philoſophorum ſingulæ ab ipſis philoſophis earum auctoribus habent nomina : Socratici a Socrate, Platonici a Platone, &c.

Rivalis. Phædriæ.

Salva res eſt... Quia triſtis, quia excluſus, & ante oſtium ſtat Parmeno. Bene res habet ; nihil mihi ab hoc rivali timendum.

Homines. Phædria & Parmeno.

Frigent... Male rem gerunt, non admittuntur.

Hice. Illi : Thraſo, Gnatho.

Summum ſuum. Subaudi, amicum.

Hoc munere. Virgine quam Thaidi ferunt muneri.

Suam. Sibi devinciendam & demerendam.

Qui dum ? Quorſum hoc petis ?

Ne ſis. Subaudi, triſtis.

Uro. Ango, crucio.

Falſus animi. Ut, *felix animi, fortunatus laborum*, apud Virgilium. Quam longe errat ! ut fallitur !

Hoc nunc dicis. Video quid velis : gloriaris nos a Thaide contemni, ab ea ejici.

Vicissitudo. Ut ejicimur mo-

Ne ſurſum, deorſum curſites; neve uſque ad lucem vigiles:
Ecquid beo te? *P.* mene? papæ! *G.* ſic ſoleo amicos. *P.* laudo.
G. Detineo te fortaſſe: tu profectus alio fueras.
P. Nuſquam. *G.* tu igitur paullum da mihi operæ, fac ut admittar
Ad illam. *P.* age modo, nunc tibi patent fores hæ, quia iſtam ducis.
G. Num quem evocari hinc vis foras? *P.* ſine biduum hoc prætereat.
Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,
Næ tu iſtas, (ſaxo) calcibus ſæpe inſultabis fruſtra.
G. Etiam tu hic ſtas, Parmeno? eho numnam tu hic relictus cuſtos?
Nequis forte internuntius clam a milite ad iſtam curſitet?
P. Facete dictum! mira vero, militi, quæ placeant.
Sed video herilem filium minorem huc advenire.
Miror, quid ex Piræo abierit: nam ibi cuſtos publice eſt nunc:
Non temere eſt, & properans venit: neſcio quid circumſpectat.

modo, ejicieris poſtea.

Beo. Beatum facio.

Detineo te &c. Vult exprimere, inquit *Donat.* confeſſionem, quod ad Thaidem venerit & intrare non poſſit.

Paullum da operæ. Adjuva me.

Iſtam. Virginem, Pamphilam.

Inſultabis. Pulſabis pedibus.

Internuntius. Qui ambarum partium mandata perfert.

Mira vero. Mira ſunt quæ dicis, & ejuſdem ut militi Thraſoni, cuius paraſitus es, merito placeant.

Filium. Chæream.

Piræo. Piræum Athenarum portus fuit: ibi adverſus prædonum & pyratarum incurſus excubabat juventus Attica.

Temere. Sine cauſſa graviori.

SCENA TERTIA.

CHÆREA, PARMENO.

Vix Gnatho domum Thaidis erat ingressus, cum Phædriæ frater Chærea, qui virginem a Gnathone deductam in portu conspexerat, & eam secutus fuerat, eo accedit; init rationem cum Parmenone, quomodo eandem uxorem habere sibi possit.

C. OCcidi:
Neque virgo est usquam, neque ego, qui illam e conspectu amiserim meo.
Ubi quæram? ubi investigem? quem perconter? quam insistam viam?
Incertus sum: una hæc spes est, ubi ubi est, diu celari non potest.
P. Hic vero est, qui si occæperit amare, ludum jocumque
Dices fuisse illum alterum, præ ut hujus rabies, quæ dabit.
C. Ut illum Di Deæque senium perdant, qui me hodie remoratus est;
Meque adeo, qui restiterim, tum autem, qui illum non flocci fecerim.
Sed eccum Parmenonem: salve. P. quid tu es tristis? quidve es alacris?

Neque ego. Subaudi, sum usquam; id est, perii: ubi sim nescio.

Ubi ubi est. Ubicumque sit.

Hic vero est. Agnosco, en ipse est Chærea, qui si amare cœperit, ita se geret, ut credi possit jocatus tantum esse Phædria, si cum illo comparetur, tantus erit illius furor & amentia.

Illum alterum. Phædriam.

Præ ut. Præ illis, quæ hujus furor admittet, flagitiis.

Senium. Senem.

Meque adeo. Subaudi, perdant.

Flocci fecerim. Qui aliquo honore, aditu, colloquio dignum hunc senem judicarim. *Floccus*, est lanæ particula quæ ex vellere evolat, res pretii levis.

Quidve alacris... Modo læ-

Unde is? *C.* ego neſcio hercule, neque unde eam, neque quorſum eam;
Ita prorſum oblitus ſum mei.
P. Qui quæſo? *C.* nunc, Parmeno, te oſtendes qui vir ſies.
Scis te mihi ſæpe pollicitum eſſe; Chærea, uxorem inveni,
Modo, quam velis: in ea re utilitatem ego faciam ut cognoſcas meam:
Cum in cellulam ad te patris penum omne congerebam clanculum.
P. Age inepte. *C.* hercle hoc factum eſt: facſis nunc promiſſa appareant,
Sive adeo digna res eſt, ubi tu nervos intendas tuos.
Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum, quas matres ſtudent
Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut graciles ſient.
Si qua eſt habitior paullo, pugilem eſſe ajunt, deducunt cibum,

lætitiam, modo triſtitiam vultu præferebat Chærea.

Unde is? Unde venis?

Quorſum. Quo.

Inveni. Scis quid mihi ſæpe ſis pollicitus: dicebas mihi, quære & inveni uxorem, &c. modo illam optes, quæcumque illa ſit, faciam ut ducas.

Utilitatem meam. Quam tibi ſim utilis.

Cum in. Hæc mihi promittebas, cum ego ad te afferebam cibos e menſa paterna ſurreptos.

Cellulam. Servi in cellulis habitabant.

Penum. Opſonia.

Age inepte. Næ tu ineptus es, qui hæc mihi commemores.

Hoc factum eſt. Inveni uxorem, qualem optabam.

Facſis. Sis, pro, ſi vis, particula blandientis, ut, *ſodes*, *amabo*: legitur &, *faxis*.

Sive adeo.... Da mihi operam, vel quia promiſiſti, in opus confer tua promiſſa; vel quia res digna eſt in qua induſtriam omnem ponas.

Vincto. Anguſto, adſtricto.

Habitior. Pinguior & obeſior.

Pugilem. Similem pugilibus & Athletis, qui erant valentes & robuſti.

Deducunt. Subtrahunt: jejunio illas exſiccas reddunt.

Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas:
P. Quid? virgo cuja est? *C.* nescio hercle. *P.* unde est? *C.* tantundem. *P.* ubi habitat?
C. Ne id quidem. *P.* ubi vidisti? *C.* in via. *P.* qua ratione amisti? *C.* id equidem
Adveniens mecum stomachabar modo; neque
Quemquam esse ego hominem arbitror, cui magis bonæ
Felicitates omnes adversæ sient.
Quid hoc est sceleris? perii. *P.* quid factum est? *C.* rogas?
Patri cognatum, atque æqualem. Archidemidem
Nostine? *P.* quidni? *C.* is dum sequor hanc, sit mihi obviam.
P. Incommode hercle. *C.* immo enim vero infeliciter:
Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.
Illum, liquet mihi dejerare, his mensibus
Sex, vel septem prorsum non vidisse proxumis:
Nisi nunc, cum minime vellem, minimeque opus fuit.
Eho, nonne hoc monstri simile est? quid ais? *P.* maxume.

Bona: Pinguis, bene habita.

Natura. Naturalis constitutio.

Curatura. Studio, cultura: cura mentis est; curatio, medicinæ; curatura, diligentiæ. *Donat.*

Juncea. Graciles & exiles instar juncorum.

Cuja. Ad quem pertinet, cujus in potestate est? cujus est filia?

Unde. Oriunda: cedo ejus patriam.

Tantundem. Id est, nihil scio, æque ignoro eius patriam ac parentes.

Quid hoc ... Scelus hic pro infortunio ponitur.

Æqualem. Ejusdem ætatis.

Quidni? Novi: cur non nosiem?

Alia. Malo isto leviora incommoda vocanda sunt: hoc tatis gravi vocabulo appellari non potest.

Liquet. Ordo est: liquidum est mihi, posse me jura-

C. Continuo accurrit ad me ; quam longe quidem ,
Incurvus, tremulus, labiis demiſſis , gemens.
Heus , hens , tibi dico , Chærea , inquit , reſtiti.
Scin' quid ego te volebam ? dic : cras eſt mihi
Judicium, quid tum ? ut diligenter nunties
Patri, advocatus mane mihi eſſe ut meminerit.
Dum hæc dicit , abiit hora , rogo nunquid velit.
Recte, inquit, abeo : cum huc reſpicio ad virginem ,
Illa ſeſe interea commodum huc advorterat
In hanc noſtram plateam. *P.* mirum , ni hanc dicit, modo
Huic quæ data eſt dono. *C.* huc cum advenio , nulla erat.
P. Comites ſecuti ſcilicet ſunt virginem ?
C. Verum, paraſitus cum ancilla. *P.* ipſa eſt , ilicet :
Deſine ; jam conclamatum eſt. *C.* alias res agis.

rare certo, me illum non vidiſſe, &c.

Quam longe quidem. Admodum longe, eminus.

Dico tibi. Te appello : volo te paucis.

Scin'. Verba moleſti hujus interpellatoris.

Dic. Chæreæ vox.

Eſt mihi judicium. Mea cauſſa apud judices agitur.

Advocatus. Non is tantum erat qui cauſſam perorabat, ſed quilibet etiam qui præſentia ſua & amicitiæ ſignificatione, auctoritate & gratia reo favebat, eique patrocinabatur.

Recte. Nihil aliud.

Advorterat. In hanc ſe viam verterat, verſus ædes Thaidis.

Huic. Thaidi.

Data. A milite.

Nulla erat. Non apparuit, evanuit ex oculis.

Verum. Ita eſt.

Ilicet. Hæc particula clauſulam rei notat & finem : ea judices e judicio aut conſilio dimittebantur, quaſi, *ire licet* : licet diſcedere : tuum negotium, inquit Parmeno, tranſactum eſt, quieſce ; parce plura.

Conclamatum. Vox proprie funebris. *Conclamata funera* dicuntur, cum concepris vocibus efferuntur ad rogum ;

P. Iſthuc ago quidem. *C.* noſtin', quæ ſit, dic mihi, aut
Vidiſtin'? *P.* vidi, novi; ſcio, quo abducta ſit.
C. O Parmeno mi, noſtine? *P.* novi. *C.* & ſcis, ubi ſiet?
P. Huc deducta eſt ad Thaidem, ei dono data eſt.
C. Quis is eſt tam potens cum tanto munere hoc? *P.* miles Thraſo,
Phædriæ rivalis. *C.* duras fratris partes prædicas.
P. Immo, ſi ſcias quod donum huic dono contra comparet,
Tum magis id dicas. *C.* quidnam quæſo hercle? *P.* Eunuchum. *C.* illumne obſecro
Inhoneſtum hominem, quem mercatus eſt here?
P. Iſthunc ipſum. *C.* homo quatietur certe cum dono foras;
Sed iſtam Thaidem non ſcivi nobis vicinam. *P.* haud diu eſt.
C. Obſecro hercle, Parmeno, fac ut dicis, *P.* faciam ſedulo, ac
Dabo operam, adjuvabo: nunquid me aliud vis? *C.* quo nunc is? *P.* domum,

gum: itaque ſenſus eſt: periit, miſer eſt Chærea, deſperata ejus ſalus eſt; quod Parmeno cum diceret minus clare, ſubjicit Chærea, eum non attendere.

Alias res agis. Non es animo præſenti & attento.

Iſthuc ago. Immo attendo, & in re tua totus ſum.

Duras partes. Dura eſt fratris conditio, qui æmulum tantum habeat: metaphora ſumitur ab actoribus ſcenicis, qui partes in comœdia ſuas agunt, eaſque primas, ſecundas, &c.

Immo... Atqui longe deteriorem eſſe fratris tui conditionem judicabis, ubi cognoveris quale donum ipſe comparet mittendum Thaidi & huic militis dono opponendum.

Inhoneſtum. Turpem, olidum.

Here. Herî.

Homo. Phædria.

Quatietur. Expelletur, excutietur.

Diu. Dudum.

Il-

Ut mancipia hæc, ita ut juſſis frater, deducam ad Thaidem.

C. O fortunatum iſtum Eunuchum, qui quidem in hanc detur domum!

P. Quid, ſi nunc tute fortunatus fias? C. quare, Parmeno?

Reſponde. P. capias tu illius veſtem. C. veſtem? quid tum poſtea?

Pro illo te ducam. C. audio. P. te eſſe illum dicam. C. intelligo.

P. Quandoquidem illarum neque quiſquam te novit, neque ſcit qui ſies:

Præterea forma, ætas ipſa eſt, facile ut pro Eunucho probes.

C. Dixti pulchre: nunquam vidi melius conſilium dari.

Age eamus intro: nunc jam orna me; abduc, duc, quantum potes.

P. Quid agis? jocabar equidem. C. garris? P. perii: quid ego egi miſer?

Quo trudis? pertuleris iam tu me? tibi equidem dico, mane.

C. Eamus. P. pergin'? C. certum eſt: P. vide ne nimium callidum hoc ſit modo.

C. Non eſt profecto: ſine. P. at enim iſthæc in me cuderur faba: ah,

Flagitium, facinus! C. an id flagitium eſt, ſi in eam nunc domum.

Illius veſtem. Eunuchi.

Ætas ipſa eſt. Eadem inte atque in Eunucho.

Probes. Te illum eſſe perſuadeas.

Orna. Appone mihi Eunuchi veſtes & ornamenta.

Quo trudis? Quo me adigis?

Pertuleris. Iſthoc me quidem modo plane everteris & perdideris: nempe, ſi reſcitum fuerit me hujus auctorem conſilii fuiſſe: *plauſtrum perculiſſe* dicuntur, qui negotium aliquod perturbant & evertunt.

Callidum. Ne iſta fraus nobis periculoſa ſit: ne iſtud ſit nimis præceps & audax facinus: ita Cicero in Off. periculoſa & callida conſilia vocat.

Iſthæc in me cuderur faba. In me hoc malum recidet: du-

Deducar: & illis crucibus, quæ nos, noſtramque adoleſcentiam
Habent deſpicatam, & quæ nos ſemper omnibus cruciant modis;
Nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur?
An potius hæc pati? æquum eſt fieri ut a me ludatur dolis?
Quod qui reſcierint, culpent? illud merito factum omnes putent.
P. Quid iſthuc? ſi certum eſt facere, facias. Verum ne poſt conferas.
Culpam in me. *C.* non faciam. *P.* jubeſne? *C.* jubeo, cogo, atque impero.
P. Nunquam defugiam auctoritatem: ſequere. *C.* Di vortant bene.

ductum ab area quæ tunditur & laborat, cum in ea faba tunditur & euditur fuſtibus, ut e foliquis excutiatur: vel hinc etiam ſumptum quod quidam male coctam fabam & aurioram ſupra caput coqui negligentioris tundunt, & ſaxo comminuunt, quaſi fabæ ipſi irati, tumque univerſum malum ad coquum pervenit. *Donat.*

Crucibus. Improbis mulieribus.

An potius? An potius flagitium eſt, hæc indigna ab illis pati?

Ludatur. Thais.

Quod qui, &c. Obiicit hoc ſibi: atqui me culpabunt qui hoc audierint? reſpondet ſtatim; immo vero illud merito factum omnes diſputabunt.

Defugiam auctoritatem. Nunquam quidquam recuſabo facere dum tu auctor ſis facti; ita Donatus: at Muretus hæc verba tribuit Chæreæ: nunquam recuſabo quin hoc auctore me geſtum fuiſſe dicatur, ejus eventum in me recipio, & periculum invidiamque præſtabo.

ACTUS

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

THRASO, GNATHO, PARMENO.

Thraſo invitaturus Thaidem ad cœnam adeſt, illi facete aſſentatur Gnatho, Parmeno intervenit.

T. MAgnas vero agere gratias Thais mihi?
G. Ingentes. *T.* ain' tu: læta eſt? *G.* non tam ipſo quidem
Dono, quam abs te datum eſſe; id vero ſerio Triumphat. *P.* huc proviſo, ut, ubi tempus ſiet,
Deducam: ſed eccum militem. *T.* eſt iſthuc datum
Profecto mihi, ut grata ſint quæ facio, omnia.
G. Advorti hercle animum. *T.* vel Rex ſemper maxumas
Mihi agebat, quidquid feceram: alii non item.
G. Labore alieno magnam partam gloriam,

Magnas. Nonne agit mihi grates Thais pro data ipſi a me Pamphila?

Datum eſſe. Quam quod a te datum ſit. Non tam ipſi placet donum, quam dantis perſona.

Proviſo. Venio ut prideam quo tempore deducendi mihi ſint huc Eunuchus & Æthiopiſſa.

Datum. Veluti fato conceſſum.

Grata. Idonea ad aliorum gratiam mihi conciliandam.

Advorti . . . Hoc ſane ſemper animadverti.

Vel Rex. Ipſe Rex: Imperator cujus ducebam copias, Rex Aſiæ.

Agebat. Subaudi, gratias.

In

Verbis ſæpe in ſe tranſmovet, qui habet ſalem,
Qui in te. *T.* habes. *G.* rex, te ergo in oculis. *T.* ſcilicet.
G. Geſtare. *T.* verum: credere omnem exercitum,
Conſilia. *G.* mirum. *T.* tum ſicubi eum ſatietas
Hominum, aut negoti ſi quando odium ceperat,
Requieſcere ubi volebat quaſi: noſtin'? *G.* ſcio.
Quaſi ubi illam expueret miſeriam ex animo. *T.* tenes,
Tum me convivam ſolum abducebat ſibi. *G.* hui,
Regem elegantem narras. *T.* immo ſic homo eſt
Perpaucorum hominum. *G.* immo nullorum arbitror,
Si tecum vivit. *T.* invidere omnes mihi;
Mordere clanculum: ego non flocci pendere;
Illi invidere miſere: verum unus tamen
Impenſe, elephantis quem Indicis præfecerat.
Is ubi moleſtus magis eſt; quæſo, inquam, Strato,

In ſe tranſmovet. In ſe confert ac derivat tanquam propriam & ſuam, ſibi ſumit. Gloriam ab alio laborioſe quæſitam occupat, ſibi aſtute vindicat.

Salem. Ingenium, induſtriam, quæ eſt in te.

Habes. Intelligis, capis.

In oculis. Huc refer, *geſtare*, eſt autem *geſtare in oculis*, amare impenſe.

Verum. Ita eſt, recte dicis.

Sicubi. Si quando.

Ubi volebat. Cum vellet.

Quaſi ubi. Quaſi ut haberet ubi exoneraret ſe illa moleſtia, me vocabat ut meum in ſinum eam veluti deponeret.

Expueret. Rejiceret: ut hominum faſtidium & negotiorum moleſtiam levaret.

Elegantem. Plenum humanitatis, lepidum.

Perpaucorum... Qui paucis utitur familiariter.

Immo... Certe puto ego illum nullos habere poſſe honeſtos homines pro familiaribus, qui te delectari poſ-

Eone es ferox, quia habes imperium in belluas?
G. Pulchre, mehercle, dictum & sapienter: papæ!
Jugularas hominem: quid ille? *T.* mutus illico.
G. Quid ni esset? *P.* Di vestram fidem? hominem perditum,
Miserumque, & illum sacrilegum. *T.* quid, illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio:
Nunquid tibi dixi? *G.* nunquam: sed narra, obsecro,
Plus millies jam audivi. *T.* una in convivio
Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus.
Cœpit ridere: quid ais, inquam, homo impudens?
Lepus tute es? & lepores quæris? *G.* ha, ha, hæ.
T. Quid est? *G.* facere, lepide, laude, nihil supra:
Tuumne, obsecro te, hoc dictum erat? vetus credidi.
T. Audieras? *G.* sæpe: & fertur in primis. *T.* meum est.
G. Dolet dictum imprudenti adolescenti, & libero?
P. At te Dii perdant. *G.* quid ille quæso? *T.* perditus.

possit: vel tu illi unus sufficis, carere ceteris potest, si te habet: hoc serio & clare diceret: illud, clam & aversus.

Eone. Ideone.

Impense. Subaudi, invidebat.

Jugularas. Perculeras, mutum reddideras.

Et illum. Gnathonem.

Tetigerim. Luserim, carpserim.

Plus millies... Hoc demissa voce dicit.

Lepus tute est. Lepus pro homine leviculo, imprudente, ac meticuloso sumitur: quæris in mensa id quod ipse es, quod habes.

Tuumne, &c. Tune illius dicti auctor primus & artifex es?

Fertur. Laudatur, circumfertur.

Dolet. Non dubium quin doluerit...

Perditus. Ita conturbatus fuit, ut nihil supra..

Pur-

Risu omnes, qui aderant, emoriri: denique
Metuebant omnes jam me. G. non injuria.
T. Sed heus, tu purgone ego me de isthac Thaidi,
Quod eam me amare suspirata est? G. nihil minus;
Immo magis auge suspicionem. T. cur? G. rogas:
Scin', si quando illa mentionem Phædriæ
Facit, aut si laudat, te ut male urat? T. sentio.
G. Id ut ne fiat, hæc res sola est remedio.
Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo. si quando illa dicet, Phædriam
Intromittamus comessatum; tu, Pamphilam
Cantatum provocemus: si laudabit hæc
Illius formam; tu hujus contra: denique,
Tu par pari referto, quod eam remordeat.
T. Si quidem me amaret, tum isthuc prodesset, Gnatho.
G. Quando illud quod tu das, expectat atque amat,
Jamdudum amat te; jamdudum illi facile fit
Quod doleat; metuet semper, quem ipsa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas.
T. Bene dixti: ac mihi isthuc non in mentem venerat.

Purgon'. An auctor mihi es ut me excusem apud Thaidem de isthac Pamphila: ut negem eam a me amari?

Ut male urat. Ut tibi ægre sit, ut te male torqueat? Scisne, cogitasne, quantum te cruciet Thais faciendo mentionem Phædriæ? quasi hunc tibi præferat.

Id ut ne fiat, &c. Non potes alio modo impedire ne te male urat Thais laudans Phædriam, quam si tu vicissim laudes Pamphilam.

Illius. Phædriæ.

Quando illud, &c. Si quidem amat expectatque Pamphilam, quam illi das.

Illi facile fit, quod doleat. Habet unde ipsi creari facile dolor & molestia possit; facile illi potest ægre fieri.

Metuet, &c. Ne pecuniam, munera, quæ a te accipit, & alios amicitiæ tuæ fructus amittat, ne illos alteri tribuas.

Ri-

G. Ridiculum, non enim cogitaras; ceterum
Idem hoc tute meliu' quanto inveniſſes Thraſo.

Ridiculum. Rides; jocaris: quid enim mirum? id non cogitaras, nam ſi animum advertiſſes, longe id melius quam ego inveniſſes.

SCENA SECUNDA.

THAIS, THRASO, PARMENO, GNATHO, PYTHIAS.

Offert Thaidi Parmeno dona quæ ipſi a Phædria mittebantur: ea irridet Miles adulante Gnathone. Thais cum milite ad cœnam proficiſcitur.

THA. AUdite vocem viſa ſum modo Militis,
Atque eccum: ſalve, mi Thraſo. *THR.* o Thais mea,
Nunc te reviſo: quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina iſthac? *PA.* quam venuſte? quod dedit
Principium adveniens? *THA.* plurimum merito tuo.
G. Eamus ergo ad cœnam: quid ſtas? *PA.* hem alterum.

Eccum. Ecce eum: id egrediens loquitur pro foribus.

Nos amas de... Id eſt, ecquid tibi placet hoc munus; iſta fidicina, quam tibi dedi, hæc Pamphila: *amare aliquem de aliqua re*, eſt præbere ſe gratum ac memorem.

Quam venuſte? Ironia, quam inepte orſus eſt? qui orationis principium duxerit ab commemoratione & quaſi exprobratione beneficii! id demiſſa voce dicit.

Plurimum... Reſpondet Thraſoni: amò te plurimum ob tuum munus, id enim mereris.

Hem alterum. Subaudi, ſtultum, hem Gnathonem Thraſoni ſimilem!

Ex

Ex homine hunc natum dicas. *THA.* ubi vis; non moror.

PA. Adibo, atque adſimulabo, quaſi nunc exeam.

Iturane Thais quopiam es? *THA.* hem, Parmeno,

Bene feciſti; hodie itura. *PA.* quo? *THA.* ecquid, hunc vides?

PA. Video, & me tædet: ubi vis, dona adſunt tibi

A Phædria. *THR.* quid ſtamus? cur non imus hinc?

PA. Quæſo hercle ut liceat, pace quod fiat tua,

Dare huic quæ volumus, convenire & colloqui.

THR. Perpulcra credo dona, haud noſtris ſimilia.

PA. Res indicabit: heus, jubete iſtos foras

Exire, quos juſſi, ocyus: procede tu hoc:

Ex Æthiopia eſt uſque hæc. *THR.* hic ſunt trium minæ?

Ex homine... Dicas, credas hunc e Thrasone natum eſſe: ita ſimilis eſt Thraſoni, eum ut ejus filium eſſe putes: alii apponunt notam interrogationis, ſic: an dicas hunc ex homine natum? e bellua potius credas.

Ubi vis. Ibimus ad cœnam cum tibi libuerit.

Quaſi. Fingam me modo exire noſtris ædibus: hoc ſecum tacitus: mox clare converſus ad Thaidem. An egrederis domo, Thais, an is quopiam, licet ne te morari tantiſper, & alloqui.

Hodie itura. Subaudi, eram apud militem, quem vides.

Ubi vis. Quandocumque volueris accipere dona a Phædria, præſto ſunt.

Hinc. Domum meam ad cœnam.

Jubete. Servos quoſdam alloquitur.

Tu. Æthiopiſſam alloquitur.

Uſque. Eſt *uſque* adverbium loci. Senſus eſt: hæc mulier adducta eſt ab ultima Æthiopia.

Hic ſunt..... Empta eſt hæc ancilla tribus tantum minis. Quid ſit mina vide in Phormione, & alibi: hoc dicit per contemptum: offendi que rei tenuitatem & doni, ex pretii vilitate.

Vix.

G. Vix. *PA.* ubi tu es, Dore? accede huc, hem Eunuchum tibi:
Quam liberali facie, quam ætate integra!
THA. Ita me Di ament, honestus est. *PA.* quid tu ais, Gnatho?
Nunquid habes quod contemnas? quid tu autem, Thraso?
Tacent, satis laudant: fac periculum in litteris,
Fac in palæstra, in musicis; quæ liberum
Scire æquum est adolescentem, solertem dabo.
Atque hæc qui misit, non sibi soli postulat
Te vivere, & sua caussa excludi ceteros:
Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
Ostentat: neque tibi obstat, quod quidam facit.
Verum, ubi molestum non erit, ubi tu voles,
Ubi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur.
THR. Apparet servum hunc esse domini pauperis,
Miserique. G. Nam hercle nemo posset, sat scio,
Qui haberet qui pararet alium, hunc perpeti.
PA. Tace tu, quem ego esse puto infra omnes infimos
Homines: nam, qui huic animum assentari induxeris,

Vix. Vix sunt tres minæ. Vix constat tribus minis.

Dore. Nomen Eunuchi.

Tibi. Subaudi, fisto, habes.

Honestus. Elegans, venustus.

Fac periculum. Experire, tenta quid possit iste Eunuchus in litteris, id est quam sit eruditus: servi litteras docebantur, ut essent dominis utiliores.

Palæstra. Lucta, exercitationibus corporis omnibus, in arte saltandi, currendi, &c.

Quæ liberum, &c. Quæ liberalem & ingenuum hominem scire decet, in iis esse exercitatissimum affirmo.

Dabo solertem. Peritum præsto.

Qui misit. Phædria.

Non sibi, &c. Non petit ut omnes alios excludas, ut se solum ames.

Tibi obstat. Tibi molestus est.

Quidam. Thrasonem innuit.

Qui pararet. Unde emeret.

Pe-

E flamma te petere cibum posse arbitror.
THR. Jamne intus? *THA.* hos prius introducam: &, quæ volo,
Simul imperabo: postea continuo exeo.
THR. Ego hinc abeo, tu isthanc opperire.
PA. haud convenit
Una ire cum muliere Imperatorem in via.
THR. Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.
G. Ha, ha, hæ. *THR.* quid rides? *G.* isthuc quod dixti modo,
Et illud de Rhodio dictum in mentem venit.
Sed Thais exit. *THR.* abi, præcurre, ut sint domi
Parata omnia. *G.* fiat. *THA.* diligenter, Pythias,
Fac cures, si Chremes huc forte advenerit,
Ut ores, primum ut maneat, si id non commodum est,
Ut redeat, si id non poterit, ad me adducito.
PY. Ita faciam. *THA.* quid? quid aliud volui dicere?
Hem, curate istam diligenter virginem?

Petere. Rapere, id est, quidvis acturum passurumve, cibi caussa. Antiquum est verbum, inquit Donat. *petere cibum e flamma*, unde scilicet sine damno aut malo nil potest auferri; hoc verbo notat Parmeno Gnathonis egestatem ac voracitatem. Epulas pro inferis adhibitas in rogum conjiciebant, ex quo illas interdum mendiculi eripiebant: Hinc natum proverbium.

Tu. . . Gnatho.

Isthanc. Thaidem.

Abi. . . Gnathonem alloquitur.

Isthuc. Rideo & miror id quod modo facete dixisti.

De Rhodio. Vide actum hunc III. Scen. I.

Parata. Quæ sunt opus ad cœnam.

Pythias. Erat hæc ancilla Thaidis, quæ domus curam gerebat.

Maneat. Hic me expectet.

Adducito. Domum Thrasonis, quo proficiscor, ad cœnam.

Quid aliud . . . Quasi si esset hoc oblita tantisper cogitat.

Virginem. Pamphilam.

Do-

Demi adſitis, facite. *THR.* eamus. *THA.* vos me ſequimini.

Domi adſitis. Ne domo pedem efferatis.

Vos. Ancillas quaſdam appellat, quæ ipſam honoris cauſſa ſectarentur: Pythias manet in theatro, ne vacuum ſit; quaſi pro foribus Thaidis, Chremetem expectans.

SCENA TERTIA.

CHREMES, PYTHIAS.

Chremes adoleſcens ruſticus, Pamphilæ frater a Thaide accerſitus, ut ſororem ſuam acciperet, ejus domum venit, & domum Thraſonis deducitur.

C. PRofecto, quanto magis magiſque cogito,
Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum,
Ita me video ab ea aſſute labefactarier.
Jam tum cum primum juſſit me ad ſe accerſier,
(Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem)
Ubi veni, cauſſam, ut ibi manerem, reperit:
Ait rem divinam feciſſe, & reni ſeriam

Malum. Timet Chremes ne ſuis bonis inhiet Thais, & fraudem ſibi aliquam nectat.

Labefactarier. Tentari & concuti; agitari in omnem partem.

Roget. Potuiſſet aliquis a me tum petere quare ad illam venirem; & merito, qui ne illam quidem noſſem.

Ibi. Domi ſuæ.

Cauſſam.... Eam nimirum, quod haberet negotium majoris momenti,

Velle agere mecum : jam tum erat ſuſpicio ,
Dolo malo hæc fieri omnia ; ipſa accumbere
Mecum ; mihi ſeſe dare , ſermonem quærere :
Ubi friget , huc evaſit , quam pridem pater
Mihi & mater mortui eſſent ; dico , jamdiu .
Rus Sunii ecquod habeam , & quam longe a mari :
Credo ei placere hoc ; ſperat ſe a me avellere :
Poſtremo , ecqua inde parva periiſſet ſoror :
Ecquis cum ea una : quid habuiſſet , cum periit ;
Ecquis eam poſſet noſcere ; hæc cur quæritet ? ....
Niſi illa ſorte , quæ olim periit parvula
Soror , hanc ſe intendit eſſe , ut eſt audacia .

de quo mecum ageret , ideoque ſe Diis ſacrificium obtuliſſet , ut ea res bene verteret .

Seſe daret . Familiariter mecum agere , ſubaudi , cœpit , quærere varias artes ad ſermonem inferendum & producendum : ubi vero frigere ſermonem ac me mutum pene videt , huc deſiniquè progreſſa eſt , ut a me peteret quampridem , &c.

Rus . Villam .

Sunii . Sunium eſt Atticæ promontorium .

Ecquod . An quoddam .

Hoc . Hunc agrum : ipſam ad illum oculos & cupiditatem adjeciſſe .

Avellere . Poſſe hoc rus mihi eripere .

Ecqua . Num qua .

Inde . Poſtea .

Periiſſet . Mihi .

Ecquis , *&c.* Num quis ſimul fuiſſet cum illa , quando periit ? num habuiſſet tunc aliquid ex qua poſſet cognoſci : puta annulum , faſciam , &c.

Quæritet . . . Subaudi , neſcio .

Niſi . . . . Niſi forte intendit , contendit , hoc molitur & confingit , ſe eſſe hanc ſororem parvulam , &c.

Ut eſt . . . Quæ eſt audacia ; ut eſt ejus audacia .

Ma-

Verum ea si vivit, annos nata est sedecim,
Non major; Thais, ego quam sum, majuscula est.
Misit porro orare ut venirem serio:
Aut dicat quid vult, aut molesta ne fiet:
Non hercle veniam tertio: heus, heus. *P.* hic quis est?
C. Ego sum Chremes. *P.* o capitulum lepidissimum.
C. Dico ego mihi insidias fieri. *P.* Thais maximo
Te orabat opere ut eras redires. *C.* rus eo.
P. Fac amabo. *C.* non possumus, inquam. *P.* at apud nos hic mane,
Dum redeat ipsa. *C.* nihil minus. *P.* cur, mi Chremes?
C. Malam in rem hinc abi? *P.* si isthuc ita certum est tibi,
Amabo, ut illuc transeas, ubi illa est. *C.* eo.
P. Abi Dorias, cito hunc deduce ad militem.

Majuscula. Plures annos nata est, quam sim. Adeoque non est ista soror mea quæ periit, quæque, si vivit, annos habeat tantum sedecim.

Dico. Credo: ita est, his nominum blanditiis ludificari me volunt istæ, ut mihi villam meam & fortunas auferant.

Fac. Redi eras.

Malam in rem. Crucem, patibulum. Imprecandi est formula. Sic in Andria dixit: Abi, suspende te.

Dorias. Ancillæ nomen est.

SCENA QUARTA.

ANTIPHO.

Antipho Chæreæ familiaris, dum ipſum e Piræo digreſſum ſodalibus inſciis, quæritat, offendit in limine Thaidis exeuntem cum ornatu Eunuchi.

A. HEri aliquot adoleſcentuli colimus in Piræo,
In hunc diem ut de ſymbolis eſſemus: Chæream ei rei
Præfecimus, dati annuli, locus, tempus conſtitutum eſt.
Præteriit tempus: quo in loco dictum eſt, parati nihil eſt;
Homo ipſe nuſquam eſt, neque ſcio quid dicam, aut quid conjectem.
Nunc mihi hoc negoti ceteri dedere, illum ut quæram:
Idque adeo viſam, ſi domi eſt: quiſnam hinc a Thaide exit?
Is eſt, an non eſt? ipſus eſt, quid hoc hominis? qui eſt hic ornatus?
Quid illud mali eſt? nequeo ſatis mirari, neque conjicere.

Colimus. Convenimus, conſtituimus; cum in Piræo verſaremur ſimul; nempe excubiarum cauſſa, ut ante dictum.

De Symbolis. Symbolum vel Symbola, eſt pecunia quæ confertur a multis in cœnam communibus impenſis agitandam.

Eſſemus. Ederemus.

Ei rei. Cœnæ parandæ.

Annuli. Dabant annulos arrhæ loco & pignoris, ut cogerentur diem convivio deſtinatam & locum obire.

Dictum. Condictum & conſtitutum.

Homo. Chærea.

Ipſus. Chærea, indutus Eunuchi veſte & ornatu.

Ni-

Niſi quidquid eſt, procul hinc libet prius, quid ſit, ſciſcitari.

Niſi. Certe, attamen? *Procul hinc*. Cognoſcere & inveſtigare. *Sciſcitari*. Ex hoc remotiore loco.

SCENA QUINTA.

CHÆREA, ANTIPHO.

Chærea fugiens e Thaidis domo, incidit in Antiphonem.

C. NUmquis hic eſt? nemo eſt: numquis hinc me ſequitur? nemo homo eſt
Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? proh Jupiter!
Nunc tempus eſt profecto, cum perpeti me poſſum interfici:
Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.
Sed neminemne curioſum intervenire nunc mihi,
Qui me ſequatur, quoquo eam rogitando obtundat, enecet,
Quid geſtiam, aut quid lætus ſim, quo pergam, unde emergam, ubi ſiem

Sequitur... Timebat ne quis ipſum deprehenderet aut comprehenderet ridicula veſte Eunuchi ornatum.

Erumpere. Activa ſignificatione ponitur: efferre, palam facere.

Vita. Spatium vitæ ſequentis: ne mihi poſtea contingat aliquid quo iſtud gaudium corrumpatur.

Obtundat. Odioſe petat atque inſtet.

Quid. Propter quid.

Emergam. Exeam.

Veſtitum hunc nactus: quid mihi quæram? ſanus ſim, anne inſaniam?

A. Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.

Chærea, quid eſt quod ſic geſtis? quidve ſibi hic veſtitus quærit?

Quid eſt quod lætus ſis? quid tibi vis, ſatin' ſanus? quid me

Adſpectas? quid taces? *C.* o feſtus dies hominis, amice

Salve: nemo eſt, quem ego magis cuperem nunc videre, quam te.

A. Narra iſthuc quæſo quid fiet.... *C.* immo ego te obſecro hercle ut audias.

Noſtin' hanc, quam amat frater? *A.* novi, nempe opinor Thaidem.

C. Iſtam ipſam. *A.* ſic commemineram. *C.* quædam hodie eſt ei dono data

Virgo: quid ego illam tibi nunc prædicem, aut laudem Antipho?

Erat quidam Eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi.

Neque is deductus etiam tum ad eam: ſummonuit me Parmeno.

Ibi ſervus, quod ego arripui. *A.* quid id eſt? *C.* tacitus, citius audies.

Ut veſtem cum eo mutem, & pro illo jubeam me ducier.

A. Pro eunuchone? *C.* ſic eſt. *A.* quid ex ea re tandem ut caperes commodi!

Quæram. Velim: quid moliar.

Gratiam inibo. Gratiam inire eſt, dare beneficium, de aliquo bene mereri: faciam id quod cupit. Interrogabo cur lætus ſit, quo pergat.

Feſtus dies hominis. O fauſtum & ſimilem diei feſto diem, quo te offendo. *Dies feſtus hominis*, pro homo feſti diei. *Donat.* vel o diem fauſtum & feſtum ſi quis homini poteſt unquam illuceſcere! Plautus de amico dicit: *O mens feſtus dies.* Caſſ.

Summonuit. Monuit me de una re quam ego ſtatim faciendam eſſe mihi duxi: conſilium ibi, ideſt, tunc,

C. Rogas? viderem, audirem, animo obſequerer meo.
A. Perlonge eſt: ſed tanto ocyus properemus, muta veſtem.
C. Paratum eſt. *A.* frugi es: ubi? domin'? *C.* immo apud liberum Diſcum:
A. Perlonge eſt; ſed tanto ocyus properemus; muta veſtem.
C. Ubi mutem? perii, nam domo exulo: nunc metuo fratrem
Ne intus ſit: porro autem, pater, ne rure redierit jam.
A. Eamus ad me, ibi proximum eſt ubi mutes. *C.* recte dicis.
Eamus: & de iſthuc ſimul, quo pacto porro poſſim
Hanc ducere, conſilium volo capere una tecum. *A.* fiat.

tunc, mihi dedit quod ſtatim arripui.

Frugi es. Strenuus, diligens recte factum.

Domin'. An tuæ domi paratum eſt convivium?

Sed tanto ocyus, &c. Quanto longius diſtat iſta domus, tanto nos magis accelerare par eſt.

Porro autem. Subaudi, metuo.

Ibi proximum eſt. Locus proximus eſt iſte, ubi veſtem facile mutes.

Hanc ducere. Uxorem habere iſtam Pamphilam.

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

DORIAS.

Dorias ab Thaide domum remissa ut ejus gemmas & aureos ornatus referret, narrat quid in convivio factum sit a Thrasone, ubi ille incrementum Chremetem vidit.

D. ITa me Dii bene ament: quantum ego illum vidi, nonnihil timeo misera,
Ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi.
Nam postquam ille advenit Chremes adolescens frater virginis,
Militem rogat, ut illum admitti jubeat: ille continuo irasci,
Neque negare audere; Thais porro instare, ut hominem invitet.
Id faciebat retinendi illius caussa: quia, illa quæ cupiebat
De sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat.
Invitat tristis; mansit: ibi illa cum illo sermonem occipit.
Miles vero sibi putare adductum ante oculos æmulum,

Quantum . . . Quantum e militis vultu conjicere potui.
Ille insanus. Thraso.
Virginis. Pamphilæ.
Rogat. Thais.
Admitti. Introire sinat.
Retinendi. Id faciebat Thais, volebat invitari Chremetem ad convivium ut illum retineret aliquantisper neque dimitteret fortasse non redituru.
Ad eam rem . . . Ad ea indicanda ipsi tempus hoc, & lo-

Voluit facere contra huic ægre : heus , inquit , puer , Pamphilam
Accerſe , ut delectet hic nos : illa exclamat , minime gentium ,
In convivium illam ? miles tendere ; inde ad jurgium .
Interea aurum ſibi clam mulier demit : dat mihi ut auferam .
Hoc eſt ſigni , ubi primum poterit , ſeſe illinc ſubducet , ſcio .

& locus convivii non erat idoneus .

Facere ægre . Rem moleſtam & odioſam facere Thaidi .

Delectet . Sciebat enim fidibus canere .

Illa . Thais .

Illam . Subaudi , introduces virginem ?

Tendere . Pugnare id ut fiat , id contendere .

Inde ad jurgiam . Subaudi , verum eſt .

Mulier . Thais . Verita , ſcilicet ne illud ſibi aut eriperetur , aut deterreretur in rixa .

Hoc eſt ſigni . . . . . Nempe quod brevi ſe ſubductura ſit e militis domo .

Illinc . E convivio & Thraſonis ædibus .

SCENA SECUNDA.

PHÆDRIA.

Rus abierat Phædria ut militi locum aliquem apud Thaidem daret : inde revertitur vix dum exacta die, quamvis se biduo adfuturum promisisset.

P. DUm rus eo, cœpi egomet mecum inter vias,
Ita ut fit, ubi quid in animo est molestiæ,
Aliam rem ex alia cogitare, & ea omnia in
Pejorem partem : quid opus est verbis ? dum hæc puto,
Præterii imprudens villam : longe jam abieram,
Cum sensi, redeo rursum, male vero me habens :
Ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti.
Occœpi mecum cogitare, hem, biduum hic
Manendum est soli sine illa ? quid tum postea ?
Nihil est ; quid, nihil ? villam prætereo sciens :

Ita ut fit. Ut solet contingere iis quorum animus aliqua laborat molestia.

Aliam rem ex alia. Ex una cogitatione delabi ad aliam.

Pejorem partem. Subaudi, interpretari.

Cum sensi. Me villam præteriisse.

Diverticulum. Est hic semita quæ a via publica in aliquem alium locum deducit : via igitur publica in urbem ducebat : diverticulum & semita in villam Phædriæ : omisit diverticulum ; & via publica in urbem, unde venerat, redsit.

Sine illa. Thaide.

Nihil est. Brevis est hæc bidui mora & tolerabilis.

Quid mihi ? Hoccine tandem est leve, & facile ferendum ?

Villam prætereo. Ubi hoc

Sed quid hoc eſt, quod timida ſubito egrediter Pythias?

hoc mecum cogitavi; cœpi ſerio & certo conſilio villam meam relinquere & præter illam ire, ut huc in urbem venirem.

Egreditur. Ex ædibus Thaidis.

SCENA TERTIA.

PYTHIAS, PHÆDRIA, DORIAS.

Quæritur Pythias ancilla quod Eunuchus aufugerit: eam Phædria interrogat.

PY. UBi ego illum ſceleroſum miſeram atque impium inveniam? aut ubi quæram?
Hoccine tam audax facinus facere eſſe auſum?
PH. perii, hoc quid ſit vereor.
Hem! *PY.* qui nunc ſi detur mihi,
Ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico?
PH. Neſcio quid profecto abſente nobis turbatum eſt domi.
Adibo: quid iſthuc? quid feſtinas? aut quem quæris, Pythias?
PY. Hem, Phædria, egone quem quæram? abi hinc quo dignus es cum donis tuis
Tam lepidis. *PH.* quid iſthuc eſt rei?
PY. Rogas me? Eunuchum quem dediſti nobis, quas turbas dedit?

Egone quem quæram? Petiſne a me quem ego quæram?

Eunuchum. Pro Eunuchus. Quem Eunuchum dediſti, ille quas turbas domi concitavit? ſic Virgil. *Urbem quam ſtatuo, veſtræ eſt*, pro, *quam urbem*.... vel *urbs quam*.

D. Perii. *PH.* temulenta es. *PY.* utinam ſic ſint, qui male volunt.

D. Hau, obſecro mea Pythias, quid iſthuc nam monſtrui fuit ?

PY. Ille autem bonus vir nuſquam apparet, etiam hoc miſera ſuſpicor,

Aliquid domo abeuntem abſtuliſſe. *PH.* nequeo mirari ſatis ;

Quo ille abire ignavus poſſit longius, niſi ſi domum

Forte ad nos redierit. *PY.* viſe, amabo, num ſit. *PH.* jam faxo ſcias.

Sic ſint. Sic ebrii ſint ; quaſi temulenti ; præ dolore ac perturbatione.

SCENA QUARTA.

PHÆDRIA, DORUS, PYTHIAS, DORIAS.

Phædria Dorum Eunuchum male verbis accipit, quaſi ipſe domo Thaidis aufugerit, quam ingreſſus tamen non erat, ſed Charea.

PH. EXi [illegible], ſceleſte : at etiam reſtitas,

Fugitive ? prodi ; male conciliare. *DO.* obſecro. *PH.* oh,

Illud vide, os ut ſibi diſtorſit carnufex.

Quid huc reditio eſt ? quid veſtis mutatio eſt ?

Exi. Evocat & prodire jubet Dorum.

Reſtitas ? Moraris, ceſſas ?

Male conciliate. Magno meo diſpendio & periculo empte. *Conciliare* idem eſt ac parare, acquirere, emere.

Quid huc reditio eſt ? Quare huc ex ædibus Thaidis, quo te duci juſſeram, rediiſti.

Quid

Quid narras? paullulum ſi ceſſaſſem, Pythias,
Domi non offendiſſem; ita jam ornabat fugam.
PY. Habeſne hominem, amabo? *PH.* quidni habeam? *PY.* o factum bene.
D. Iſthuc pol vero bene. *PY.* ubi eſt? *PH.* rogitas? non vides?
PY. Videam obſecro quem? *PH.* hunc ſcilicet. *PY.* quis hic eſt homo?
PH. Qui ad vos deductus hodie eſt. *PY.* hunc oculis ſuis
Noſtrarum nunquam quiſquam vidit, Phædria.
PH. Non vidit? *PY.* an tu hunc credidiſti eſſe, obſecro,
Ad nos deductum? *PH.* namque alium habui neminem. *PY.* hau,
Ne comparandus hic quidem ad illum eſt: ille erat
Honeſta facie, & liberali. *PH.* ita viſus eſt
Dudum, quia varia veſte exornatus fuit.
Nunc eo tibi videtur fœdus, quia illam non habet.
PY. Tace, obſecro: quaſi vero paullum intersiet.
Ad nos deductus hodie eſt adoleſcentulus,
Quem tu vero videre velles, Phædria.

Quid narras? Quid dicis? quam cauſſam affers?

Si ceſſaſſem. Si tantiſper hic moratus fuiſſem... hoc ancillæ dicit.

Ornabat. Parabat.

Habeſne hominem? An Eunuchum hunc reperiſti?

Quidni habeam? Reperi.

Noſtrarum. Ancillarum. antiquo more ſubiunxit maſculinum *quiſquam*, nemo noſtrarum ancillarum vidit.

Ad illum. Præ illo.

Dudum. Antea: cum modo ad vos deductus eſt, talis vobis viſus eſt, nempe honeſta facie & liberali.

Varia. Picturata, variis coloribus tincta; aſſutis diverſi coloris pannis fulgente.

Tace. Immo vero.

Quaſi vero... Noli hæc dicere, quaſi vero parum ſit inter illos diſcriminis, & penes veſtem tantum?

Vi-

Hic eſt vetus, vietus vieternoſus, ſenex,
Colore muſtellino. *PH.* hem, qua eſt fabula?
Eo redigis me, ut, quid egerim egomet neſciam.
Eho tu, num ego te? ..... *DO.* emiſti. *PY.* jube mihi denuo
Reſpondeat. *PH.* roga. *PY.* veniſtine hodie ad nos? negat.
At ille alter venio annos natus ſedecim,
Quem ſecum adduxit Parmeno. *PH.* agedum, hoc mihi expedi
Primum: iſtam, quam habes, unde habes, veſtem? taces?
Monſtrum hominis? non dicturus? *DO.* venio Chærea.
PH. Fraterne? *DO.* ita. *PH.* quando? *DO.* hodie. *PH.* quam dudum? *DO.* modo.
PH. Quicum? *DO.* cum Parmenone. *PH.* notaſne eum prius?
DO. Non, nec quis eſſet, unquam audierem dicier.
PH. Unde igitur, fratrem meum eſſe ſciebas? *DO.* Parmeno
Dicebat eum eſſe: is dedit hanc mihi veſtem. *PH.* occidi.
DO. Meam ipſe induit; poſt una ambo abjerunt foras.
PY. Jam ſatis credis me ſobriam eſſe, & nihil mentitam tibi?
PH. Credis huic quod dicat? *PY.* quid iſti credam? res ipſa indicat.

Vietus. Mollis, flaccidus, putris, a *viere*, unde vimen, ideſt, virga flexibilis & mollis.

Veternoſus. Segnis, languidus.... veternus eſt morbus otioſos & ſomnolentos faciens: lethargus.

Muſtellino. Fuſco, livido, qualis eſt muſtellarum.

Quid egerim...? An hunc emerim, an duci ad Thaidem juſſerim.

Num ego te? Subaudi, emi.

Negat. Geſtu ſcilicet.

Non dicturus? Itane dicturus non es?

Quid iſti.... Non egeo illo auctore & teſte; res ipſa loquitur.

Con-

PH. Concede iſthuc paullulum ; audin' etiam nunc paullulum : ſat eſt.
Dicdum hoc rurſum, Chæreane tuam veſtem detraxit tibi ?
DO. Factum. *PH.* & ea eſt indutus ? *DO.* factum. *PH.* & pro te huc deductus eſt ? *DO.* ita.
PH. Jupiter magne ! o ſceleſtum, atque audacem hominem ! *PY.* væ mihi,
Etiam nunc non credis indignis nos eſſe irriſas modis ?
PH. Mirum ni tu credas quod iſte dicat, quid agam, neſcio.
Heus tu negato rurſum : poſſumne hodie ex te exculpere
Verum ? vidiſtin' fratrem Chæream ? *DO.* non. *PH.* non poteſt ſine
Malo fateri, video : ſequere hac ; modo ait, modo negat.
Ora me. *DO.* obſecro te vero Phædria ... *PH.* I intro. *DO.* hoi, hei.
PH. Alio pacto honeſte quomodo hinc abeam, neſcio.

Concede, &c. Dorum alloquitur clam, & jubet ſe removere ab ancillis.

Etiam nunc, &c. Recede adhuc paullulum.

Factum. Ita eſt.

Mirum ni tu credas. Non eſt mirum ſi credis tam facile, femina, ſerva, ſtulta. *Donat.*

Quid agam. Hoc ſecum tacitus.

Heus tu. O Dore iterum loquere, & nega quæ modo affirmaſti.

Negato. Demiſſa hoc voce dicit, ut honori Chæreæ conſulat.

Exculpere. Extorquere.

Malo .... Tormentis adhibenda eſt quæſtio, ut ab eo verum exprimatur, qui modo ait, modo negat : aliter nunquam fatebitur quod res eſt.

Sequere hac. Quaſi ad tormenta.

Ora me. Hoc lentius & demiſſus, ut ſi cauſſa non ſæviendi, & ad quæſtionem non rapiendi : itaque jubetur mox domum redire.

Alio pacto ... Hoc demiſſa voce dicit.

Actum.

Actum eſt ſiquidem, tu me hic etiam nebulo ludificabere?

Actum eſt ſiquidem. Siquidem id a Chærea eſt factum. Poteſt etiam ſic interpungi: *Actum eſt*; res conclamata eſt, periimus. *Siquidem*... Subaudiendo vera iſthæc ſunt, ſi vera Dorus dicit.

Tu me... Hoc clare dicit Dorus, quem verberatum expellebat intuens, ac ſequens abeuntem.

SCENA QUINTA.

PYTHIAS, DORIAS.

Inter ſe deliberant quid facturæ ſint.

PY. PArmenonis tam ſcio eſſe hanc technam, quam me vivere.
D. Sic eſt. *PY.* inveniam hodie parem ubi pol referam gratiam.
Sed nunc quid faciundum cenſes Dorias? *D.* de iſthoc rogas?
Id modo dic, abiſſe Dorum. *PY.* ita faciam. *D.* ſed videon' Chremem?
Thais jam aderit. *PY.* quid ita? *D.* quia cum inde abeo, jam tum inceperat
Turba inter eos. *PY.* aufer aurum hoc: ego ſcibo ex hoc quid fiet.

Technam. Fraudem.
Referam. Parmenoni: ulciſcar illum probe.
Abiſſe Dorum. Tace Chæream loco illius veniſſe.
Inde abeo. Cum abii primum ex domo militis.
Turba. Rixa.
Eos. Thaidem & Thraſonem.
Aufer. Fer intro hæc aurea ornamenta Thaidis.
Quid fiet. Quid evenerit, quo res evaſerit a Chremete petam.

SCE-

SCENA SEXTA.

CHREMES, PYTHIAS.

Chremes bene potus & hilarior e militis domo ad ædes Thaidis revertitur: hunc ipsa Thais assequitur.

C. AT at, data hercle verba mihi sunt: vicit vinum quod bibi.
Ac dum accubabam, quam videbar mihi esse pulcre sobrius:
Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium facit.
P. Chreme. C. quis est? ehem Pythias, vah quanto nunc urbanior
Videre mihi, quam dudum? P. certe tu quidem pol multo hilarior.
C. Sed Thais multo ante venit? P. an abiit jam a milite?
C. Jamdudum, ætatem, lites sunt inter eos factæ maximæ.
P. Nihil dixit tum, ut sequerere sese? C. nihil, nisi abiens mihi innuit.
P. Eho, nonne id sat erat? C. at nesciebam id dicere illam, nisi quia
Correxit miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras

At at... At enim deceptus sum: imprudens paullo plus adbibi, & vino victus sum:

Accubabam. Mensæ accumbebam.

Quam. Valde, vel, admirantis est.

Surrexi. E Mensa.

Venit. An venit? quam pridem huc rediit?

Ætatem. Jam fluxit ætas integra ab eo tempore: ætas pro longo tempore: proprie est annorum 30. spatium.

Dicere. Significare: non putabam ideirco illam innuere mihi ut sequerer, sed Thraso correxit me, & castigavit tarditatem in intelligendo meam, hanc emendavit suo facto, nam me ex ædibus & convivio exturbavit, ut Thaidem sequerer ocyus fecit.

Ubi-

Sed eccam ipſam : miror ubi ego huic anteverterim.

Ubi. Quomodo. *Anteverterim*. Præceſſerim.

SCENA SEPTIMA.

THAIS, CHREMES, PYTHIAS.

Thais a milite domum reliens ſtatuit illi Pamphilam non reddere, & illius impetum ac impotentiam frangere : Chremes timidior vix retinetur quin fugiat, ubi militem cum ſuorum agmine adventantem aſpicit.

T. CRedo equidem illum jam affuturum eſſe, ut illam a me eripiat : ſine
Ut veniat : atqui ſi illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur :
Uſque adeo ego illius ferre poſſum ineptias, & magnifica verba.
Verba dum ſint : verum enim, ſi ad rem conferentur, vapulabit.
C. Thais, ego jamdudum hic adſum. T. o mi Chreme, ſeipſum expectabam :
Scin' tu turbam hanc propter te eſſe factam ? & adeo ad te attinere hanc
Omnem rem ? C. ad me ? qui ? quaſi iſthuc ..... T. quia dum tibi ſororem ſtudeo
Reddere, & reſtituere, hæc atque hujuſmodi ſum multa paſſa.

Sine. Patere : veniat modo.
Uſque adeo. Eatenus.
Dum. Modo mera verba ſint, at ea ſi in opus conferet, ſi facta verbis addet.
Qui. Quomodo.
Quaſi iſthuc. Subaudi, jurgium commoverim.
Reddere. Reddimus aliena : reſtituimus integra.

Quid

C. Ubi ea eſt? T. domi apud me. C. hem? T. quid eſt?
Educta ita, uti teque illaque dignum eſt. C. quid ais? T. id quod res eſt:
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa abs te quicquam pretii.
C. Et habetur, & refertur a me, Thais, tibi, ita uti merita es, gratia.
T. At enim cave, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas, Chreme.
Nam hæc ea eſt, quam miles a me vi nunc ereptum venit.
Abi tu, ciſtellam, Pythias, domo eſſet cum monumentis.
C. Viden' tu illum: Thais? P. ubi ſita eſt? T. in riſco: odioſa ceſſas?
C. Militem ſecum ad te quantas copias adducere?
At at... T. num formidoloſus, obſecro, es mi homo? C. apage ſis:
Ego formidoloſus? nemo eſt hominum, qui vivat, minus.
T. Atque ita opus eſt. C. ah! metuo, qualem tu me eſſe hominem exiſtimes.
T. Immo hoc cogitato; qui cùm res tibi eſt, peregrinus eſt.

Quid eſt? Quid extimeſcis? quid a mea domo tuæ ſorori male metuis?

Educta. Educata.. nempe honeſte & pudice.

Ciſtellam. Arculam, capſulam.

Monumentis. Signis & indiciis, unde agnoſcatur Pamphila ſoror Chremetis eſſe, & libera: vult ea Chremeti oſtendere.

Illum. Thraſonem procul adventantem ſignificat.

Sita eſt? Ciſtella.

Riſco. Riſcus eſt ciſta, ſeu capſula corio tecta.

Odioſa. Moleſta, importuna.

Militem. Infinitivus abſolute ſic aliquando ponitur, ad perturbationem aliquam ſignificandam, v. g. iram, admirationem.

Apage ſis. Verbum comicum, ſive adverbium Græcum: id eſt, recede.

Opus eſt. Te formidoloſum non eſſe.

Metuo qualem.. Metuo ne me nimis fortem putes.

Qui cum res tibi eſt: Is Thraſo in quem es pugnaturus.

Sed

Minus potens quam tu, minus notus, amicorum hic habens minus.

C. Scio isthuc: SED TU QUOD CAVERE possis, stultum admittere est.

Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci accepta injuria.

Tu abi, atque ostium obsera intus, ego dum hinc transcurro ad forum,

Volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac. *T.* mane.

C. Melius est. *T.* mane. *C.* omitte: jam isthic adero. *T.* nihil opus est istis, Chreme.

Hoc dic modo, sororem illam tuam esse, & te parvam virginem

Amisisse, nunc cognosse: signa ostende. *P.* adsunt. *T.* cape.

Si vim faciet, in jus ducito hominem: intellextin'? *C.* probe.

T. Fac, animo hæc præsenti dicas. *C.* faciam. *T.* attolle pallium.

Perii, huic ipsi est opus patrono, quem defensorem paso.

Sed tu . . . Stultum est exponere se periculo quod vitari possit.

Prospitere. Providere ne accipiamus injuriam, ne ab illo vapulemus, quam illum ulcisci, cum ipse nos male mulctaverit.

Transcurro. Proximitatem fori ostendit. *Donat.* Interim dum excurro ad vicinum forum, abi domum & fores claude.

Advocatos. Homines certos, vocatos ut testes sint ac propulsatores injuriæ.

Turba. Tumultu: rixa quæ instat a milite.

Melius est. Ut evocem homines e foro.

Omitte. Sine me abire.

Adsunt. Cistellam & monumenta tradit.

Attolle pallium. Quod ex humeris defluit pallium colligé; accinge te, ut sis ad pugnam expeditus: notat socordiam Chremetis, rusticani hominis ignavi, & temulenti.

SCENA OCTAVA.

THRASO, GNATHO, CHREMES, THAIS, SANGA, &c.

Miles abducturus Pamphilam accedit ad ædes Thaidis, velut ad urbem obsidendam, & ridicule imperatorem agit; tandem, infecta re; abscedit.

THR. HAnccine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?
Mori me satius est: Simalio, Donax, Syrisce, sequimini.
Primum ædes expugnabo. *G.* recte. *THR.* virginem eripiam. *G.* probe.
THR. Male mulctabo ipsam. *G.* pulcre, *THR.* in medium huc agmen cum vecti. Donax;
Tu, Simalio, in sinistrum cornu; tu, Syrisce, in dexterum.
Cedo alios, ubi centurio est Sanga, & manipulus furum? *S.* eccum, adest.
THR. Quid, ignave? peniculon' pugnare, qui istuc huc portes, cogitas?

Simalio, &c. Lixas aliquot & mancipia, ut duces suos, alloquitur.

Cum vectis. Subaudi, accede: *vectis*, est oblongus fustis, & crassior, quo emoventur onera, infringuntur portæ, &c.

Cornu. Cornua sunt exercitus latera hinc inde prominentia.

Centurio. Præfectus centum militum.

Manipulus. Exigua militum manus, quæ unum sequitur signum, quia prisci Romani manipulum fœni suspensum e pertica pro signo habebant & vexillo militari.

Furum. Fures, hic servi sunt, maxime culinarii, lixæ, calones . . .

Peniculon'. Peniculus est pannus lineus, mantile crassius, quo præcincti solent esse coqui.

Ego-

S. Egone? Imperatoris virtutem noveram, & vim militum.
Sine sanguine hoc fieri non posse, qui abstergerem vulnera.
THR. Ubi alii? *S.* qui (malum) alii? solus Sannio servat domum.
THR. Tu hosce instrue: hic ego ero post principia, inde omnibus signum dabo.
G. Illuc est sapere: ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.
THR. Idem hoc Pyrrhus factitavit. *CH.* viden' tu, Thais, quam hic rem agit?
Nimirum consilium illud rectum est, de occludendis ædibus.
THA. Sane quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est,
Ne metuas. *THR.* quid videtur? *G.* fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Ut tu illos procul hinc ex occulto cæderes; facerent fugam.
THR. Sed eccam Thaidem ipsam video. *G.* quam mox irruimus? *THR.* mane.

Egone. Egone cur hunc portem rogas?

Hoc fieri. Bellum istud non fore incruentum cogitavi.

Vulnera. Subaudi, periculum attuli.

Instrue. In aciem compone.

Post principia. Post milites qui principes dicuntur. In acie Romana prima erat acies hastatorum, secunda principum, tertia triariorum: itaque iste Thraso in loco securo se collocat, in medio nempe exercitu.

Ut. Postquam, vel, quam præclare.

Sibi cavit loco. Suæ saluti consuluit opportunitate loci a periculo remoti, quem sibi delegit.

Pyrrhus. Epirotarum in Græcia Rex, qui castra & aciem optime descripsisse & instruxisse dicitur.

Sane quod tibi, &c. Quamquam videatur Thraso tibi vir fortis, &c.

Fundam. Ita dicitur, quia funduntur ex ea lapides & jaciuntur.

Facerent. Caperent.

Quam mox. Ecquando?

Ex-

Omnia prius experiri, quam armis, ſapientem decet.
Qui ſcis, an, quæ jubeam, ſine vi faciat? *G.* Dii veſtram fidem?
Quanti eſt ſapere! nunquam accedo, quin abs te abeam doctior.
THR. Thais? primum hoc mihi reſponde, cum tibi do iſtam virginem;
Dixtin' mihi hos dies ſoli dare te? *THA.* quid tum poſtea? *THR.* rogitas,
Quæ mihi ante oculos Chremetem coram adduxiſti tuum?
Quid cum illo ut agas? & eum eo clam ſubduxit te mihi?
THA. Libuit. *THR.* Pamphilam ergo huc redde, niſi vi mavis eripi.
CH. Tibi illam reddat? aut tu illam tangas? omnium ... *G.* ah, quid ais? tace.
CH. Quid tu tibi vis? *THR.* ego non habeam meam? *CH.* tuam autem, furcifer?
G. Cave ſis, neſcis cui maledicas nunc viro. *CH.* non tu hinc abis?
Scin' tu ut tibi res ſeſe habeat? ſi quidquam hodie hic turbæ cœperis.
Faciam ut hujus loci, dieique, meique ſemper memineris.
G. Miſeret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.
CH. Diminuam ego caput tuum hodie, niſi abis. *G.* ain' vero, canis?
Siccine ais? *THR.* quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi eſt?

Experiri. Tractare, tranſigere.

Quam armis. Subaudi, agere: vel prius quam armis experiatur, utatur? *experiri* verbum eſt forenſe; itaque ſenſus eſt, conſilio & verbis prius utendum quam armis.

Quid cum illo ut agas? Quid tibi cum illo eſt negotii.

Omnium.. Subaudi, ſceleratiſſime.

Quid tu. O Chreme.

Diminuam. Conteram.

Os

CH. Scribis : principio eam esse dico liberam : *THR.* hem. *CH.* civem Atticam. *THR.* hui!
CH. Meam sororem. *THR.* os durum! *CH.* miles, nunc adeo edico tibi,
Ne vim facias ullam in illam : Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, ut eam adducam, & signa ostendam hæc. *THR.* tunc me prohibeas,
Meam ne ego habeam? *CH.* prohibeo, inquam. *G.* audin' tu? hic furti se alligat.
Satin' hoc est tibi? *THR.* idem hoc tu ais? *THA.* quære qui respondeat.
THR. Quid nunc agimus? *G.* quin redeamus : jam hæc tibi aderit supplicans
Ultro. *THR.* credin'? *G.* uno certe : novi ingenium mulierum :
Nolunt, ubi velis, ubi nolis, cupiunt ultro. *THR.* bene putas.
G. Jam dimitto exercitum? *THR.* ubi vis. *G.* Sanga ubi fortes decet

Os durum! Hominem impudentem.

Nutricem. Pamphilæ.

Signa. Monumenta de quibus antea jam dixit.

Prohibeas, &c. An tu me prohibebis quominus eam habeam quam emi?

Audin' tu? &c. Audisne o Thraso? iste Chremes in jus a te vocari potest & reus furti a te fieri, qui rem alienam, tam impudenter suam esse asserat. Hoc effugium Gnatho ad pugnam dirimendam aperit militi.

Furti se alligat. Furti se reum efficit.

Satin' hoc est tibi? Non ne hoc tibi sufficit? certe jam bellum & pugnam omittas censeo, satis hoc tibi est ad repetendam Pamphilam, & injuriam vindicandam, quod Chremes furti se crimine obstringas.

Idem hoc tu ais. An tu, o Thais, idem ais quod Chremes? nempe Pamphilam ejus sororem esse? liberam? &c.

Quare... Indignus es cui respondeam, abi, interroga qui respondere tibi velit.

Jam dimitto... An exercitum jam dimittam.

Ubi vis. Quando libuerit, dimitte.

Vi-

Militem domique focique fac viciſſim ut memi-
nerit.
S. Jamdudum eſt animus in patinis. *G.* frugies:
THR. vos me hac ſequimini.

Viciſſim. Focum lareſque repete, & bene coquum mone, ut foci & culinæ repetendæ meminerit: jubere militem domus & patriæ meminiſſe, eſt eum remittere, militia ſolvere.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

THAIS, PYTHIAS.

Thais graviter ancillam objurgat: Chæren intervenit.

T. PErgin' ſceleſta mecum perplexe loqui?
Scio, neſcio, abiit, audivi, ego non adfui.
Non tu iſthuc mihi dictura aperte es, quidquid eſt?
Eunuchus abiit: quamobrem? quid factum eſt? taces?
P. Quid tibi ego dicam miſere? illum Eunuchum negant
Fuiſſe. *T.* Quis fuit igitur? *P.* iſte Chærea:
T. Qui Chærea? *P.* iſte ephebus frater Phædriæ.
T. Quid ais venefica? *P.* atqui certo comperi.
T. Quid is obſecro ad nos? aut quamobrem adductus eſt? *P.* neſcio,

Scio. Eunuchum veniſſe.
Neſcio. Quo, vel cur fugerit.
Ephebus: Adoleſcens annorum circiter 14.

Niſi amaſſe credo Pamphilam. *T.* hem miſeræ occidi.
Infelix, ſi quidem tu iſthæc vera prædicas.
Num id lacrumat virgo. *P.* id opinor. *T.* quid ais ſacrilega?
Iſthuccine interminata ſum hinc abiens tibi?
P. Herà mea tace, obſecro, ſalvæ ſumus,
Habemus hominem ipſum. *T.* ubi is eſt? *P.* hem ad ſiniſtram,
Videſne? *T.* video. *P.* comprehendi jube, quantum poteſt.
T. Quid illo facies, ſtulta? *P.* quid faciam, rogas?
Vide, amabo, ſi non, cum aſpicias, os impudens
Videtur. *T.* non eſt. *P.* tum quæ ejus confidentia eſt.

Iſthuccine, &c. [Nonne ego fueram hoc tibi interminata, ne quem virum huc introire ſineres,

Habemus. Præſto eſt.

Quantum. Quanta vi maxima & celeritate fieri poteſt.

Illo. Comprehenſo.

Rogas? Subaudi, verberabis, interrogabis, in jus rapies, &c.

Non eſt. Non eſt, non videtur impudens, ut ais, immo urbanùs, &c.

SCE-

SCENA SECUNDA.

CHÆREA, THAIS, PYTHIAS.

Chærea cum Eunuchi veſtem in ædibus Antiphonis depoſitum iret, redire cogitur & in Thaidem incidit.

C. APud Antiphonem uterque, mater & pater,
Quaſi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire poſſem, quin viderent me: interim
Dum ante oſtium ſto, notus mihi quidam obviam
Veni: ubi vidi, ego me in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam deſertum; inde item
In aliud, inde in aliud: ita miſerrimus
Fui fugitando, ne quis me cognoſceret.
Sed eſtne hæc Thais, quam video? ipſa eſt, hæreo.
Ah; quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?
T. Adeamus; bone vir Dore, ſalve: dic mihi,
Aufugiſtin? C. hera, factum. T. ſatin' id tibi placet?
C. Non. T. credin' te impune abiturum? C. unam hanc noxiam
Mitte: ſi aliam unquam ullam admiſero, occidito.

Me in pedes. Subaudi, conjicio: fugio.

Angiportum. Vicum anguſtum.

Quid mea. Subaudi refert?

Dore. Ludit Thais; & joco Dorum appellat quem eſſe Chæream novit.

Mitte. Condona unam hanc culpam.

T. Num meam ſævitiam veritus es? *C.* non. *T.* quid igitur?
C. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
T. At quorſum? *P.* vix me contineo quin involem
In capillum: monſtrum, etiam ultro deriſum advenit:
T. Abi hinc inſana. *P.* quid ita vero? debeam
Credo iſti quidquam furcifero, ſi id fecerim;
Præſertim cum ſe ſervum fateatur tuum?
T. Miſſa hæc faciamus: non te dignum, Chærea,
Feciſti, nam ſi ego digna hac contumelia
Sum maxime, at tu indignus qui faceres tamen:
Neque ædepol quod nunc conſilii capiam, ſcio,
De virgine iſthac, ita conturbaſti mihi
Rationes omnes, ut eam non poſſim ſuis,
Ita ut æquum fuerat, atque ut ſtudui, tradere:
Ut ſolidum parerem hoc mihi beneficium, Chærea.
C. At nunc dehinc ſpero æternam inter nos gratiam
Fore Thais: ſæpe ex hujuſmodi re quapiam, & EX MALO PRINCIPIO magna familiaritas
Conflata eſt: quid ſi hoc quiſpiam voluit Deus?
T. Equidem pol in eam partem accipioque & volo.
C. Immo ita quæſo: unam hoc ſcito, contumeliæ
Non me feciſſe cauſſa. *T.* credo equidem tibi.
P. Tum pol, ah iſthoc tibi, hera, cavendum intelligo.

Veritus es? Ut fugeres.
Criminaretur. Accuſaret apud te Pythias.
Quid ita vero. Quorſum abeam? nonne impune licet mihi male mulctare iſtum furciferum, qui ſe ſervum eſſe tuum agnoſcat?
Debeam iſtis quidquam. Pœnas ullas debeam: *debere pœnas alicui* dicimur, cui fecimus injuriam: & inimici, *debitores* noſtri vocantur in Oratione Dominica.
Solidum. Perfectum & integrum e amicos ſibi reſtituenda Pamphila conciliare Thais volebat, & hoc

C. Non auſim. *P.* nil tibi quidquam credo. *T.* deſinas.
C. Nunc ego te in hac re mihi oro ut adjutrix ſies:
Ego me tuæ commendo & committo fidei;
Te mihi patronam cupio, Thais; te obſecro:
Emoriar, ſi non hanc uxorem duxero.
T. Tamen ſi pater... *C.* quid? ah volet, certo ſcio,
Civis modo hæc ſit. *T.* paullulum opperirier
Si vis, jam frater ipſe hic aderit virginis;
Nutricem accerſitum iit, quæ illam aluit parvolam
In cognoſcendo tute ipſe aderis, Chærea.
C. Ego vero maneo. *T.* viſne interea dum is venit,
Domi opperiamur, potius quam hic ante oſtium?
C. Immo percupio. *P.* quam tu rem actura obſecro es?
T. Nam quid ita eſt? *P.* rogitas? hunc tu in ædes cogitas
Recipere poſthac? *T.* cur non? *P.* crede hoc meæ fidei,
Dabit hic aliquam pugnam denuo. *T.* au, tace, obſecro.
P. Parum perſpexiſſe ejus videre audaciam.
T. Adeſt optime ipſe frater. *C.* perii hercle, obſecro
Abeamus intro Thais, nolo me in via
Cum hac veſte videat. *T.* quamobrem tandem? an quia pudet?
C. Id ipſum. *P.* id ipſum? virgo vero. *T.* I præ, ſequor.
Tu iſthic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

hoc beneficio demereri.
Non auſim. Subaudi, quidquam facere quod Thaidi doleat.
Deſinas. Tace.
Si pater. Subaudi, velit: ea lege ut annuat tuus pater.
In cognoſcendo. Dum agnoſcetur quænam ſit.
Id ipſum? virgo vero. An vere hoc ipſum dicis, te pudore moveri? o hominem virginali præditum verecundia! Ironice: ſignificat enim illum pudoris omnis expertem & pudicitiæ.

SCENA TERTIA.

PYTHIAS, CHREMES, SOPHRONA.

Chremes Sophronam nutricem adducit, à quo Pamphila ſoror eſſe Chremetis ipſius agnoſcitur.

P. QUid, quid venire in mentem nunc poſſit mihi?
Quidnam? qui referam illi ſacrilego gratiam.
Qui hunc ſuppoſuit nobis? *C.* move vero ocyus
Te nutrix. *S.* moveo. *C.* video, ſed nihil promoves.
P. Jam ne oſtendiſti ſigna nutrici? *C.* omnia.
P. Amabo, quid ait? cognoſcitne? *C.* ac memoriter.
P. Bene Ædepol narras: nam illi faveo virgini,
Ite intro, jam dudum hera vos expectat domi,
Virum bonum eccum Parmenonem incedere
Video: vide ut otioſus it, ſi Dis placet!
Spero me habere qui hunc meo excruciem modo:
Ibo intro, de cognitione ut certum ſciam:
Poſt exibo, atque hunc perterrebo ſacrilegum.

Quid? quid, &c. Quid ego jam excogitabo, quid agam ut ulciſcar iſtum ſacrilegum, nempe Parmenonem qui Cnæream nobis pro Doro attulit?

Promoves. . . Non acceleras.

Ac memoriter. Illa vero omnia cognoſcit quaſi ſi dedita opera omnia mandaſſet memoriæ.

Si Dis placet. Proprium eſt exclamantis propter indignitatem rei.

Qui. Quomodo.

Cognitione. Agnitione Pamphilæ.

SCE-

SCENA QUARTA.

PARMENO.

Parmeno quaſi re bene geſta exultat.

PA. REviſo, quidnam Chærea hic rerum gerat:
Quod ſi aſtu rem tractavit, Di voſtram fidem?
Quantam, & quam veram laudem capiet Parmeno!
Nam ut omittam, quod ei amorem difficilimum, &
Cariſſimum ab muliere avara, virginem
Quam amabat, eam confeci ſine moleſtia,
Sine ſumptu, ſine diſpendio: tum hoc alterum,
Id vero eſt, quod mihi puto palmarium,
Me reperiſſe, quomodo adoleſcentulus
Illarum ingenia, & mores poſſet noſcere:
Mature ut cum cognorit, perpetuo oderit.
Quæ dum foris ſunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compoſitum quidquam, nec magis elegans:
Quæ, cum cœnant cum civibus, liguriunt.
Harum videre ingluviem, ſordes, inopiam,
Quam inhoneſtæ ſolæ ſint domi, atque avidæ cibi,
Quo pacto ex jure heſterno panem atrum vorent:
Noſſe omnia hæc, ſalus eſt adoleſcentulis.
PT. Ego pol te pro iſtis dictis & factis, ſcelus,
Ulciſcar, ut ne impune in nos illuſeris.

Quod ſi aſtu. Si caute & prudenter iſtud negotium adminiſtravit.

Amorem. Virginem quam uxorem expetebat.

Cariſſimum. Magna emendum pecunia.

Confeci. Eam ut uxorem habere poſſet, feci.

Palmarium. Facinus palma dignum.

Illarum. Thaidis & ſimiliū.

Liguriunt. Delicate & modeſte ſuaviora quæque deguſtant.

Ex jure heſterno. In confecto pridie juſculo maceratum panem.

SCENA QUINTA.

PYTHIAS, PARMENO.

Pythias Parmenone ficto metu perturbat.

PY. PRoh Deum fidem, facinus fœdum! o infelicem adoleſcentulum!
O ſceleſtum Parmenonem, qui iſtum huc adduxit! *PA.* quid eſt?
PY. Miſeret me: itaque, ut ne viderem, miſera huc effugi foras,
Quæ futura eſſe exempla dicunt in eum indigna! *PA.* o Jupiter!
Quæ illæc turba eſt? numnam ego perii? adibo: quid iſthuc, Pythias?
Quid ais? in quem exempla fient? *PY.* rogitas, audaciſſime?
Perdidiſti iſtum, quem adduxti pro Eunucho, adoleſcentulum,
Dum ſtudes date verba nobis. *PA.* quid ita? aut quid factum eſt? cedo.
PY. Dicam: virginem iſtam, Thaidi hodiè quæ dono data eſt,
Scis eam hinc civem eſſe, & fratrem ejus adprime nobilem?
PA. Neſcio. *PY.* atqui ſic inventa eſt: eam iſte ludificatus eſt miſer.
Ille ubi reſcivit factum frater violentiſſimus,
PA. Quidnam fecit? *PY* colligavit primùm cum miſeris modis. *PA.* hem.
Colligavit? *PY.* atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.

Exempla. Pœnæ graves quæ ceteris documento eſſe poſſunt exempla hic dicuntur.

Indigna. Fœda, crudelia.

Turba. Vociferatio, perturbatio.

Numnam ego perii? Num quid accidit malî & infortunii mihi quod neſciam?

Iſte. Chærea.

Ludificatus eſt. Oblata ipſe

PA. Quid ais? *PY.* nunc minatur porro ſeſe id, quod leges ſinunt.
PA. Tantumne facinus audet? at ne hoc neſciatis, Pythias,
Dico, edico vobis, noſtrum eſſe illum herilem filium. *PY.* hem,
Obſecro an is eſt? *PA.* ne quam in illum Thais vim fieri ſinat:
Atque adeo autem cur non egomet introeo? *PY.* vide, Parmeno,
Quid agas, ne neque illi proſis, & tu pereas: nam hoc putant,
Quidquid factum eſt, exte eſſe ortum. *PA.* qui! igitur faciam miſer?
Quidve incipiam? ecce autem video rure redeuntem ſenem:
Dicam huic, an non? dicam hercle; etſi mihi magnum malum
Scio paratum; ſed neceſſe eſt, huic ut ſubveniat. *PY.* ſapis.
Ego abeo intro: tu iſti narrato omnem rem ordine, ut factum ſiet.

ſpe matrimonii decepit.
Seſe id. Subaudi, facturum: pœnas repeticurum graves.
Senem. Lachetem.
Huic. Chæreæ. Ut Chæream eximat ſupplicio, illi opem ferat.
Ut factum. Quomodo hoc ſit negotium.

SCENA SEXTA.

LACHES, PARMENO.

Parmeno ab ancilla deceptus, incaute se atque adolescentes prodit, ac rem totam Lachetis ipsorum patri aperit.

L. EX meo propinquo rure hoc capio commodi,
Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satias cœpit fieri, commuto locum.
Sed estne ille noster Parmeno? & certe ipsus est.
Quem præstolare Parmeno hic ante ostium?
P. Quis homo est? ehem, salvum te advenire, here, gaudeo.
L. Quem præstolare? *P.* perii; lingua hæret metu. *L.* hem
Quid est, quod trepidus? satisne salvæ? dic mihi.
P. Here, primum te arbitrari quod res est velim
Quidquid hujus factum est, culpa non factum est mea.
L. Quid? *P.* recte sane interrogasti: oportuit
Rem prænarrasse me. Emit quendam Phædria
Eunuchum, quem dono huic daret. *L.* cui? *P.* Thaidi.
L. Emit? perii hercle: quanti? *P.* viginti minis.
L. Actum est. *P.* tum quandam fidicinam amat hic Chærea.

Percipit. Invadit.
Satias. Satietas.
Præstolare. Expectas.
Salvæ. Subaudi, res sunt: an omnia recte se hic habent?
Quidquid hujus. Subaudi, rei.
Recte sane. Recte petis quid sit illud pro quo venia petatur a me: nam debueram tibi antea rem totam narrare.
Viginti minis. Vide Adelph. act. 2. scen. 1. Phormionem, &c.
Huic daret. Thaidi!
Actum est. Perii: ad ino-

L. An in Aſtu venit ? aliud ex alio malum.
P. Here, ne me ſpectes; me impulſore hæc non facit.
L. Omitte de te dicere: ego te furcifer ....
Si vivo: ſed iſthuc quidquid eſt, primum expedi.
P. Is pro illo Eunucho ad Thaidem hanc deductus eſt.
L. Pro Eunuchon'? *P.* ſic eſt: hunc pro mœcho poſtea.
Comprehendere intus, & conſtrinxere. *L.* occidi.
P. Audaciam hominum, quæſo, ſpecta. *L.* nunquid eſt
Aliud mali, damnive, quod non dixeris.
Reliquum ? *P.* tantum eſt. *L.* ceſſo huc intro irrumpere ?
P. Non dubium eſt, quin mihi magnum ex hac re ſit malum:
Niſi, quia neceſſe fuit hoc facere, id gaudeo,
Propter me hiſce aliquid eſſe eventurum mali.
Nam jamdiu aliquam cauſſam quærebat ſenex,
Quamobrem inſigne aliquid faceret iis: nunc reperit.

inopiam redactus ſum.

Aſtu. Urbem, ſic Athenas Græca voce appellabant: an portum Piræum, in quo excubabat, ut in urbem veniret, reliquit?

Aliud ex alio malum. Oritur. Primum malum quod fidicinam amat: alterum ex hoc ortum, quod ſuam ſtationem deſeruerit, in urbem veneris.

Si vivo. Subaudi, tradabo, ut mereris.

Expedi. Narra, perfice.

Mœcho. Adultero.

Hominum. Thaidis & aliarum id genus.

Damni malive. *Damnum*, ad emptionem Eunuchi pertinet; *malum*, ad comprehenſam, conſtrictumque Chæream.

Tantum eſt. Nihil eſt præterea.

Niſi quia. Sed tamen quia neceſſe fuit hoc narrare ſeni, gaudeo Thaidi & ejus ancillis propter ea quæ jam a me dicta ſunt, aliquid mali venturum eſſe.

Aliquid faceret. Quærebat Laches occaſionem aliquam vexandæ Thaidis & creandæ illi moleſtiæ, quam ut perniciem ſuorum liberorum intuebatur.

SCENA SEPTIMA.

PYTHIAS, PARMENO.

Pythias narrat quomodo Laches deprehenderit Chæream in ædibus Thaidis, & Parmenonem ludificari pergit.

PY. NUnquam Ædepol quidquam jamdiu, quod magis vellem evenire,
Mihi evenit, quam quod modo senex intro ad nos venit errans.
Mihi selæ ridiculo fuit, quæ, quid timeret, sciebam.
PA. Quid hoc autem est? *PY.* nunc id prodeo, ut conveniam Parmenonem.
Sed ubi obsecro est? *PA.* mene quærit hæc? *PY.* atque eccum video: adibo.
PA. Quid est inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin'? *PY.* perii,
Defessa jam sum misera de te ridendo. *PA.* quid ita? *PY.* rogas?
Nunquam Ædepol hominem stultiorem vidi, nec videbo! ah.
Non possum satis narrare quos lusos præbueris intus.
At etiam primo callidum & disertum credidi hominem.
PA. Quid? *PY.* illicone credere ea, quæ dixi, oportuit te?

Senex. Laches.
Errans. Forte, fortuna, non consilio.
Solæ. Antique, pro soli.
Ridiculo. Ludibrio.
Quid timeret. Timebat ne filium constrictum, & male multatum deprehenderet, id enim fieri a Parmenone falso audierat.
Id prodeo. Idcirco, propter id.
Perii. Enecta sum ridendo.
Hominem te. Putabam olim te esse callidum.

An

An pœnitebat flagitii, te auctore quod feciſſet
Adoleſcens, ni miſerum inſuper etiam patri indicares?
Nam quid illi credis animi tum fuiſſe, ubi veſtem vidit
Illam eſſe eum indutum pater? quid eſt? jam ſcis te periiſſe?
PA. Hem, quid dixti peſſima? an mentita es? etiam rides?
Itane lepidum tibi viſum eſt, ſcelus, nos irridere? *PY.* nimium.
PA. Siquidem iſthuc impune habueris. *PY.* verum? *PA.* reddam hercle. *PY.* credo.
Sed in diem iſthuc Parmeno eſt fortaſſe quod minitare;
Tu jam pendebis, qui ſtultum adoleſcentulum nobilitas
Flagitiis, & eundem indicas; uterque in te exempla edet.
PA. Nullus ſum. *PY.* hic pro illo munere tibi honos eſt habitus: abeo:

An pœnitebat .... An parvum tibi flagitium videbatur, & leve: pœnitere interdum rei alicujus aliquem dicitur, qui contentus aliqua re non ſit.

Jam ſcis, &c. Nunc demum ſcis opinor, & intelligis certum eſſe ſupplicium tuum & exitium: actum de te eſſe: hoc ita dicit ancilla ut eam ridere, ac ſe deluſum eſſe Parmeno intelligat.

Mentita es. Cum mihi renuntiaſti Chæream eſſe conſtrictum.

Scelus. Sceleſta.

Nimium. Sane omnino.

Siquidem, &c. Si inultum hoc tuleris . . . Subaudi, diſpeream.

Verum? Irridentis interrogatio: itane eſt? an ex animo loqueris?

In diem. Longo poſt tempore accidet.

Pendebis. Servos e trabe vel ſcalis ſuſpenſos flagellis cædebant.

Nobilitas. Inſignem & notum facis.

Uterque. Laches & Chærea.

Exempla. Ejuſmodi tormenta tibi infliget, in te ſtatuet, quæ pro exemplis narrentur. *Donat.*

Edet. Publice dabit. Si legatur *edent* figuratum eſt, inquit Donatus.

Munere. Eunucho.

Honos. Præmium, merces.

Quaſi

PA. Egomet meo indicio miſer, quaſi ſorex, hodie perii.

Quaſi ſorex, &c. Proprium ſoricum eſt ſtridere clarius, vel ſtrepere cum obrodunt frivola, quo fit ut deprehendantur. Proverbium in eos qui ipſi ſe produnt: Sorex enim latere potuit, & tacere. *Donat.*

SCENA OCTAVA.

GNATHO, THRASO.

Redit ad Thaidem Thraſo, ut ei ſe quaſi victum dedat: ita componi bellum placet homini generoſo.

G. QUid nunc? qua ſpe, aut quo conſilio huc imus? quid ceptas, Thraſo?
T. Egone? ut Thaidi me dedam, & faciam quod jubeat. *G.* quid eſt?
T. Qui minus, quam Hercules ſervivit Omphalæ? *G.* exemplum placet.
Utinam tibi commitigari videam ſandalio caput!
Sed foras crepuere ab ea. *T.* perii: quid hoc autem eſt mali?
Hunc ego nunquam videram, etiam hic quidnam properans proſilit?

Quid eſt? Quid iſthuc conſilii eſt?

Qui minus. Subaudi, ſerviam & me dedam Thaidi? Cur magis me pudeat ſervire Thaidi, quam Herculem puduit ſervire Omphalæ?

Omphalæ. Fuit Omphale Lydiæ regina, cuius amore captus Hercules non erubuit, clava depoſita, colum tractare.

Commitigari. Tundendo comprimi, & macerari.

Sandalio. Eſt calceamentum muliebre?

Quid eſt hoc mali? Quodnam hoc monſtrum eſt?

Hunc ego. Videt Chæream Eunuchi habitu proſilientem.

SCE-

SCENA NONA.

CHÆREA, PARMENO, PHÆDRIA, GNATHO, THRASO.

Chærea gratulatur Pamphilam agnitam, & sibi uxorem a patre datam.

G. O Populares, ecquis me vivit hodie fortunatior?
Nemo hercle quisquam: nam in me plane Di potestatem suam
Omnem ostendere, cui tam subito tot congruerint commoda.
PA. Quid hic lætus est? *C.* o Parmeno mi, o mearum voluptatum omnium
Inventor, incœptor, perfector: scin' me in quibus sim gaudiis?
Scis Pamphilam meam inventam civem? *PA.* audivi. *C.* scis sponsam mihi?
PA. Bene, ita me Di ament, factum. *G.* audin' tu illum, quid ait? *C.* tum autem Phædriæ
Meo fratri, gaudeo amorem esse omnem in tranquillo; una est domus,
Thais patri se commendavit in clientelam, & fidem;
Nobis dedit se. *PA.* fratris igitur Thais tota est? *C.* scilicet.

Populares. Cives, homines ejusdem populi, oppidi, pagi.

Scin' me. Græca locutio, abundat *me*.

Sponsam mihi. Subaudi, datam fuisse.

In tranquillo. Conciliatam esse illi & devinctam Thaidem.

Una est domus. Domus nostra & domus Thaidis ita jam sunt mutua benevolentia junctæ, ut una domus dici possint.

In clientelam. In patrocinium & tutelam: peregrini se cuipiam civi ornato & locupleti tradebant, quem colerent, tu-

ta-

PA. Jam hoc aliud eſt, quod gaudemus, miles pellitur foras.
C. Frater, ubi ubi eſt, fac quamprimum hæc audiat. *PA.* viſam domum.
T. Nunquid Gnatho dubitas, quin ego perpetuo perierim? *G.* ſine
Dubio, opinor. *C.* quid commemorem primum? aut quem laudem maxume?
Illum, quem mihi dedit conſilium ut facerem, an me qui auſus ſim
Incipere? an fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit?
Quæ tot res, tantas, tam opportune in unum concluſit diem?
An mei patris feſtivitatem, & facilitatem? o Jupiter
Serva, obſecro, hæc nobis bona.

tarentur, &c. illos Clientes Romani appellabant, patronos vero vocabant eos, in quorum fidem clientes ſe commendabant.
Miles. Thraſo.
Ubi ubi. Ubicumque eſt.
Feſtivitatem. Hilaritatem, ſuavitatem: *feſtivitas* eſt in verbis, ait *Donat.* *facilitas* in animo & factis.

SCENA DECIMA.

PHÆDRIA, CHÆREA, PARMENO, GNATHO, THRASO.

Phædria redit in gratiam cum Thrasone.

PH. DI vestram fidem, incredibilia
Parmeno modo quæ narravit! sed ubi est frater? *C.* præsto adest.
PH. Gaudeo. *C.* satis credo, nihil est Thaide tua dignius,
Quod ametor; ita nostræ est omni fautrix familiæ. *PH.* mihi
Illam laudas? *T.* perii, quanto minus spei est, tanto magis amo:
Obsecro, Gnatho, in te spes est. *G.* quidvis faciam? *T.* perfice hoc
Precibus, pretio, ut hæream in parte aliqua tandem apud Thaidem
G. Difficile est. *T.* si quid collibuit, novi te; hoc si effeceris,
Quodvis donum, & præmium a me optato, id optatum feres.
G. Itane? *T.* sic erit. *G.* si hoc efficio, postulo ut mihi tua domus
Te præsente, absente, pateat: invocato ut sit locus
Semper. *T.* do fidem ita futurum. *G.* accingar. *PH.* quem hic ego audio?
O Thraso. *T.* salvete. *PH.* tu fortasse quæ facta hic sint nescis?

Hæream, &c. Non penitus excludar, ut saltem aliquo me apud se in loco & numero esse patiatur.

Collibuit. Subaudi, hoc facillime perficis.

Donum &c. Donum, ut a largo homine; *præmium*, ut a præclaro facinore. *Donat.*

Optato. Elige, postula.

Invocato. Non vocato ad cœnam.

Accingar. Aggredior id facere quod postulas.

Re-

T. Scio. *PH.* cur ergo in his ego te conſpicor regionibus?
T. Vobis fretus. *PH.* ſcin' quam fretus? miles, edico tibi
Si in platea hac te offendero poſt unquam, nihil eſt quod dicas mihi,
Alium quærebam, iter hac habui: periiſti. *G.* eja, haud ſic decet.
PH. Dictum eſt. *G.* non cognoſco veſtrum tam ſuperbum. *PH.* ſic erit.
G. Prius audite paucis, quod cum dixero, ſi placuerit,
Facitote. *PH.* audiamus. *G.* tu concede paullulum iſthuc, Thraſo.
Principio ego vos credere ambos hoc mihi vehementer velim,
Me, hujus quidquid facio, id facere maxume cauſſa mea;
Verum idem ſi vobis prodeſt, vos non facere, inſcitia eſt.
PH. Quid id eſt? *G.* militem rivalem ego recipiendum cenſeo. *PH.* hem.

Regionibus. Urbis partibus, locis iſtis.

Vobis fretus. Subaudi, huc venio; confido fore veſtra opera ut locum aliquem apud Thaidem habeam, quæ jam vobis devincta eſt, & veſtræ familiæ.

Scin'... Scin' quam confidere nobis debeas? quam recte ſis fretus.

Nihil eſt &c. Non accipiam iſtas tuas excuſationes, alium quærebam, non Thaidem; evenit ut hac tranſirem.

Perſiſti. Te verberibus mactabo, &c.

Dictum eſt. Ratum, deliberatum eſt.

Veſtrum. Subaudi, ingenium, animum, vel abſolute ut in Andria, *Pol trito antiquum obtines*, tam ſuperbe reſpondere veſtrum non eſt, non eſt veſtri ingenii & humanitatis, quam probe novi.

Concede. Amove te, abſcede: & locum oſtendit quo abeat.

Ambo. Chæream & Phædriam alloquitur.

Hujus. Rei.

Verum ſi vobis. Si id quod vobis dicturus ſum & propoſiturus, eſt in rem quoque veſtram, faceretis profecto inſcite ac imprudenter, id ſi repudiaretis.

Rivalem. Dictum a feris be-

Recipiendum? *C.* cogita modo; tu hercle cum illa Phædria
Et libenter vivis, etenim bene libenter victitas.
Est quod des, paullulum; & necesse est multum accipere Thaidem,
Ut tuo amori suppeditare possit, sine sumptu tuo.
Ad omnia hæc, magis opportunus, nec magis ex usu tuo
Nemo est: principio & habet quod det, & dat nemo largius:
Fatuus est, insulsus, tardus; stertit noctesque, & dies:
Neque istum metuas, facile pellas ubi velis.
PH. Quid agimus? *G.* præterea hoc etiam, quod ego vel primum puto,
Accipit hominem nemo melius prorsus, neque prolixius.
PH. Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opus est. *C.* idem arbitror.
G. Recte facitis: unum etiam hoc vos oro, ut me in vestrum gregem
Recipiatis; satis diu hoc jam saxum volvo. *PH.* recipimus.

bestiis, inquit *Donat.* quæ sitientes cum ex eodem rivulo haustam petunt, in prælium contra se concitantur.

Cogita modo. Fac id modo tecum cogites, reputes, te cum Thaide libenter vivere, & epulari libentissime . . . .

Suppeditare. Neutrum est, id est, sufficere, satis esse.

Ex usu. Utilior.

Nemo est. Quam iste Thraso.

Fatuus. Incepta loquens, a fando: *Insulsus* inepta sentiens, a sale & sapientia.

Quid agimus? Vox deliberantis & labantis.

Accipit. Pascit convivio excipit.

Mirum ut . . . Profecto, opus est . . .

Gregem. Numerum, amicitiam & societatem.

Hoc saxum volvo. Ut Sisyphus apud inferos: satis jam diu cum hoc insulso Thrasone versor. Proverbium est in eos qui diuturno & gravi aliquo labore afflictantur.

C. Ac libenter. *G.* at ego pro iſthoc Phædria, & tu Chærea,
Hunc comedendum, & deridendum vobis propino. *C.* placet.
PH. Dignus eſt. *G.* Thraſo, ubi vis, accede, *T.* obſecro te, quid agimus?
C. Quid? iſti te ignorabant; poſtquam eis mores oſtendi tuos,
Et collaudavi ſecundum facta & virtutes tuas,
Impetravi. *T.* bene feciſti, gratiam habeo maximam:
Nunquam etiam fui uſquam, quin me omnes amarent plurimum.
G. Dixin' ego in hoc eſſe vobis Atticam eloquentiam?
PH. Nihil præter promiſſum eſt. Ite hac omnes. Vos valete, & plaudite.

Pro iſthoc. Veſtro beneficio.

Propino. Præbeo, exponam verbum convivis aptum, & paraſito: eſt autem proprie *propinare*, poculum præguſtatum & delibatum alteri tradere.

Ubi vis. Quando libuerit.

Impetravi. Ut te reciperent.

Atticam. Inſignem. Athenienſes eloquentiæ gloria maxime florebant: ironia.

Nihil præter.... Omnia promiſſo tuo reſpondent; nihil infra illud eſt, nihil minus eſt quam promiſiſti: Thraſonem videmus qualem oſtendiſti: *præter*, hoc in loco ſignificat, infra: ſic Horatius dixit, *flumina præterſunt ripas*, pro, infra ripas fluunt, lib. 4. od. 7.

Ite hac. Commeſſatum apud militem, vel Thaidem.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAG. 2023336